

JOANNIS FRIDERICI SCHANNAT

VINDEMIÆ LITERARIÆ,

Hoc est

VETERUM MONUMENTORUM AD GERMANIAM SACRAM PRÆCIPUE SPECTANTIUM

COLLECTIO PRIMA

QUA CONTINENTUR

ACCEDIT

CONSPECTUS TRIUM VETUSTISSIMORUM CODICUM, EX ILLIS QUOS IN IPSO MARTYRII CAMPO, UBI S. BONIFACIUS ARCHIEPISCOPUS CUM SOCIIS GLORIOSE OCCUBUIT, MANUS FIDELIUM RECOLLEGERUNT, AC IN SACRARIUM FULDENSE DEPORTARUNT

Cum Fig. Æneis.



FULDÆ & LIPSIÆ,

APUD MAURITIUM GEORGIUM WEIDMANNUM, SAC. REG. POL. MAJEST. ET ELECT. SAXON. BIBLIOPOLAM,

Typis JO. HENR. KüSTERI, SUÆ CELS. Typogr.

M. DCC XXIII.

CUM PERMISSU SUPERIORUM



REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI
CONSTANTINO
SANCTÆ FULDENSIS ECCLESIÆ
ABBATI
AUGUSTISSIMÆ ROMANORUM IMPERATRICIS
ARCHI-CANCELLARIO
PER GERMANIAM GALLIAMQUE
PRIMATI.



Uæ dudum Fuldæ velut intermortua jacuerat Typographia, hæc CELSISSIME PRINCEPS, *ad maximi Nominis Tui Famam excitata Revixit, Viresque alacri Animo resumens, Literarium aptavit* *Tor-*

Torcular quo VINDEMIAS *in ipsa Buchonia, non alio Sole quam Tuo Benigni-fluo Aspectu maturatas, feliciter expressit; nec est cur miremur: tot enim Præclaros, tot Prosperos, tot Gloriosos Auspicatissimi Regiminis Tui Eventus cernimus in Dies, ut cum Poeta exclamare Nobis Fas sit.*

Omnia jam fient, fieri quæ posse Negabam;

Talis est, ut Cætera taceam, ARCHIMANDRITA REVERENDISSIME, *Pax illa nuper Carolo-Poli ad Mœnum,* TE *inter &* JOANNEM PHILIPPUM FRANCISCUM *Herbipolensis Ecclesiæ Præsulem, Franconiæ Ducem verè* PACIFICUM, *Cœlesti Omine conclusa, quam à pluribus retro Sæculis frustra sæpius tentatam, fieri unquam posse desperaverat omnis Ætas; concidit nimirùm per* VOS *Ictu plusquam Herculeo, Annosa illa Discordiarum Nutrix, Monstrum Hydra Lernæa pejus, etiam trans Alpes famosum, cui Liti-fera toties excidisse Capita, nil profuit, donec tota simul periit Infernalis Soboles, quæ tamdiu Sacra Sancti Bonifacii, Sanctique Kiliani Patrimonia, fœdum in modum dilaniavit.*

Læta

Læta nunc utrobiquè Rerum Facies, lætus Ordo; *etenim* Justitia & Pax osculatæ sunt, *per quas asserta tandem* TIBI *firmiterque in perpetuum stabilita, prisca Diœceseos Tuæ, quam late patet, Jura & Imperium, serena denique ac tranquilla Omnia*;


Superest, ILLUSTRISSIME PRIMAS, *ut ea quæ etiamnùm Generosa Mente volvis, eodem* CONSILIO *eademque* CONSTANTIÂ *perficias; tunc Decessorum Tuorum quotquot fuêre unquam, Nemo* TE *Fortunatior, Nemo qui ob pacatam simul ac dilatatam Provinciam potiori Jure* PATRIÆ PATER *audiri ab Omnibus & appellari meruerit*;

Hæc aliaque ejus Generis Tua præclarè Facta, CELSISSIME PRINCEPS, *dum in* ANNALES, *quos Tuo Jussu Tuisque sub Auspiciis scribere aggressus sum, referre gestio, uberem ac prorsus inexhauribilem Encomiorum Tuorum Materiam gratæ utique Posteritati suppeditabunt; habent enim & Præsentes & Posteri quod jam nunc in* TE, *citra omnem Adulationis suspicionem, etiam me silente, æternùm venerentur & deprædicent ferventissimum illum avitæ Religionis & Disciplinæ Zelum, in Tractandis tum*

Ecclesiasticis tum Saecularibus Negotiis Naturalem Ingenii Dexteritatem, consummatamque Prudentiam, assiduum Justitiae ac Pietatis Cultum, Fortem, Excelsum, Liberalem, nec nisi in commune Bonum propensum Animum, innatum denique erga Immortales Musas Studium & Amorem, quo potissimum Nomine, CELSISSIME PRINCEPS, *Tenue hoc perennis Observantiae ac Gratitudinis meae Monumentum* TIBI *demisissimè submississiméque Consecro*

Scribebam Fuldae VI. Kal. Julii MDCCXXIII.

Humillimus & Obsequentissimus
JOANNES FRIDERICUS SCHANNAT.



PRÆFATIO



Pecimen est Renascentis apud Nos Typographiæ, quod Oculis tuis exhibemus, Lector Erudite, si placet Conatus, Vindemiando hic Prælum Exercebimus, dum Lipsiæ majus aliud occupabit majoris molis Opus, Historia nimirum Inclytæ Fuldensis Ecclesiæ, quam dum REVERENDISSIMO & CELSISSIMO PRINCIPE ABBATE clementer annuente, faventibusque cunctis suis Perillustribus & Gratiosis DD. PRÆPOSITIS & CAPITULARIBUS coepi non ita pridem Contexere, Tanta sese obtulit undique Veterum Rerum ac Monumentorum Copia, ut Opus universum in varias Classes distribuere necesse habuerim ne (quod sæpe nimium evenit) omnia in unum simul congesta grande ac confusum Chaos producerent.

Visum itaque est, initium facere à *Traditionibus Fuldensibus*, Orbi Literato notissimis, quæ Cura Joannis Pistorii olim editæ, nunc Locis infinitis restitutæ & emendatæ, triplo auctiores in Lucem emittentur: illis enim addidimus non solùm quidquid hujusmodi Donationum ex Archivi Vetustis membranis, Chartis, Rotulis, Chartariis, aliisque optimæ Notæ Codicibus M. S.S. recenter eruimus, sed & insuper EBIRHARDI Monachi Fuldensis circa medium Sæculi XII. à se confecta *Veterum Traditionum Summaria*, quæ inter alia ad elucidandam Germaniæ medii Ævi Topographiam plurimum conferre poterunt; iis omnibus passim intermixtus erit Insignis Autographorum Numerus quibus, ut sua magis constet Authoritas, Sigilla Æri accuratissimè incisa, breves etiam quandoque Notationes adjecimus, observata ubique quoad licuit, Temporum Serie, Fonte itidem indigitato ex quo singula desumpta sunt: Accedet pro majori tum harum, tum subsequentium Rerum consequenda Notitia, *Patrimonium Sancti Bonifacii* sive *Buchonia Vetus* ex iisdem Traditionibus eruta, aliisque Monumentis aucta & illustrata à Temporibus Pippini Regis ad finem usque Sæculi XIII. cum præfixa Mappa Geographica, quod Opus mox excipiet.

De

De *Clientela Fuldensi Beneficiaria* Tractatus Historicus, in quo præter Naturam ac varias Feudorum Fuldensium Species, prolixam, Titulis ac Dignitatibus splendidam Tibi exhibebimus Vasallorum seriem, quos à prima sua Origine hucusque habuit Munificentissima Fuldensis Ecclesia, utpote cui etiamnum Ordinis Equestris Nobiles propemodum infiniti, Monasteria, Civitates Imperii, Oppidaque non pauca, Principes, Duces, Marchiones ac Comites, Fidelitatis & Obsequii Hominium præstant idem, quod & olim Regum ac Imperatorum Filii, quin & ipsi etiam aliquando Reges grato ac lubenti animo præstiterunt, quorum omnium adjecta ad Calcem Libri Acta vetera & Chartæ Authenticæ magno Numero, amplius fidem facient; sequetur deinde

Hierarchia Fuldensis Viginti & ultra tum Monachorum tum Sanctimonialium Coenobiis, plurimis etiam Præposituris ac Collegiatis Ecclesiis pleno Jure subjectis conspicua: hæc velut arbor immensa, nunquam sterilis, universali Ecclesiæ Fructus dedit uberrimos & quamvis per Sæcula jam prope decem continuis Invidiæ Procellis agitata, ac frequenti Malorum impetita Turbine, Ramorum aliquot Insignium, quos longius protenderat, Jacturam fecerit, stetit tamen Florida semper & immobilis, stabitque DEO favente, æternum!

His demum omnibus sic præmissis, Expeditiores erimus in conscribenda *Historia*, cujus prima pars, Ecclesiæ Fuldensis Originem, Incrementa, Fata, veterem Disciplinam & Oeconomiam, Colonias, Academiam, Viros Illustres &c. complectetur; in altera verò parte, ubi de suprema Principis Abbatis Dignitate, Proedria, Prærogativis, Privilegiis, Ditione, Potentia ac Ministerialibus latè disseruerimus, singulorum Abbatum Vitam & Acta expendemus juxta probatos Authores & ad Fidem Documentorum, quæ seorsim edita Integrum Codicem efficient.

Prævie de his à me monendus eras, Benevole Lector, nunc ad Vindemias nostras simul procedamus, si quæ in iis Palato minus grata offendas, hæc Linque (non enim omnibus idem est quod placet) & alia tibi exquire, quod ut faciliori cum delectu fiat, singulos Tibi Racemos explanabimus.

I. *Necrologium Ecclesiæ Metropolitanæ Moguntinæ.*

Illud eruimus ex veteri Martyrologio Rabani membranaceo, cui primaria manu adscriptæ erant hæc Illustrium Defunctorum Nomina, paucis exceptis, quæ idcirco asterisco notari curavimus; in his occurrit ad diem XI. Kal. Januarii Marianus Scotus, quem ex Dodechino novimus obiisse Anno MLXXXVI. occurrunt & alia plurima tum Præpositorum tum Decanorum hujus

hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Nomina, desiderata in Recensione quam de iis novissimè instituit Vir Clarissimus Nobisque Amicus Georgius Christianus Joannis in Opere suo de Scriptoribus Moguntiacarum Rerum, ex quo vice versa illustravimus Exemplar illud mutuæ Fraternitatis renovatæ sub initium Sæculi XII. exstans ad Calcem hujus præstantis Necrologii, quod cum aliis debeo eximiæ Humanitati Admodùm R.P. Hahn Collegii Soc. JESU Moguntiæ Rectori, qui raró apud suos Exemplo, omnia mecum liberalissimè communicavit.

II. *Anonymi Series Abbatum Monasterii Weissenburgensis.*

Descripta est ex Authentico, quod in hujus, Insignis Ecclesiæ Archivo delitescit, cœteris omnibus quotquot hactenùs in Lucem prodière, merito anteponenda.

III. *Vetus Diptycon Fuldense.*

Duplex in Diptychis passim ordo erat Vivorum & Mortuorum, quorum Nomina in Sacris, in aurem Sacerdotis a Diacono recensebantur; hoc quod damus ob Antiquitatem Venerandum est, fuitque ejus usus longè ante *Necrologium Fuldense* cujus excerpta quædam, Vir immortalis Memoriæ Leibnizius *Tom. III. Script. Brunswicens.* inseruit, haud dubiè integrum daturus, si tam sui fuisset instituti, quam nunc mei est; unde etiam illud suo Loco, nimirum in Corpus Traditionum Fuldensium proximè referemus.

IV. *Anonymi Chronicon Cœnobii Schutterani.*

Hujus Cœnobii trans Rhenum positi ad Scutteram Fluvium, Originem tribuunt circa initium Sæculi VII. Offoni cuidam Angliæ Regi à quo primum Offonis-Cella, dein Scuttera à præterlabente Fluvio dictum sit, quod si Author Chronici tantùm habuisset eruditionis quantum Bilis, forsitan longè plura eaque selectiora ex Archivo sui Monasterii in rem suam adducere potuisset, præsertim adversus Trithemium, quem Adversarium nactus fuerat in causa aliunde satis probabili, cum Mabillonius *Tom. I. Annal. Bened. pag. 533.* per quam verisimile existimet, *exstitisse olim in illis partibus Offonem Principem, qui Monasterium suo Nomine erexerit, & hunc forte cum ignorarent Posteri, Lecto Offæ Anglorum Regis Nomine, Offonem Principem eundem putarunt cum Offa Rege, qui Caroli M. æqualis fuit, sunt qui hujus Monasterii Conditionem referunt ad Seculum insequens, tribuuntque Pirminio Abbati Sanctissimo, quem alii dicere instauratorem malunt.* Cœterùm Anonymus noster Fidem datam non penitùs exsolvit; nam seriem Abbatum,

 quam

quam ad sua usque Tempora nempe in Annum MDXXXVI. deducere promiserat, non ultra Annum MCCCXXVII. prosecutus est.

V. *Necrologium Laurishamense.*

Celeberrimi quondam Laureshamensis Cœnobii circa Annum Christi DCCLXIV. Fundati, Insigne producimus Necrologium ad Fidem veteris Apographi, primaria manu ante Annos trecentos in membrana nitidissimè exarati, unde, quæ in eo ad Sæculum usque XV. continuata reperiuntur Recentiorum Nomina, asterisco notavimus ad differentiam aliorum: memorabilis est Einhardi Abbatis (Seligenstadiensis) dies emortualis nempe *II. Idus Martii*, frustra a Mabillonio investigatus, tum ad *III. Idus Decemb.* Tessilonis Ducis ex Laico Monachi Obitus non frustra appositus, quem exin credibile est contigisse in Laurishamensi Cœnobio in quod infelix ille Princeps retrusus fuerat, non verò in Gemeticense ut contendit idem Mabillonius *Annal. Bened. tom. II. pag. 313.* Plura Eruditis observanda relinquimus, dum Nos tot Illustrium Benefactorum Nomina ab Interitu & oblivione vindicasse juvat, nec tristem subiisse sortem Loci, cujus nunc, ut veteris olim Trojæ, *etiam periêre Ruinæ.*

VI. *Antiquitates Cœnobii S. Michaelis Bambergæ.*

Talem Titulum meritò præ se ferunt Chartæ, quibus ad illustrandum celebre hoc Monasterium, nec antiquiores nec præstantiores inveniuntur in tota illa Scriptorum Rerum Bambergensium Collectione, quam duobus distinctam Voluminibus edidit ante Annos aliquot Vir Clarissimus Joannes Petrus Ludewig. Unum præ reliquis observatu dignum est, quod habetur in Documento sub Num. II. ubi Orientales Franci abnegationem solemnem faciunt cum manu & Festuca, Saxones vero *digitis incurvatis, secundum morem Saxonicum.*

VII. *Traditiones Veteres Cœnobii S. Stephani Herbip.*

Mirari aliquando subiit, Magnum Ordinis sui Annalistam Mabillonium hujus Antiquissimi Monasterii nullibi meminisse, quod fortè crediderit idem esse cum illo S. Andreæ ibidem exstructo, & à Fundatore suo S. Burchardo postmodum Nomen retinente, de quo plurima refert: verùm aliter se Res habet, nam Adelbero (è Comitibus de Lambach) Herbipolensis Eccle„siæ Episcopus Locum & Cœnobium in vicino Civitatis suæ Sub„urbio positum, & à Venerabili Prædecessore suo Henrico An„tistite (ex Comitibus de Rotenburg) fundatum, Divinæ Reli„gioni & Monasticæ Professioni cernens aptissimum, Fratres „Canonicæ Professionis, qui tunc in præfato Monasterio erant

„DEO

„DEO Famulantes, in ipſam Civitatem tranſtulit: ut autem „præfatum Locum & Cœnobium in Honore B. DEI Genitricis „& Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Sanctique Protho-„Martyris Stephani dedicatum (Anno MXVIII. ad diem III. Au-„guſti) condigno honore ſublimaret & Eccleſiam hactenus cele-„brem, Divinis celebriorem Servitiis redderet XXX. Fratres „Monachicæ Profeſſionis (forte ex vicino S. Burchardi Mona-„ſterio diductos) ibidem inſtituit, ſtatuens ut ulterius ibi Mona-„chica Converſatio & Monaſtica Profeſſio ſub Abbatis Regimine „ſemper in Divino permaneat Famulatu; ad ſuplementum ve-„rò ejusdem Monaſterii & eorundem Fratrum, præter Prædia „quæ ipſe Epiſcopus Henricus donaverat, aliqua de ſuis pro-„priis aſſignavit Anno Ordinationis ſuæ XII. Dominicæ verò „Incarnationis MLVII. Indict. XV. Non. Martii. Sic ferè ipſius piiſſimi Fundatoris Litteræ, quas Autographas Sigillo plumbeo penſili obſignatas aſſervat ejusdem Cœnobii Archivum, Chartis & Diplomatibus eleganter conſervatis Inſtructiſſimum, in hoc enim perquàm gratioſè admiſſi a Reverendiſſimo & Ampliſſimo D. Abbate Alberico, qui hodie ſuis ad Sanctæ Regulæ Normam optimè inſtitutis, maxima cum Laude præeſt, plurima ipſo, etiam in hoc ſtudiorum genere verſatiſſimo, liberaliter aſſentiente, exſcripſimus, quorum nonnulla in fine hujus Collectionis reperies; cœterùm hæ, quas pariter inde proferimus, Veterum Donationum Tabulæ, in duos Rotulos Opiſtographos ex plurimis membranis conſutos, relatæ erant ante Annos quingentos, fortè à Cellerario Loci, ne Autographa ex Archivis ſæpius efferri neceſſe eſſet: iis utetur cum Fructu, qui Scriptores Herbipolenſes ab infinitis Erroribus, quibus ſcatent, repurgatos aliquando illuſtrare volet.

VIII. *Anonymi Chronicon Erfordienſe.*

Multa diſcimus ex hoc Chronico ſingularia, quorum nulla apud Scriptores Sæculi XIII. mentio reperitur: certè præter illa duo Concilia unum Erfordiæ Anno MCCXXIII. alterum Mogontiæ MCCXXXIX. habitum, plurima circa Stigandianam hæreſim nos laterent, niſi ea annotaſſet diligens Anonymus, cujus bona Fides in reliquis ſatis explorata eſt.

IX. *Chartarium Reinhartsbornenſe.*

Ludovicus II. Ludovici Barbati Turingiæ Comitis Filius dum repudiata priori Conjuge Udalrici Saxoniæ Ducis Filia, Adelheidim Friderici III. Saxoniæ Palatini à ſe Venabulo transfixi Viduam duxiſſet Anno MLXV. inſtinctu Adalberti Archi-Epiſcopi Bremenſis captus ac fere per biennium in Arce Gibichen-

ſtein

ſtein detentus, tandem S. Udalrico Voto facto per feneſtram in ſubterfluentem Salam ſe dedit præcipitem, hinc *Salius* ſeu *Saltator* dictus eſt; verùm ultrices Hominum manus ſic evadens, in Divinas aliquando incidere plus metuit: quapropter ad Magnificum à ſe Anno MLXXXV. fundatum Ord. S. Bendicti Cœnobium (quod ab allabente Reinardi Figuli Fonte *Reinhartsborn* nuncupatum eſt) confugit jam ſeptuagenario major, ubi ſub Regulari Habitu Pœnitentiam agens beato Fine quievit An. MCXXIII. Plura de hujus Monaſterii Incrementis & Fatis Te docebit Chartarium noſtrum, quo forte Tenzelius aliique ante me uſi fuerunt, unde & Diplomata illa, pauca quidem, quæ ex eo evulgaverant, hic repetere ſuperfluum exiſtimaveram: verùm ut omnia promiſcuè ſimul ederem ſuaſerunt Viri Doctiſſimi, quorum Judicium & Authoritas mihi pro Lege eſſe ſolent.

X. *Excerpta Necrologii Veteris Abbatiæ Mollenbec.*

Hujus Aſceterii in Comitatu Schawenburgenſi ab Hildegarde Uffonis Dynaſtæ Nobiliſſima Conjuge circa Ann. DCCCXCVI. Fundati, Hiſtoriam fuſius pertractavit Conradus Hojerus, cui hæc Excerpta, quæ Pariſiis pro ſua in me Benevolentia transmiſit Admodum R. P. Edmundus Martene, profeciſſent plurimùm: occurrit in iis præter Exſpectationem Dagobertus Rex, *III. Non. Februarii*, qui ejus dies emortualis cenſendus non eſt (obiit enim *Die XIV. Kal. Feb.* Anni DCXXXVIII.) ſed potius pia ejusdem Commemoratio ex Beneplacito Congregationis inſtituta, ideo, quod ſingulari prorſus Cultu & Devotione erga S. Dyoniſium Martyrem ferebatur, in cujus Honorem conſecrata ac dedicata eſt Eccleſia Mollenbeccana.

XI. *Notitiæ Monaſterii Omnium-Sanctorum.*

XII. *Rudera Abbatiarum Albæ-Dominorum & Albæ-Dominarum.*

Præter has Inſcriptiones nil reſtat quod piam Bertholdi Comitis ab Eberſtein ejusque Conjugis Uthæ in fundandis duobus his Cœnobiis Munificentiam luculentius teſtetur; utrumque olim Ordinis Ciſtercienſis non procul ab invicem diſſitum in Ducato Wirtembergico ad Albam Flumen circa An. MCXLVIII. fundatum exſtitit.

XIII. *Anonymus de Origine & Abbatibus Cœnobii S. Joannis in Rhingavia.*

Hunc Locum ab aliquot prope Sæculis deſertum ac Religione vacuum, Reverendiſſimus & Celſiſſimus S. R. I. Princeps CON-

CONSTANTINUS ABBAS Fuldensis Modernus, qua per Germaniam Galliamque PRIMAS Magno Ære suæ acquisivit Cameræ, nec minori sumptu instauravit, idque Illi præ cœteris Curæ fuit ut Quotidianus DEI Cultus ac Pia Benefactorum Memoria in eodem jugiter perennarent: quin & hanc Anonymi non indiligentis Lucubrationem à me variis Locis ad Fidem Documentorum, quæ illi defuerant emendatam & illustratam, Publici Juris fieri voluit, quo Germania sacra aliquando prodiret auctior. Vixit Author Temporibus Danielis Archi-Episcopi Moguntini, qui amoto ad Annum MDLXIII. Valentino Horn ultimo ejusdem Loci Abbate, Rerum Administrationem Oeconomo à se instituto commiserat; eas postmodum Anselmus Casimirus, quo exhaustæ suæ per Suecicum Bellum Archi-Diœcesi in aliquo subveniret, Anno MDCXLI. Huberto de Bleyman oppignoravit.

XIV. *Dotationes Cœnobii S. Petri in Nigra Silva.*

Integri M.S. Codicis Membranacei, qui olim ad hanc Ordinis S. Benedicti Abbatiam pertinuit, Tristes hæ sunt Reliquiæ, quæ & ipsæ periissent, ni casu superveniens eas ex ignorantis Manibus redemissem: conducunt plurimum ad pleniorem Fundationis Notitiam, quæ splendidam suam Originem debet Bertoldo Zaringiæ Duci & Conjugi suæ Agneti ad Annum MXCIII. Locus peculiari Jure Sedi Apostolicæ subjicitur ut patet ex Bulla Urbani II. quæ cum careat Notis Chronicis referri potest ad Annum MCXXVI.

XV. *Necrologium Abbatiæ Lucidæ-Vallis.*

Necrologiorum in Historia plurimus usus est, tum præcipuè quando præter diem Emortualem etiam Annum denotant, ex iis enim cum alia innumera, tum integræ quandoque Prosapiæ illustrantur, ut hic illa Serenissimorum Marchionum Badensium, quæ si non curatius altiùs certè quam est apud Rittershusium aliosque nunc investigari poterit: dabit pariter hoc Necrologium, Illustrium hujus Parthenonis Abbatissarum Elenchum, illo quem Bucelinus Nobis dedit, longe præstantiorem.

XVI. *Diplomata & Epistolæ Variæ.*

Hæc Documenta pro majori parte eruimus ex Insigni M.S. Codice membranaceo sed multis Locis attrito ac oblitterato, quem liberaliter nobiscum communicavit Perillustris ac Gratiosus Dominus Franciscus Antonius L.B. ab Hoheneck Ecclesiæ Metropolitanæ Moguntinæ Canonicus Capitularis & Cathedralis Wormatiensis Domicellaris, idemque Summus Bibliothecæ Moguntinæ Præfectus, a quo plura in Rem Litterariam

Beneficia exſpectare nos jubent obvia Viri Nobilis Humanitas; & Benevolentia ſingularis. Titulorum ſeriem ex brevi mea abſentia nonnihil immutatam, hìc correctiùs accipe:

XXXI. *Conradi Hildesheimensis Episcopi Litteræ Commendatitiæ ad Honorium III. Pont. Max. in Gratiam Engelberti Archi-Episcopi Coloniensis.*

XXXII. *Ejusdem Epistolæ Encyclicæ ad Universum Clerum pro Restauratione Ecclesiæ suæ Cathedralis Hildesheimensis.*

XXXIII. *Oliverii Cardinalis Epistola pro Cruce-Signatis.*

XXXIV. *Alberti Orlamundani Comitis Epistola ad Honorium III. Pont. Max.*

XXXV. *Friderici II. Imp. Præceptum, quo Magistros Civium absque Episcoporum consensu fieri vetat.*

XXXVI. *Ejusdem Friderici Imp. Encyclicæ ad Universos Germaniæ Principes pro stabilienda pace.*

XXXVII. *Ejusdem Imperatoris Præceptum in favorem Conradi II. Episcopi Hildesheimensis.*

XXXVIII. *Conradi II. Episcopi Hildesheimensis Mandatum pro vitandis à se Excommunicatis.*

XXXIX. *Henrici Regis Apologetica Epistola ad Conradum Hildesheimensem Episcopum.*

XL. *Litteræ Conradi Hildesh. Episcopi ad Gregorium XI. Pont. Max.*

XLI. *Henrici Abbatis Charta pro Matrimonio inter Hartungum & Lukardam de Rieden inito.*

XLII. *Litteræ Encyclicæ Honorii III.* ponuntur sub Num. XXIII.

XLIII. *Conradi Episcopi Litteræ obligatoriæ.*

XLIV. *Charta Ejusdem qua Fratribus Minoribus in Urbe sua Domicilium assignat.*

XLV. *Ejusdem Charta altera qua Derneburgense Asceterium sub protectione sua recipit.*

XLVI. *Ejusdem Charta tertia qua eidem Derneburgensi Cœnobio quædam donat.*

XLVII. *Ejusdem Charta quarta qua Ecclesiæ in Alsburg Jus Advocatiæ confert.*

XLVIII. *Ejusdem Episcopi in Ecclesiam suam Hildesheimensem Liberalitas.*

XLIX. *Ejusdem Notitia pro Donatione Nobilis Viri Militis de Isenhagen.*

L. *Relatio Visitationis Asceterii in Heimunge.*

LI. *Litteræ Bohemiæ Regis quibus adversus Tartaros Auxilium implorat.*

LII. *Conradi Regis Mandatum pro colligendo Cruce-Signatorum Exercitu adversus Tartaros.*

LIII. *Epistola Apologetica Henrici I. Episcopi Hildesheimensis super Electione sua.*

LIV. *Lamentatio Abbatis.*

LV. *Impostoris cujusdam Epistola ad Fridericum II. Imp.*

LVI. *Hermanni Herbipolensis Episcopi Approbatio Venditionis cujusdam factæ.*

LVII. *Charta Venditionis Henrici Comitis.*

LVIII. *Litteræ Clementis IV. Pont. Max. ad Wernherum Archi-Episcopum Moguntinum quibus Conradinum Siciliæ Regnum affectantem publicè excommunicatum denuntiari imperat.*

LIX. *Litteræ Diffidationis.*

LX. *Litteræ Emancipationis.*

LXI. *Charta Comitum de Rabenswalt super appropriatione quorundam Bonorum.*

LXII. *Honorii IV. Pont. Max. Epistola ad Philippum IV. Franciæ Regem.*

LXIII. *Querela Subditorum ad eundem Philippum Regem directa.*

LXIV. *Manegoldi Herbipolensis Episcopi Notitia pro acquisitione Castri cujusdam cum suis attinentiis Nomine Ecclesiæ suæ.*

LXV. *Joannis de Gottingen Caminensis Episcopi Epistola ad Joannem I. Regem Bohemiæ de cautela à Venenis.*

LXVI. *Caroli IV. Imp. Diploma quo Herbipolensi Clero facultatem concedit Laicos quoscumque coram Judice Ecclesiastico conveniendi.*

LXVII. *Litteræ commendatitiæ Ruperti Regis ad Innocentium VII. Pont. Max.*

Inter plurima quæ in his Notanda occurrunt Locum aliquem merentur ea, quæ sunt sub Num. I. & II. ubi apertè ac dilucidè satis constat, quantum Ordo Canonicus semper fuerit à Monastico distinctus, & quam inani nitantur Fundamento, qui omnes tum Cathedrales tum Collegiatas Ecclesias contendunt fuisse primitùs Ordinis S. Benedicti; quibus enim, hoc in casu, Imperator Ludovicus Pius in Concilio Aquisgranensi habito ad Annum DCCCXVI. præscripsisset *Regulam* illam *Canonicorum?* Longè profectò diversam ab illa quam Anno sequenti Abbatibus & Monachis observandam tradidit; unde meritò exsibilandus est Laur. Frisæus, quando Cathedralis Ecclesiæ Herbipolensis Canonicos Sæculo demùm XIV. *Cucullam* abjecisse fabulatur, quam nunquam, ne mente quidem gestarunt.

Exstat pariter sub Num. XII. insigne documentum pro Monasterio S. Petri Erfordiæ, quod cum Lapsu seu potiùs Injuria Temporum ad Canonicos Sæculares deflexerat, Ordini Benedictinorum Restitutum est in plena Synodo, illa hauddubiè quam Sigifridus I. Archi-Episcopus Moguntinus ibidem habuit Anno MLXXIV. non igitur audiendi sunt, qui cum Trithemio volunt Willhelmum Abbatem Hirsaugiensem hujus Antiquissimi Cœnobii fuisse Fundatorem, cujus Exordia altiùs repetenda sunt.

Memorabilis est insuper sub Num. XXXIX. Apologetica Henrici Regis, uti & sub Num. LVIII. Excommunicationis in Conradinum æque infelicem Principem Sententia, tum Num. LXII. Honorii IV. Pontificis ad Philippum Franciæ Regem verba sequentia: *attendas, quod Progenitores tui semper erant Viri Christiani, quod etiam quilibet Rex Franciæ speciali nomine* CATHOLICUS *appellatur.* Hinc patet quænam Sæculo XIII. apud Gallorum Reges, constanter obtinuerit Tituli Prærogativa.

Demùm occurrit Num. LXV. Joannes de Gottingen Ludovici IV. Imperatoris Medicus, prætermissus in Recentiori Syllabo Canonicorum Ecclesiæ Metropolitanæ Moguntinæ, è quorum Numero erat, tum in Serie Episcoporum Caminensium à P. Wuja *Canonico Irregulari* congesta, ut est apud Clariss. Ludewig. *tom. II. Script. Germ.* non incuriosa sunt, quæ continet ejusdem Epistola, occasione cujus hic alterius cujusdam Inscriptionem producere visum est quæ sic habet: *Honorabili Viro Magistro Nicolao dicto de Roslon Medico quondam Serenissimi Domini Henrici Imperatoris Divæ Memoriæ.* Fuerat is Canonicus Eccl. Colleg. in Haugis Herbipoli, obiitque circa An. MCCCXXX. Fuldæ, sepultus in Capella S. Pauli, quam prope *Septa Majoris Ecclesiæ* construxerat ac dotaverat.

I. NE-



I.

NECROLOGIUM ECCLESIÆ METROPOLITANÆ MOGUNTINÆ.

JANUARIUS.

	Idus Jan.	*RUBERTUS* Archi-Epiſcopus.
XVIIII.	Kal. Feb.	*Ruthardus* Presb. & Decanus.
		Dammo Presbyt.
XVIII.	Kal.	*Hazecho* Presbyt. & Decanus.
		Benno Converſus.
		Rubertus Præpoſitus.
XV.	Kal.	*HATTO* Archi-Epiſcopus.
XIV.	Kal.	*DAGABERTUS* REX.
		Guta Cometiſſa. Panem & Carnem de Memelingen.
XII.	Kal.	*Racechinus* Presbyt.
		Adalbirin Laic. V. ſolid. de Clophem.
XI.	Kal.	*Imiza* Laica X. ſolid. de duobus ædificiis.
VIII.	Kal.	*Gezman* Laicus, & uxor ejus *Waldrat.* V. ſolidos.
		Chuniza Laica de Badahim.
VII.	Kal.	*Arnold* Laicus V. ſolid. de Orto uno.
V.	Kal.	*Gebo* Cuſtos & Diaconus V. ſolid. de Hibingen.
IV.	Kal.	*Rudolfus* Comes. VIII. manſos in Docesheim. VI. ſolidi inde dantur.

FEBRUARIUS.

	Kal. Feb.	*Razo* Archi-Præpoſitus.
IIII.	Non.	*RABANUS* Epiſcopus.
III.	Non.	*Arnoldus* Diaconus & Cuſtos.
		Herimannus Diaconus V. ſolid. de Curte ſua.
VIII.	Idus.	*Ruthardus* Diaconus. Panem & Carnem & Vinum ſicut ſingulis idibus intrantibus, de Brizeheim.
	Idus Feb.	*Embricho* Puer & Can.
XV.	Kal. Mart.	*GISLA* IMPERATRIX.
XIIII.	Kal.	*SIGIFRIDUS* Archi-Epiſcopus. in Larecho I. Libram & Carradam Vini, & Libram I. in Ulmeno.
XIII.	Kal.	*Martinus* Presbyt.
VIII.	Kal.	*Waltherus* Præpoſitus.

VII.	Kal.	*Willigisus* Archi-Episc. X. solidos de Camera Fratrum.
V.	Kal.	*Egilolfus* Præpositus & Diaconus.
IV.	Kal.	*Sigeboto* Comes V. solidos Darmundestat
		Rudingus Diacon. V. solid. in Willere.

MARTIUS.

	Kalend.	*Willehelmus* Archi-Episcopus.
II.	Non.	*Adalbertus* Wormaciens. Eccles. Canonicus.
VIII.	Id. Mart.	*Wacelinus* Præpositus.
		Bezecha Laica. VIII. Uncias.
		Guta X. solidos Sterlebach.
VII.	Id. Mart.	*Macelinus* Wirceburgensis Episcopus.
		Richlint VIII. mansos Stercelesheim.
VI.	Idus.	*Humbertus* Archi-Presbyter. V. solidos Ibingunt.
V.	Idus.	*Humbertus* Diaconus & Præpositus.
		Bezelinus Decanus V. solid. in Ciluvesheim.
XVI.	Kal. Ap.	*Turimbertus* Magister & Præpositus.
		Bizecha Laica V. solid.
XIII.	Kal. Ap.	*Gebeno* Comes. solidos Wanesheim.
XII.	Kal.	*Sigeboto* Monachus S. Albani.
VIIII.	Kal.	*Odas* Presbyt. & Decanus. V. solid. in Lorecho.
		Rutardus Presbyt. *Ebnandus* Magister.

APRILIS.

VIII.	Id. Ap.	Domnus *Aribo* Episcopus, XXX. solid. de Camera Fratrum.
	Id. ib. Ap.	*Bervvardus* Diaconus & Præpositus, II. Carradas Vini in monte Zedal, quod est juxta Bingam.
XVIII.	Kal. Maj.	*Cunradus* Episcopus. *
XI.	Kal.	*Ockarius* Archi-Episcopus.
		Gunzelinus Presbyt. & Præpositus.
IX.	Kal.	*Regizo* Presbyt. & Præpositus.
VI.	Kal.	*Richolfus* Monach. S. Albani.

MAJUS.

VI.	Non. Maj.	*Rutardus* Archi-Episcopus. *
		Recebinus, & Uxor ejus. *
VIII.	Idus.	*Embricho* Diaconus & Cantor. Panem & Carnem & Vinum.
		Ludevvicus Comes.
VII.	Idus.	*Burchardus* Præpositus & Diaconus.
XIII.	Kal. Jun.	*Rubertus* maritus *Richlindæ*. Panis & Caro & Vinum de Stercelesheim.

JUNIUS.

IIII.	Non.	*Bubo* Præpositus.
II.	Non.	*Kunradus* & *Karolus* Imperatores.
	Non.	*Karolus* Archi-Episcopus.

VII.	Idus.	*Brusinc* Comes X. solid. Gumondesheim.
V.	Idus.	*Adelgoz* Archi-Episcopus. *
IIII.	Idus.	Domnus BARDO Episcopus. V. solidos & Refect. Biscohesheim.
XVII.	Kal. Jul.	*Regela* Laica. V. solid. de Curte una juxta sanctum Mauritium.
XV.	Kal.	*Dacmarus* Comes. III. Talenta & X. solidos Mimilingin, & Panem & Carnem.
XIIII.	Kal.	*Thietmarus* Episcopus.
XIII.	Kal.	*Wibertus* Felicis memoriæ III. Libras, Munzecho.
XII.	Kal.	*Meginhard* Episcopus Wirciburgensis.
XI.	Kal.	*Drocmarus* Decanus.
		Ozelinus Laicus de Logeneftain. IIII. Carradas Vini.
X.	Kal.	*Sigefridus* Comes. pro cujus anima dati sunt Fratribus S. Martini IIII. Mansi & VIII. Mancipia & Vinea una in Asgeberc.
		Heremannus Episcopus X. solid. Scornesheim.
IX.	Kal.	*Embricho* Presb. & Præpositus. *
VI.	Kal.	*Thietmarus* Episcopus.
IIII.	Kal.	Sanctus SUNDEROLDUS Archi-Episcopus & Martir.

JULIUS.

III.	Non.	*Ekkartus* Miles. II. Mansos dedit.
III.	Idus.	HEINRICUS IMPERATOR.
		Joannes Ofenburiensis Episcopus. *
III.	Idus. Jul.	*Ruobbertus* Præpositus & *Adalbero* Primicerius & *Udo* Episcopus.
VI.	Kal.	*Benno* Episcopus Ofenburgensis.
III.	Kal.	*Embricho* Episcopus. Libram I. Suuaberode.

AUGUSTUS.

VIII.	Idus.	WECELO Archi-Episcopus Moguntinus. III. Libras.
		Wecelo & *Gebehardus* Abbates.
V.	Idus.	RICHOLFUS Archi-Episcopus.
IIII.	Idus.	*Cunradus* Dux.
	Idus.	*Salemannus* Acolytus X. solidos de Vinea juxta S. Margaretam.
XVII.	Kal. Sept.	*Hacechinus* Diaconus & Præpositus Panis Caro & mensura Vini; tantundem singulis Kalendis intrantibus, Scornesheim.
XVI.	Kal.	ERCHINBOLDUS Archi-Episcopus.
XIIII.	Kal.	*Embricho* Conversus & Monachus S. Albani. *
XII.	Kal.	*Ebo* Præpositus & Diaconus.
V.	Kal.	*Rubertus* Episcopus.
IIII.	Kal.	*Rudelo* Præpositus.

SEPTEMBER.

VII.	Idus.	*Humbertus* Episcopus.
VI.	Idus.	*Drubertus* Presbyt. & Præpositus. IIII. Uncias de Curte sua.
IIII.	Idus.	*Hazecha* Laica Panis & Vinum & Caro & Lib. I. Denar. in Souvilenheim.

XVIII.	Kal. Oct.	*Rutardus* Laicus, Uxor ejus *Birina* & Pater ejus *Gotebolt* & Mater ejus *Regila* pro quorum memoria dantur Fratribus Unciæ IIII. Clopheim.
XIIII.	Kal. Oct.	*Thiemo* Præpositus.
XII.	Kal.	*Hermannus* Comes Palatinus. IIII. Lib. Stedin.
XI.	Kal.	*Regezo* Diaconus & Præpositus S. MARIÆ. *
VIIII.	Kal.	*Ebbo* Presbyt. & Decanus.
VI.	Kal.	*Ebernandus* piæ memoriæ dignus.
IIII.	Kal.	*Gunzuvinus* Præpositus S. MARIÆ & Magister scolarum S. Martini.

OCTOBER.

V.	Non.	*Heriman* & *Huogozo* Presbyteri & Præpositi.
III.	Non.	*HEINRICUS* IMP.
II.	Non.	*Godeboldus* Diacon. & Præpositus S. Martini.
		Wigo Presbyt. & Præpositus S. MARIÆ.
VII.	Idus.	*Humbertus* Abbas. V. solid. de Ibingun.
V.	Idus.	*Ruthardus* Præpositus bonæ memoriæ, de Binga V. solid.
XV.	Kal.	*Hugizo* Præpositus.
V.	Kal.	*Johannes* Spirensis Episcopus.

NOVEMBER.

II.	Non.	*Otto* Dux. Panis & Caro. Assebach
		Ello Miles. V. Unciæ Hedenendale.
IV.	Idus.	*Wolcboldus* Decanus & Præpositus.
II.	Idus.	*Hezelinus* Præpositus.
XV.	Kal. Dec.	*Wicel* Præpositus.
VII.	Kal.	*Chunradus* Diacon. & Præpositus *
III.	Kal.	*Rogingus* Abbas Fuldensis. V. solidos Bomeresheim.

DECEMBER.

II.	Non.	*Anno* Archi-Episcopus.
VIII.	Idus.	*Robertus* Diacon. & Decanus.
VII.	Idus.	*LUBOLDUS* Archi-Episcopus. II. Libras Godeloc & vineas Dinenheim.
IIII.	Idus.	*Gozmarus* Episcopus.
		Bezelo Præpositus & Diaconus. XI. Libras Gisenheim.
II.	Idus.	*Udo* Comes. X. Uncias de Nache IIII. Daleheim.
XVIIII.	Kal. Jan.	*AGNES* IMPERATR. Refect. Vualcheftat.
XVII.	Kal.	*Gotescalc.* Comes.
XII.	Kal.	*Lanzo* Presbyt. & Præpositus *
XI.	Kal.	*Arnolt* Presbyt. & Præpositus. *
		Marianus Inclusus. *
VIIII.	Kal.	*Godefridus* Dux. V. solid. Udenhagin.
VIII.	Kal.	*Megingoz*. Archi-Episcopus.

Sequitur Renovatio mutua Societatis Suffragiorum.

Venerabili

Venerabili & dilectissimo Viro *A.* (*a*) Sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ Præposito, cæterisque dilectissimis Confratribus nostris ejusdem Ecclesiæ Canonicis *F. P. D.* . . . . Fratrum servus indignus; Sanctorum DEI societatem promereri. Noveritis, Fratres charissimi, venerabilem Confratrem vestrum, ac nostrum, Dominum *R.* (*b*) Ecclesiæ vestræ Cantorem, à Clementissimo Domino Augusto, ad partes nostras nuper transmissum, ad Nos usque feliciter pervenisse, & ex parte vestra salutationem jocundissimam Nobis reverenter obtulisse; quæ res fateor, animum nostrum plurimum lætificavit, & in vestri dilectionem satis quidem excitavit; quapropter, sicut per illum postulâstis, pristini Fœderis Amicitiam inter venerabilis memoriæ Patrem, & Prædecessorem nostrum, & vos habitam renovare, ac confirmare cupientes, quicquid ipse vobis concessit, Nos ex parte DEI, & sanctæ MARIÆ, Beatorúmque Apostolorum Petri & Pauli, Vobis concedimus; constituentes Vos participes & collegas Beneficiorum nostrorum, & nostræ Congregationis & id ipsum à vobis in charitate poscimus: Præterea ut vestræ charitatis puritatem plenius agnoscamus precamur, ut Crucem, quam bonæ memoriæ Dominus *E.* (*c.*) vestræ olim Præpositus Ecclesiæ, ex nimia dilectione, quam erga nos habebat, nobis de Eleemosina sua destinavit, per fidelem nostrum, præsentem Latorem nobis transmittere curetis, cujus Depositionis diem in cartula annotatum, pariter nobis transmitti volumus, pro tanto Beneficio congruam Animæ defuncti Fratris mercedem cupientes restituere.

(*a*) *Anselmus.* (*b*) *Richardus.* (*c*) *Embrico II.*

II.

ANONYMI SERIES ABBATUM
MONASTERII WEISSENBURGENSIS.

I. *Principius.* Sub quo fundatum est Monasterium Weissenburgense à Dagoberto Rege Francorum Anno Reparatæ salutis DCXXIII. tempore Heracly Imperatoris Rexit quoque tanquam tertius Episcopus in ordine, Spirensem Ecclesiam Annis XIX. obiit Anno DCLXXIII.

II. *Cherdonius.*

III. *Ratfridus*, cui Dagobertus Rex Thermas Badenses cum Marca adjacente donavit, exstant adhuc literæ donationis talis tenoris.

„*DAGOBERTUS* Rex Francorum, Viris illustribus, Ducibus, Comitibus Domesticis vel omnibus gentibus tam præsentibus quam futuris: illud ad stabilitatem Regni vel remedium animæ nostræ perdurationem credimus, si petitionibus Sacerdotum, in quo auribus nostris patefecerunt, ad effectum perducimus, ideò cognoscat magnitudo seu nobilitas vestra, quia nos ad suggestionem Viri Venerabilis *Rodfredi* Abbatis de Monasterio *Wissenburge*, Balneas illas trans Renum in Pago Auciacensi sitas *Antoninus* & *Hadrianus* quondam Imperatores suo opere ædificaverunt ad quas Monasterium, quod dicitur Willenburg, & est constructum in honorem Sancti Petri in pago Spirense visi fuimus, concessisse cum omnibus etiam cum ipsa marca ad ipsas Balneas pertinente, quæ venit de ambobus Lateribus usque ad fluvium Murga & de uno fronte ad partem occidentalem Rasta una, & de alio fronte ad partem orientalem Leucas VI. quod homines loci illius dicunt Rastas III. propterea hoc præceptum Cessionis fieri jussimus, ut ab hoc die memoratus Rodfredus Abbas vel Patres ipsius Monasterii Wissenburgensis suique Sacerdotes vel Monachi ibidem commorantes de suprascriptis Balneis, quas dicunt aquas calidas vel marca ad ipsas balneas pertinente, faciant quod maluerint, hoc est

„habendi, tenendi, fuisque Succefforibus relinquendi, firmiffimam habeant „in omnibus poteftatem & ut hæc præfens auctoritas firmior fit, manu „noftra vel anulo noftro fubter eam decrevimus roborari data fub die XI. „Augufti. Anno II. *Regni* noftri.

DAGOBERTUS REX.

IIII. *Ervvaldus.*

V. *Juftulphus*, qui obiit Anno DCCXXV.

VI. *Aftramus.*

VII. *Gerbertus.*

VIII. *Ermbertus* factus poftmodum Epifcopus Wormatienfis.

VIIII. *Dragebodo* vel *Drageboldus*, qui poftea electus Epifcopus Spirenfis.

X. *Charialdus* aliàs *Charvvaldus.*

XI. *Bernhardus* apud alios *Bernvvarius*, qui quoque Epifcopus Wormatienfis.

XII. *Davidus*, qui ex Abbate Wiffemburgenfi factus feptimus in ordine Epifcopus Spirenfis, Vir integerrimi ingenii piè & honeftè per annos VIII. præfuit.

XIII. *VVielandus.*

XIIII. *Odogerus* feu *Odogarius* Abbas Weiffenburgenfis, deinde Epifcopus Moguntinus.

XV. *Grimaldus*, qui denuò impetravit Thermas Badenfes fub Rege Ludovico, cujus exftant hæ literæ:

„In Nomine fanctæ & individuæ Trinitatis *LUDOVICUS* Divina favente „gratia Rex. Si erga Loca Divino cultui mancipata Regiæ poteftatis no„ftræ benignitatem ac munificentiam exhibuerimus, non folùm ad præfen„tis vitæ profperitatem, fed etiam ad æternæ vitæ præmia capeffenda id „nobis profuturum liquido credimus; quapropter notum effe volumus om„nibus Sanctæ Ecclefiæ Fidelibus præfentibus & futuris, qualiter quidam „Venerabilis Abbas, Fidelis nofter *Grimoldus* veniens in præfentiam noftram „protulit nobis quandam Traditionem factam ab Anteceffore noftro Da„goberto, pro calidis aquis, quæ dicuntur Balnei in pago, nuncupato „Usgavve, quos prædictus Anteceffor cum omnibus appendiciis ad ipfum „locum jure & legitimè pertinentibus ad Monafterium Weiffenburg, quod „eft conftructum in honorem Sancti Petri contradidit præfidente Rodtro„do ejusdem loci Abbate, quæ poftea in Beneficium quorundam Vaffallo„rum noftrorum verfa eft, & per multa annorum curricula ita in benefi„ciis ftetit, rogavit itàque præfatus fidelis nofter ut ob memoriam An„teceflorum noftrorum ac mercedis noftræ augmentum præfatam Tradi„tionem redintegraremus, ac per præceptum noftrum ad præfatum locum „confirmaremus quod cum omni benignitate officium pro DEI amore ac „paftoris Ecclefiæ videlicet Sancti Petri Principis Apoftolorum fieri decre„vimus: præcepimus igitur inde fieri hoc noftra auctoritate præceptum, „per quod decernimus atque jubemus, ut ipfa traditio ab Anteceffore no„ftro facta pro ipfo loco ad Balneas dicto, ac pro omnibus ad ipfum locum „juré ac legitimè pertinentibus deinceps omni tempore firma ac ftabilis „permaneat, nec aliò vertatur fine voluntate Præpofiti ejusdem loci ac con„fenfu Fratrum in eodem loco Domino famulantium, quatenùs eos pro „nobis ac pro Regni noftri ftabilitate ac pro noftrorum omnium falute mi„fericordiam Domini melius exorare delectet, & ut hæc noftræ affenfio„nis auctoritas melius credatur & diligentius obfervetur manu propria no„ftra fubter eam firmavimus, ac anuli noftri impreffione affignari juffimus.

Signum Domini *HLUDOVVICI* Sereniffimi Regis

VViarius Cancellarius ad vicem *Caroli* Archi-Epifcopi Recognovi.

Data

Data XV. Kal. Junii Anno *Regni* Domini *HLUDOVVICI* Regis XXIII. Actum *Franconofurt* Palatio Regio feliciter Amen.

Invenitur de dicto Abbate in antiquo Libro. Idibus Junii obiit *Grimaldus* Abbas, qui Ecclesiasticæ utilitati studiosius intendens Monasterium Sancti Petri, post incendium majore ædificio restauravit.

XVI. *Vocoldus*. Sub quo vixit *Otfridus* Monachus Weissenburgensis, qui multa scripsit.

XVII. *Gerhochus* seu *Gerrichus*.

XVIII. *Vultrinus* seu *Vultruricus* quibusdam *VValtwricus* Episcopus Vangionum.

XIX *Mimoldus* seu *Mainholdus*.

XX. *Adelhardus*. alias dictus *Geylo*.

XXI. *Gerrichus*. Anno DCCCCLX. cui successit

XXII. *Ercambius*, quem & *Erkambertum* fuisse dictum verisimile est, invenitur in Ecclesia Weissenburgensi in Lectorio seu Ambone Chorum versus spectante, tale Ercamberti Epitaphium:

Hic ERCAMBERTUS *situs est Abbas venerandus*
Moribus eximiis - - - - - -
Nobilitans clarè commissum Pastor ovile.
Famine quæ docuit - - - *haud minuit.*
Idibus hic quinis Februi decesserat imis
Dans animam CHRISTO, *membráque mausoleo.*
Nacturus Sollo præmia stelligero.
Pro Requie cujus modo, Lector, funde precatus.

Almaricus seu *Amalricus* Monachus Weissenburgensis, generosa Comitum stirpe profectus, Episcopus XVI. Spirensis designatur, omnes sui temporis Magistros Litterarum scientia, Eruditione & Doctrina antecellens, Libros plurimos composuit, qui in hunc diem apud Spirensium sumptuosissimam Bibliothecam reservantur. Claudit diem extremum Anno CHRISTI DCCCCXIII. sedit annos II. menses IIII.

XXII. *Adalbertus* Monachus Trevirensis apud sanctum Maximinum, ex quo Monasterio propter singularem quam habebat pietatem, ab Ottone Magno Imperatore vocatus, ut Ruthenis viam veritatis prædicaret, illosque ad fidem veram Christianorum adduceret Anno DCCCCLX. sed cum vix manus illorum evasisset, à prædicto Imperatore, Monasterio Weissenburgensi Abbas præficitur Anno DCCCCLXVI. cui cum per annos II. fideliter & summa fide præfuisset, ab Ottone supra nominato ad Archi-Episcopatum Magdeburgensem (quem ipse Otto fundavit) vocatur Anno DCCCCLXVIII. in quo vixit annis XII. & multos Vandalorum Populos ad fidem Christianam convertit, obiit autem XII. Kal. Julii Anno DCCCCLXXXI.

Extant litteræ, quibus OTTO Imperator mandat quatenus omnes Servi, Liberi, Coloni, Censuales, Fiscales vel qui Monachis serviunt aut in beneficium dati sunt sive habitent in Abbatia, id est in Marchia, aut aliás ubicunque, ut non possint cogi ad muniendum Castellum vel Civitatem, nisi tantummodo Monasterium & hoc secundum nutum Abbatis. Datæ sunt X. Kal. Junii Anno DCCCCLXV.

Exstant & aliæ ejusdem Imperatoris, quibus confirmat fundationem Dagoberti Regis, nec non Donationes Pipini, Ludovici Imperatoris & aliorum suorum Prædecessorum specificando fines Marchiæ, item Abbati & Fratribus concessit, quicquid Homines sui conquirere in ipsa Marcha possint. Datæ sunt VIII. Kal. Novemb. Anno DCCCCLXVII.

XXIIII. *Senderadus*, sub ipso quidam Dux *Otto* Monasterium Weissenburgense penitus incendio delevit Anno DCCCCLXXXV. sed qualis Dux fuerit, inveniri non potest.

OTTO IMP. confirmat Privilegia hujus Ecclesiæ juxta dignitatem Monasterii Fuldensis, Augiensis & Prumiensis, per litteras, quæ exstant. Datæ V. Kal. Julii Anno DCCCCLXXIX.

XXV. *Gisellarius* in Abbatiam intrusus Anno DCCCCLXXXV. fideliter eandem Regebat, & Monasterium deflagratum prudenter tanquam alter Fundator restaurabit. Obiit XVI. Kal. Novemb. Anno DCCCCLXXXIX. sub ipso *Rupertus* ex Monacho Weissenburgensi, Clarissimo Patre natus, fit Episcopus Spirensis XXIII. Obiit IIII. Novemb. Anno MV.

XXVI. *Gerichus* in Abbatem electus Anno DCCCCLXXXIX. cui Officio cum per XII. Annos præfuisset, eisdem à quibus acceperat voluntariè resignavit. Obiit II. Non. Julii.

XXVII. *Sigibodo* Consensu Gerrichii & Conventus, Abbas designatus, unico tantùm Anno præfuit. Obiit Anno M II.

XXVIII. *Liuthardus* secutus Sigibodonem XXX. Annis Regnavit, qui Ecclesiam S. Stephani in Weissenburg fundavit, quam impius furor Rusticorum circa Weissenburg, & ipsi seditiosi Cives Weissenburgenses, Egregii Coadjutores, funditus in nihilum redegerunt. Anno M. D. XXV. Sub præfato Abbate denuo in favillas est redactum Anno MIIII. Obiit autem Kal. Novemb. Anno MXXXII.

XXIX. *Folmarus* per XII. Annos Abbatiæ & Monasterio præfuit. Obiit Anno MXLIII. II. Id. Maj.

Isti Codices inventi sunt in Armario Sancti Petri, sub *Folmaro* Abbate

Missales cum Epistolis & Gradualibus & Evang. VIII.
Missales specialiter cum Orationibus, VI. & septimus cum Gradualibus & Sequentials & Baptis. & Commendatione animæ, qui fuit Adalhardi.
Plenaria V.
Evangelia Ordinaria V.
Evangelia cum Epistolis III.
Epistolares, cum Eburno & Argento ornati II. Alii IIII.
Sequentiales XI.
Capitulares IIII.
Baptisteria VI.
Tomarii cum eburneis Tabulis V.
Psalteria, intus servata X. in Ecclesia IIII. *Catenata* III. *Vetustissima ad Scholam.*
Tria Volumina Cassiodori in Psalt.
Hieronimus in Psalt.
Augustinus in Psalt.
Psalt. teutonicè in III. *voluminibus.*
Libri III. *in Psalt. sine Nomine.*
Opus Bedæ de Natura Rerum lib. I.
Super VII. *Epistolas Canon. lib.* I.
In Quæstiones Regum.
In Actus Apostolorum & Apocalipsin.
Super Parabolas Salomonis & Ecclesiasten & cantica canticorum.
In Computum.
De Temporibus.
Gesta Anglorum.
Libri II. *super Epistolas Pauli, sine Nomine.*
Opus Augustini III. *volum. de Civitate DEI.*
III. *volum. super Joannem.*
De qualitate animæ.
De Baptismo.

De Fide

De Fide & Operibus.
Super Epistolas Pauli ad Galatas.
Libri Sermonum II.
De Concordia Evangelistarum Lib. II.

Opus Gregorii III. *volum. Moral.*
Dialogi IIII.
Super Hezechielem IIII. *volumina.*
Pastoralis Cura Libri IIII.
XL. Homeliæ.

Opus Rabani super Genesim volum. II.
In Regum volum. II.
Super Paralipomenon II.
In Ecclesiasticum.
In Judicum.
In Judith & in Esther.
In Computum.

Ambrosius de Fide.
Eusebius in Leviticum.
Isidorus de Officiis. Item Isidorus: quid sit Summus & incommutabilis DEUS.

Hi desunt.

Sigihart *habet Regulam Fœminarum præstitam ad Monasterium Andelah.*
Lantfrid *Antiphonarium* I. *Psalterium* I.
Wolbrant *Antiph.* I. *Gradual.* I. *Psalt.* I. *Libell.* I.
Reginbert, *Psalt.* I.
Ercanberrus, *Missal. & Lectionar.* I. *ad Monasterium Clingen.*
Anno, *habet de vita Pontificum Romanorum.*
Hilduin, Presb. *habet Lib. Comitum*
Ludolfus Presb. *Antiphon.* I.
Vidua Gerolti *Psalt.* I.
Stevan Presb. *Lectionar.*
Domna Ludgardis *Psalter.* I.
Emicho Presb. *Lib.* I. *Rabani ac Martiroleg.*

XXX. *Arnolphus.* tricesimus septimus Episcopus Spirensis, & Abbas Monasteriorum Corvey in Saxonia, Lorich, & Limpurg, deinde ex singulari Gratia Imperatoris Henrici III. in Abbatem Wissenburgensem electus, annis XII. præfuit, qui quoque Episcopus Spirensis per Annos triginta resedit & hic est Thesaurus Ecclesiæ Spirensis, quem Abbas Arnolphus ibi invenit

Scrinium eburneum & in eo musca aurea V. *Armilla* II.
Annulus Episcopalis.
Capsula Cristallina cum Reliquiis, auro & catenulis aureis ornata.
Gemma aliquot & fragmina aurea & argentea.
Aliud quoque scrinium aureum magnum, tertium argenteum inauratum Græci Operis.
Capsa argentea rotunda Electro & Margaritis fabrefacta.
Urceoli III. *unus eorum Electro fabrefactus, alter eburneus, tertius argenteus deauratus.*
Flasca una argentea deaurata.
Cuppa una argentea deaurata.
Acetabulum I. *argenteum cum duabus ansis.*
Cerostatum argenteum ad Lectiones matutinales.
Scutella argentea inaurata.
Calices II. *aurei cum patenis, magnus quidem unus, alter minor.*
Calix cum Patena de Onichino.
Calices IIII. *argentei, duo eorum cum patenis, duo sine patenis.*
Patena argentea magna, sine calice.
Vasa cristallina IIII.

Textus Evangeliorum III. *auro & gemmis fabrefacti, quorum unus major ceteris.*
Textus Evangelior. IIII. *Veteris Thesauri.*
Missales Libri III.
Lib. Evang. cum Lectionibus I.
Lectionarius I.
Baptisterialis I.
Benedictionalis I.
Tabula V.
Casucula VIII. *quarum una tota auro texta, cetera auro texto ornata, exceptis* IIII.
Dalmatica VII.
Subtilia VI. *duo eorum auro texto ornata.*
Alba una, auro texta optimè ornata, alia sine
Humeralia cum auro texto VII.
Ornamenta sella Episcopalis II.
Pulvinaria II. *unum auro textum, alterum cum auro & Bracteolis aureis.*
Pallia III. *ad ornandum Altare, duo eorum auro texta, tertium auro adornatum.*
Stola III. *auro texta cum Mappulis.*
Mappa II. *ex pallio, quarum una auro texta.*
Baltei duo auro texti.
Cingula III. *auro texto parata & I. sine auro.*
Panni IIII. *serici & I sero textus*
Trabea Regalis I.
Cappa XII. *quarum* VIII. *auro texto ornata, cetera sine auro.*
Corporalia IIII.
Tegumentum Calicis auro texto paratum,
Cyrotheca Episcopales.
Rationale, auro & gemmis ornatum.
Brachium sancti Cyrilli, *auro & gemmis fabrefactum.*
Clep*sydra argentea* I.
Cruces IIII. *cum Hastilibus suis, tres earum Aurea, gemmis ornata, quarta Argentea.*
Ventilabrum deauratum cum Hastili suo.
C*andelabra cristallina* II.
Dorsalia XV.
Pallia XVI.
T*apeta & Bancalia* XVI.
C*ornu eburneum.* *Pixis eburnea.* *Alea cristallina, & pars dentis piscis.*

Obiit Arnolphus VI. Non. mensis Octobris, sepultus est Spiræ, in Ecclesia Sancti Guidonis, in latere dextro Chori, ante Summum Altare, ubi Sarchophagum tale habet Epitaphium.

Plenus virtutum jacet hic, & plenus Honorum
ARNULPHUS *Præsul, qui fuit Abba simul.*
Spiram, Corbejam, Weissenburg *atque* Lorissam
Et Limpurg *una, Rexerat ille Loca*
Moribus & verbis tam dignè præfuit illis
Ut vis ingenii, par foret huic Oneri.
Sexta Luce liber, quod erat prius, exuit esse:
Ens, cui non metæ, sit sibi, quisque pete.

XXXI. *Samuel* de Genere Ducum Saxoniæ, Abbas electus post Episcopum Arnoldum; sedit annis XLII. ædificavit Ecclesiam Sancti Pantaleonis, vulgò quatuor Turrium *Zu den vier Turnen*, Item Sancti Germani, & Sancti Pauli extra Oppidum Weissenburgense, Nobiles Præpositorum Residentiæ tunc temporis fuêre, quæ Bellis subsequentibus præsertim Rusticano, devastata sunt: Coronam quoque magnam ex argento deauratam Abbas prædictus perfecit,

fecit, quæ etiamnum hodie in Ecclesia dependet; in ejusdem Circumferentia, quæ habet pedes LXXV. leguntur Versus sequentes:

Bis senis Gemmis, Urbs conditur illa Perennis
Perspicuæ Pacis, quæ Lux est clara Beatis:
Omnes nam muri, constant Lapides pretiosi
Turribus insertis duodeno nomine scriptis,
Quorum sunt Portæ, subeundum semper apertæ,
Per quas ingreditur agnus, qui CHRISTUS *habetur*
Virgineus Cœtus sequitur, qui carmine lætus
Terris seu Cœlo, poterit tam psallere nemo,
Ante Thronum gaudent quoniam sine crimine fulgent
Prætenduntque suas, semper, Tibi CHRISTE, *coronas*
Cum quibus in Cœlis numeretur & hic SAMUELIS,
Ut sua sit merces, PETRUM *rogitat modo perpes,*
Cuncta patent CHRISTO, *nil restat cordi sine ipso;*
*Omne quidem votum dum fiat adest * sine notum,* *fortè sibi
Cui loquitur cunctas Res, quas gerit ipsa voluntas
Secretum nullum fecerunt longius ullum,
His DEUS *in Cœlis instruxit Cor* SAMUELIS,
Ut faceret notum, cunctis laudabile votum
Quod fore sincerum probat Efficacia Rerum:
Namque sub octavo sacrosancti Ordinis Anno
Artem per meram, dedit hanc splendescere sphæram,
Non tam præsumptus, quam toto Pectore promptus,
Mensa quidem larga fuerat, sed Copia parva
Quam DEUS *intendat sua Gratia pia rependat,*

XXXII. *Stephanus* Obiit XV. Kal. Aprilis, quo autem Anno nescitur, sicut & de sequentibus.

XXXIII. *Menigandus* Obiit V. Kal. Decembris.

XXXIIII. *Vdalricus* Obiit X. Kal. Maj. Sub ipso facta est sequens Donatio.

„Notum sit Fidelibus tam futuris, quàm præsentibus qualiter Vir quidam „nomine *Stephanus*, suam propriam Mulierem Sancto Petro ad locum, qui „*Wizzenburc* dicitur, tradidit, ut illa, & omnes ejus, si qua fieret Posteri-„tas, in Festo Beatorum Sergii & Bachi annuatim persolveret de Cera duas „Numinatas, ea videlicet ratione, ut Jus optimum Hominum Sancti Petri „teneat, nec plus ullus Exactor quam prædictum Censum, sive in aliquo „Placito, sive quod dicunt, capitale Jus, deposcat; quod si quis perversus „hoc ei decretum suisque sequacibus infringere temptaverit, Kartæ præsen-„tis Testimonio, Cœli Janitorem, quem elegit Defensorem, timendo resi-„piscat, actum est Anno MCXVIII. Indictione X. Rege *Heinrico* Impe-„rante, Venerabili Abbate *Udalrico* eidem loco præsidente. *Eggberto* Ad-„vocato, *Rathero* Exactore, cum Testibus subscriptis Vdalric. Billunc. Wal-„tero, Wolfram, Ebbo, Rudeyer, Heisso, Bernart, ceterisque quàm „plurimis.

XXXV. *Werintherus* obiit X. Kal. Maj.

XXXVI. *Ernestus* obiit II. Non. Julii.

XXXVII. *Benedictus* obiit XII. Kal. Septemb. sedit Annis X.

C 2 XXXVIII.

XXXVIII. *Engisalvus*, quibusdam *Engiscalcus* Præfuit Abbatiæ Annis XXIII. Obiit autem V. Idus Septemb.

XXXIX. *Gundelacus* Præfuit Annis XX. Obiit Idibus Martii. Inveniuntur Litteræ ipsius sigillo munitæ de dato MCLXXXII.

XL. *Godefredus* Præfuit Monasterio Annis VIII.

XLI. *Waldramus* seu *Wolframus* Præfuit Annis XXVII. Temporibus Conradi à Scharpfeneck Episcopi Spirensis.

XLII. *Cuno* sequutus Walramum, Monasterio Præfuit Annis XXVI. Obiit II. Kal. Septemb Anno MCCXLVIII. sepultus in Ambitu Ecclesiæ cum sequenti Epitaphio:

Arca Pudoris, Gemma Decoris, Lampas Honoris
Compar Cœlicolis meritis, & absque Dolis
Spes miserorum, Cella Nudorum, Lux Populorum
CUNO *fovens Inopes, sumptibus auxit Opus.*
Tantum Pastorem tegis hic, Lapis aride, Florem
Et quia dignus erat, Præmia digna ferat.

Præfatus Cuno Anno MCCXXXV. cum consensu sui Conventus Jus Patronatus quod habuit in Bulligheim, cum omnibus Decimis tradidit Ecclesiæ Spirensi; erat tunc Temporis Episcopus Spirensis, Conradus de Than.

XLIII. *Conradus* sedit annis III. Obiit Kal. Septembris Anno MCCLI. invenitur in antiquis Ecclesiæ Libris, Monasterium suo tempore summopere alieno ære gravatum.

XLIIII. *Fridericus* post Conradum Monasterio & Abbatiæ præfuit annis XI. obiit Anno Dominicæ Incarnationis MCCLXII. Kal. Septemb. incepit Oppidum Weissenburgense Muris communire.

XLV. *Edelinus* post obitum Friderici electus, Monasterio per annos XXX. summa cum laude præfuit, nam Oppidum Weissenburgense Muro quadrato saxo cinxit, Turribus, Propugnaculis & Fossis Valloque communivit & in ipso Monasterio multa construxit, ante Portam interiorem Monasterii maximam Domum ædificavit, ubi nunc Granarium exstat, cum scriptura Lapidi quadrato incisa his verbis: *Anno Domini MCCLXXXVIII. Edelinus XLV. Abbas Wizenburgensis, hanc Domum construxit.* Alia plura ædificari fecit. Item non procul a superiori Porta, Refectorium cum Dormitorio, & Conventus Hypocausto Lapidibus quadratis sunt annexa & ibi legitur: *Hoc Refectorium fecit Edelinus.* Obiit autem IIII. Idus Octob. Anno Domini MCCXCIII. sepultus in circuitu Ecclesiæ sub sequenti Epitaphio:

Rerum Ditator Abbas, Veterum Renovator,
Litis Sedator, EDELINUS, *Pacis amator*
Hic pausat, munus tribuat sibi Trinus & Unus
Vivat ut in Cœlis, cum Justis ipse Fidelis,
Hoc tu qui cernis Carmen, nec cernere spernis,
Ora, propitia quod sit sibi, Virgo MARIA.

In Baculo ejus Pastorali scriptum reperitur:

Attrahe, punge, feri, qui quæris Pastor haberi.

XLVI. *Wilhelmus* in Abbatiali Dignitate sequutus Dominum Edelinum, sedit in ea annis VIII. Obiit Kal. Februarii Anno MCCCI. sepultus in Corpore Ecclesiæ ante sepulchrum Domini.

XLVII. *Ægidius.* exstant litteræ ipsius de data MCCCV,

XLVIII. *Bartholomæus* loco Ægidii designatus sedit annis III. & quibusdam mensibus. Obiit XIII. Kal. Augusti Anno MCCCXVI.

XLIX. *Wilhelmus* Ecclesiæ Weissenburgensis Abbas, resedit in Ea Annis VI. Obiit V. idus Martii, Anno Domini MCCCXXII.

L. *Joannes* de *Franckenstein* post Wilhelmum Abbas eligitur, præfuit annis XV. Obiit Anno MCCCXXXVII. III. Non. Novembris. sepultus in Circuitu cum sequenti Epitaphio:

Abbas hoc Tumulo, de FRANCKENSTEIN, *jacet isto,*
Hospes magnificus, JOANNES *Nomine dictus,*
In Castitate vivebat, Gaudia vitæ
Cum Justis, CHRISTUS *sibi det de Virgine Natus.*

LI. *Eberhardus* Comes de *Sarbruggen*, Abbatiam tenebat XLIIII. Annis, optimè eandem Regebat. Obiit Mense Januario Anno MCCCLXXXI. sepultus quoque in Ambitu sub hoc Epitaphio:

Fragrans ut Nardus jacet hic, EBERHARDUS
Princeps Pacificus, omni virtute Politus,
Qui Nutu Domini, Regnavit tres XL. & unum
Annos, Rex illi velit donare Poli Jus.

Sub præfato Abbate multi Comites, Barones, & Nobiles Monasticam vitam agebant. Dictus Abbas emit Anno MCCCXXXIX. à Comite Nicolao de *Levvenstein* & Conjuge sua Wildburg de *Wertheim*, Pagum *Hochdorf* Spirensis Diœcesis. Anno MCCCXLVII. emit ille Dominus Castrum *Bertenstein* cum omnibus pertinentiis pro DCCC. Libris Hallensium à Militibus Ottone & Vlrico de *Weingarten* duobus Fratribus.
Anno MCCCLXIII. prænominatus Abbas emit à Joanne Milite de *Than*, Pagum *Bobenthal* cum adjacente silva dicta *Albrechtsbuhel* pro CCX. florenis, actum feria II. post Lætare, Anno ut suprà.
Emit quoque à Monasterio *Heilsbruggen* partem Decimarum in *Rodt* propè *Rietberg* pro C. florenis Anno MCCCLXXV. feria II. post Kiliani.

LII. *Hugo* de *Nafelden* Abbas Weissenburgensis, sedit Annis XX. vitam finivit ipsa die S. Benedicti, Anno MCCCCII. sepultus ad Latus dicti Eberhardi Predecessoris sui cum sequenti Epitaphio:

Splendor Virtutis Abbas HUGO, *Flosque Salutis,*
Et Servus CHRISTI, *Lapidi jam subditur illi,*
Qui Regnans Annos complevit namque Vicenos
Nunc vivat letè, per Secula nescia Metæ.

LIII. *Joannes* Comes de *Veldenz* in Abbatiali Dignitate sequutus Hugonem, præfuit Annis XXXII. scribitur eum interfuisse Concilio Constantiensi. Sub ipso erat Præpositus ad Sanctum Pantaleonem vulgò quatuor Turrium, Conradus de *Hohenfels*, & ad Sanctum Germanum Dominus *Rupertus* de *Levvenstein*: Obiit autem Anno MCCCCXXXIIII. pridie Barnabæ Apostoli sepultus prope Antecessorem suum sub hoc Epitaphio:

Prudens, Magnificus, JOANNES, *Pacis Amicus*
De VELDENZ *natus, Abbas jacet hic Tumulatus,*
Per triginta duos vivens Regnaverat Annos,
Pœnis ablatis, DEUS *hunc conjunge Beatis.*

LIIII. *Philippus Schenck* Comes de *Erpach*, post Joannem Abbas Weissenburgensis designatus, Regnavit Annis XXXVII. ipsius Tempore erat Præpositus ad S. Pantaleonem, Waltherus de *Geroltsegg* Obiit autem Anno MCCCCLXVII. Sepultus ad Latus sui Prædecessoris.

Ingenium Terræ protulerunt Ecce PHILIPPUM,
Lætum, de ERPACH, *fultum diu, ibi sepultum*
Abbas triginta cum medio tribus Annis
Rexerat, in CHRISTI *Regnum fert Conditor illum.*

LV. *Jacobus* Baro de *Bruckh* Regnavit Annis IIII. & VIII. mensibus, Obiit Anno MCCCCLXXII. in die Sancti Laurentii. Sepultus propè dictum suum Prædecessorem in circuitu. Sub sequenti Epitaphio:

Vir Constans, Humilis, semper Pietatis Amator,
Spes Populorum, Gemma Baronum, Lux Clericorum
De BRUCHK *qui genitus*, JACOBUS *Nomine dictus,*
Ecclesiam quatuor cum Dimidio, Rexit Annis.

Antonius Comes de *Leiningen* erat suo Tempore Præpositus quatuor Turrium.

LVI. *Henricus* de *Homberg*, Hassus, præfuit Monasterio usque ad Annum MCCCCXCVI. quo profectus ad Summum Pontificem HADRIANUM VI. in Reversione prope Florentiam. Obiit XXV. Maj.

LVII. *Wilhelmus* de *Eyp*, Gelrensis. Sedit Annis IIII. Obiit Anno MD. Sepultus in Circuitu Ecclesiæ, sub hoc Epitaphio.

Hoc sepelit saxum, Lector, Gelida Ossa GUILHELMI
Ille Domus sacræ, Duxque Paterque fuit:
Tertius & denus CHRISTI *cum volvitur Annus,*
Quinque ter emensus Sæcula, Phœbus erat,
Quinque ter impleràt Februus cum Luna Calendas,
Exsolvit vitæ, debita Fata suæ.

LVIII. ABBAS & I. Præpositus. *Rudigerus* Electus Anno MD. sedit Annis XLV. ultimus Abbas; nam Anno Domini MDXXVI. translatum est Monasterium in Collegium Sæcularium Sacerdotum, & Abbatia in Præposituram, Auctoritate Summi Pontificis CLEMENTIS VII. & Imperatoris CAROLI V. Obiit autem dictus Præpositus Anno MDXLV. sepultus in Choro Divæ Virginis, cum sequenti Epitaphio:

Anno Domini MDXLV. die VII. mensis Julii, Obiit Reverendus Pater, Dominus RUDIGERUS *hujus Ecclesiæ Præpositus, cujus anima in Pace requiescat*
Sacras, Qui quondam vivens, has Rexerat Ædes
Conditur hic Gelida, nunc RUDIGERUS *Humo.*
Huic DEUS *Omnipotens miseratus, vincla relaxet*
Mortis, & ad vitæ Limina pandat Iter.

II. *Philippus* à *Flersheim* Episcopus Spirensis, & Secundus Præpositus Weissenburgensis, nam & Anno MDXLVI. Præposituræ Weissenburgensis incorporata est Ecclesiæ Spirensi, accedente consensu PAULI III. Pontif. Max. & Imperatoris CAROLI V.
Obiit XIV. Augusti Anno Domini MDLVII. sepultus Spiræ in Summo Templo. Epitaphium ipsius in Choro Weissenburgensis Ecclesiæ sequens exstat: ME-

MEMENTO MORI.

Reverendiſſimo Domino, Domino PHILIPPO *è Nobili Familia de* Flersheim, *cujus prima Ætas moribus honeſtis & optimis diſciplinis Exculta, ſubſequens Doctorali Mitra, Dignitatibus Eccleſiaſticis in Baſilicis Cathedralium Spirenſis, Wormatienſis, Auguſtenſis, Eyſtettenſis, Brugenſis, Eccleſiarum ornata; Poſterior, primò Coadjutoria Præſulis Wormatienſis, deinde Epiſcopatu Spirenſis Eccleſiæ, demum Inſignis hujus Eccleſiæ Præpoſitura, decorata:* MAXIMILIANO *&* CAROLO V. *Divis Imperatoribus, Regibus, omniumque Ordinum Hominibus ob ſummam Prudentiam & in conciliandis Hominum animis, Negotiisque arduis tractandis Felicitatem, nec non erga omnes ſuos Subditos Heroicam Humanitatem, Deſideratiſſimus.*

III. *Rudolphus* de *Franckenſtein* Epiſcopus Spirenſis, & tertius Præpoſitus Weiſſenburgenſis. Obiit in Caſtro *Lauterburg* die veneris XXI. Junii Anno MDLX. Sepultus Spiræ, in Summo Templo die mercurii III. Julii.

IIII. *Marquardus* ab *Hatſtein* Epiſcopus Spirenſis & IIII. Præpoſitus Weiſſenburgenſis, nec non Sac. Cæſareæ Majeſtatis Imperialis Cameræ Judex; Obiit in *Vdenheim* Anno MDLXXXI. die Jovis. VII. Decembris. Sepultus in Summo Templo Spirenſi, die XVII. Decembris.

V. *Eberhardus* à *Dienheim* Epiſcopus Spirenſis, & V. Præpoſitus Weiſſenburgenſis Imperialis Cameræ Judex. Electus in Vigilia S. Thomæ Apoſtoli XX. Decembris, Anno MDLXXXI. Obiit in *Vdenheim* X. Octobris, Anno MDCX. Sepultus in Summo Templo Spirenſi XVIII. Octobris Anno MDCX.

VI. *Philipus Chriſtophorus* à *Söetern* Epiſcopus Spirenſis & VI. Præpoſitus Weiſſenburgenſis, Imperialis Cameræ Judex. Electus Spiræ in Coadjutorem & futurum Epiſcopum die Sabbathi XXX. Maj. Anno MDCIX. Deinde poſt obitum Reverendiſſimi EBERHARDI ad Poſſeſſionem Epiſcopalem inductus XX. Octobris Anno MDCX. Poſtea die Lunæ XX. Novembris Anni ejusdem Poſſeſſionem, Præpoſituræ Weiſſenburgi cœpit.





III.

VETUS DIPTYCON FULDENSE.

NOMINA DEFUNCTOR. REG.	NOMINA DEFUNCTOR. EPISC.
Pipin Rex.	*Lul* Epiſcopus.
Karlus Imp. V. Kal. Feb.	*Riccholf.* Epiſcopus.
Berahta.	*Heiſtolf.* Epiſcopus.
Hiltigart.	*Otger.* Epiſcopus.
Gisla.	*Hraban.* Ep. & Mon. II. Non. Feb.
Faſtrat.	*Karl.* Epiſcopus.
Irmingart.	*Luitbraht* Archi-Epiſc.
Liutgart	*Ansger* Ep. & Mon. II. Non. Feb.
Karl	*Hemmo* Epiſcopus.
Pipin	*Reginheri* Epiſc. VI. Kal. Sept.
Pernhart	*Eboni* Epiſcopus.
Hruodtrud	*Theotmar.* Epiſcopus.
Hludovich Imp. XI. Kal. Jul.	*Ercanbraht.* Epiſcopus.
Hluderi Rex III. Kal. Oct.	*Vuolfger.* Epiſcopus.
Hluduuvic	*Huunpraht.* Epiſcopus.
Karal	*Gozbald.* Ep. XII. Kal. Oct.
Karalman	*Samuel* Epiſc. VIII. Id. Feb.
Hluduuvic	*Theotrich.* Epiſcopus.
Hemma Regina.	*Marcuuart.* Epiſcopus.
Karl. Imp. obiit.	*Pacificus* Epiſcopus.
Giſila.	

Bernhart Comes.
Vuillihelm. Comes.
Aſis Comes.
Beſſo Comes.
Heſſi Comes.
Albuvin Comes.
Thaccolf Comes.
Adalbraht Comes.

ANO-

IV.

ANONYMI CHRONICON COENOBII SCHUTTERANI.

Cum Multi in primo Schutterano Fundatore, & Monasterii initio erraverint, eo quod Litteras Veteres Monasterii non vidissent; visum mihi fuit ex solis Archivis rectiùs Rem declarare, simulque Abbatum & Prælatorum Nomina & justè & breviter perstringere: Constat igitur ex Documentis certis, Monasterium nostrum reverâ Anno Christi DCIII. Indict. VI. Anno Chlotarii II. Regis Franciæ, à Regii Sanguinis Viro Offone Anglo, tempore S. Gregorii Magni, & primi, qui Angliam paulò antè ad Christi Fidem converterat, erectum à Fundamentis, nec hoc officit, aut præjudicat Sanctitati ac Famæ Pirmini, quem quidam contendunt, Schutteransse Fundâsse Cœnobium; is enim, inquit Trithemius, fuit Vir Doctrina & Sanctitate admirabilis & pro Christi Amore Fidem rectam prædicaturus Populis, in partes venit Germaniæ ibique multos, Verbo & Exemplo ad Cultum Veritatis convertit, & plurima Monasteria Fundavit; adde, non autem à Fundamentis; nam & Geigenbach Monasterium & alia plura Fundâsse dicitur, quæ Reges, Principes, aliósque Fundatores agnoscunt, nulla Pirminii facta mentione; Videtur itaque tribuendum Pirminio, quod plura Monasteria super Fundamentum Catholicæ Fidei fundaverit (quod certè tunc Temporis Operæ pretium fuit) ac in iis vitam cœnobiticam, sicut à Divo Mauro didicerat, discretè instituisse. Cæterùm multa hodie superbè erecta & exstructa videntur Cœnobia ex piis Fidelium Largitionibus, quæ antea exigua & parvi pretii Sacraria & Cellæ erant, unde apud Nos quoque Capellam B. Mariæ Virginis, summo olim in honore habitam, asserebant Veteres, hanc omnium primum hujus Loci fuisse Ædificium, quod ex simplicis & Humilis Structuræ Fabrica satis conjici potuit; verùm eandem superioribus diebus, præ Antiquitate Ruinosam considerans Abbas Cunradus, cum sibi affulsit Spes longioris Vitæ, illicò ibidem supra, magno sumptu & apparatu Bibliothecam exruere persuasum habuit, unde tam antiquum Monumentum cum Altari (nonnullis contradicentibus) solo tenus destrui mandavit Anno MDXXVII. & tamen Opus inceptum vel perficere nequivit aut neglexit.

Porrò Trithemius Spanheimensis, in suo compendio Annalium de Origine Regum Francorum, taliter concludit, quod Fratres Schutterani nulla Documenta veritatis ostendentes, dicunt Offonem Anglum, dum Romam Devotionis Causâ peteret, Sancti Gregorii I. Papæ Temporibus, Loci amœnitate provocatum, in eo construisse Monasterium, cujus Trithemii falsæ assertioni repugnat Antiquitas Nominis nostri Monasterii, quod Dagobertus Franciæ Rex *Offonis Cellam* nuncupavit in Litteris suis, quibus hortante Arbogasto Episcopo Argentinensi, Curtem seu Prædium suum in Pago Herlisheim Monasterio nostro Dono dedit, Anno DCXXX. quod Prædium usque ad Annum MCCLXXXIX. tranquillè possedimus, plures etiam Pontifices & Romanorum Reges usque ad Tempora Reginboldi Abbatis sic intitulaverunt Monasterium nostrum, neque tam Fidi Propugnatores ejusdem Loci, eum sic nuncupâssent, nisi ab Offone, ut patebit, initium primitùs fuisset: Authores enim hujusmodi Litterarum, conjectores fuisse, difficillimè quis censebit. Ergo cum Tempore Divi Gregorii Offonem Angliæ Regem, hoc nostrum Monasterium a Fundamentis Erexisse & Ædificasse, tum ex supputatione Annorum, tum ex Litterarum valida Authoritate firmiter teneamus, addimus, quod Offo ille cum aliis innumeris Fidelibus conversisque Anglis, de quibus Historiæ refertæ sunt, ad Germaniam propagandæ Fidei Gratia profectus, in Littore Fluvii Kinzing Sedem sibi delegit, ubi exædificatæ à se Arci seu Pyrgo Nomen suum indidit, qui nunc etiam *Offoburgum* vulgò dicitur, ibidemque ex Terra divite Argentum effodiens, Nummos cudit, quorum adhuc aliqui exstant, & quos ob Angliæ Memoriam & Nomen, imagine Angeli Crucem utraque manu præferentis (quali Apparatu primos Fidei Precones incessisse in Anglia testatur Venerabilis Beda) insignivit, hi usque hodie Germana ac patria voce dicuntur *Engeländer Pfenning*, aut etiam *Alt-Offenburger*.

Cæterùm Offo, Monasterium nostrum exædificâsse legitur in Honorem Individuæ Trinitatis ac Beatæ MARIÆ Virginis, illique Nomen suum imposuit & Offonis-Cellam dici voluit, quo tamen per varias Temporum Revolutiones, quibus Monasterium multifariam succubuit, ablato, à fluviolo *Schuttera*, qui interlabitur *Schuttern* dictum est. Hic Offo etiam apud Nos sepultus creditur, quippe cujus Tumulum veteres Patres Statuis exornavêre Lapideis, ut infra sub Abbate Hermanno videbitur, & quotannis in ejus Memoriam Stipes Pauperibus erogatur, Missæ & Vigiliæ decantantur cum Illuminatione & Visitatione Sepulchri: Trithemius verò, in prææallegato Compendio. Dum Historias callet, hisce verbis commentatur; Fratres Schutterenses negant suum Proprium Fundatorem (intendens Priminium) quemadmodum, inquit, in Originali volumine vitæ ipsius, quod penes Nos habemus clarè scriptum invenitur; cujus definitionem jam antea rejectam nullo modo admittimus, præsertim quod plus semel Fratres Schutteranos personaliter visitaverit, & adhuc Anno MDI. per Triduum, nec ex dicto Originali Fratribus ibidem degentibus, Rem tam intricatam enodaverit; jam verò quantum ad aliam Glosam, ubi dicit, Falsam Schutterensium Fratrum assertionem, vel ex hoc demonstrati, quod Offonem & Fratrem ejus Choret, Reges Angliæ, Amore Regni Cœlestis incensos Romam adivisse & Monachos ibidem factos, reliquum vitæ Tempus sub Regula Divi Benedicti transegisse constet, Anno Childeberti Regis Francorum DCCVII. Sanctus autem Gregorius obierat Anno DCV. Nos respondemus; Nos istum Choret, non noscere, nam cuncta, quæ aut ipse Offo Monasterii hujus Fundator instituit, vel ipsius Monasterii Patres vicissim pro salute ejus, Opera Pietatis ordinaverunt, sub unico & singulari Nomine ordinata, & hactenùs observata fuisse, accedit Sculptura Mausolæi, conservatio veteris Sigilli Conventualis, ac Oppidi, antiquæ depictæ aut sculptæ Imagines Offonis, Clypei quoque seu Regum Anglorum Scuta & hujusmodi; præterea cùm Chronicæ alterutrum Offonem appellant, potuit Offo ille, & Offo noster, convenire in Nomine, sed certè non in Tempore, nam ille Romam adivisse & Reliquum vitæ Tempus sub Regula Divi Benedicti ibidem transegisse legitur; Offo verò noster Fundator, ut dictum est, Romam petiit, ipsum tamen huc remeâsse, ac hoc Monasterium funditùs exædificâsse, ibidemque sepultum esse, ex Veterum Traditione manifestum est; unde quod Trithemius Annorum Supputationem & Nominum appellationem cum nostro Fundatore non congruere & constare objicit, eò quòd Divus Gregorius obierat Anno Christi DCV. Longè ante Offonem & Choret, hoc totum una mecum consentaneè sectatur, nam de raritate Idiomatis Choret, & parilitate Nominum Offonis hoc procedit; & hæc satis de Fundatore hujus Monasterii nostri Schutern, cujus Assertionem antiquissimam & Opinionem sicut hanc Veriloqui Patres prioris ævi plena Fide argumentis & ratiociniis authenticis ratam in Posteros veridicè relictam perpetuârunt, eandem pari modo, pro Captu & posse meo veram affirmare satagi; Joannem Trithemium, quondam Abbatem Spanheimensem novissimè nunc Sancti Jacobi Herbipolensis, idcircò oppugnans, quòd hujusmodi Erroneam Assertionem Schutern, ut ipse dogmatisat, vivus à Schutteranis cum potuisset, eripere & tollere non curaverit, hunc Nodum explicando.

Nunc ad Cathalogum Abbatum progredimur, quem ab Origine Monasterii, usque ad *Rudolfum* hodie Anno MDXXXVII. in Abbatia præsidentem deducere optarem, verùm cùm de Vetustioribus nil Nobis superfit præter Nomina, nec possibile sit definire, quo Tempore sibi invicem successerint, illos hic eo Ordine exhibendos duxi, quo in Mortuario reperiuntur inscripti

VIII.	Idus Januar.	*Simon* quondam Abbas.
II.	Kal. Mart.	*Diepoldus* Abbas hujus Loci.
XVI.	Kal. April.	*Folkernus* Abbas hujus Loci.
VIII.	Kal. April.	*Joannes* Abbas hujus Loci.
	Idibus April.	*Landoldus* Abbas hujus Loci.
II.	Idus Mai.	*Adelhelmus* Abbas.
	Kal. Julii.	*Erkenbertus* Abbas hujus Loci.
XIV.	Kal. August.	*Ernicho* Abbas hujus Loci.
X.	Kal. August.	*Gotfridus* Abbas.

IIII. Non. August. *Rudmannus* Abbas Nostræ Congregationis.
II. Non. August. *Bertholdus* Abbas
VI. Idus August. *Gotfridus* Abbas.
II. Idus August. *Huchertus* Abbas.
II. Idus August. *Wernherus* Abbas.
VI. Idus Novemb. *Folkernus* Abbas hujus Loci.

Sequitur nunc *Evvihardus*, seu *Eberhardus*, quem Abbatiæ præfuisse constat ex Bulla Leonis VIII. cùm enim Abbas & Conventus circa annum DCCCCLVIII. disceptarent super antiquo Privilegio, quo Pagenses Presbyteri annuatim certa servitia solvere debebant, post quorum etiam obitum de tota substantia duæ Partes Abbati, tertia Monasterio cedebat, idem Papa Leo, Wormatiæ celebrans Synodum præsidente & assentiente Othone Imperatore, coacti sunt tales Presbyteri servitia sua pendere sicut ab antiquo, aut Ecclesias suas resignare; his præsens aderat Evvihardus Abbas, quem Annales obiisse referunt Anno DCCCCLXXV. III. Non. Aprilis.

Cæterùm non constat, an sub hoc Abbate, vel sub aliquo ex suis Antecessoribus reponendum sit, quod Trithemius narrat in prima parte Chronicæ Monasterii Hirsaugiensis his verbis. Anno Domini DCCCCXXXVIII. Fundationis Monasterii Hirsaugiensis centesimo, Tria Ordinis Nostri Monasteria incendio perierunt, videlicet Sancti Bonifacii in Fulda, Sancti Galli in Suevia, & Schutterense in Alsatia, quod ultimum denuò reædificatum Consecrâsse reperitur Erkenbaldum Episcopum Argentinensem.

Folkernus, Evvihardo in Abbatia successit; id quod edocet Privilegium Defensionis & Electionis, quod Ottho Imperator eidem Folkerno contulit, vi cujus, decedente Abbate habent Fratres Liberam Potestatem inter se Eligendi alium, quamdiu inter eos talis invenitur, qui eos secundùm Regulam Sancti Benedicti gubernare valeat. *Signum* OTHONIS &c. *Anno Incarnationis Dominicæ* DCCCCLXXV, *Indict.* III. *Regni Othonis* XV. *Imperii verò* III. *datum* ESCHEVVE.
Folkernus postquam Abbatiæ præfuit annis XXXIII. Obiit anno MVIII. XIV. Kal. Junii; cui successit

Ekebertus, sive *Eggbertus* Abbas. Huic Divus Henricus Romanorum Rex, Privilegium Electionis & Defensionis concedens, eundem vocat *Venerabilem Abbatem Cœnobii, quod vocatur Offonisvveiler, & est constitutum in Pago Mortunaugense, super Fluvium Schuttera &c. Signum* HEINRICI *Romanorum Regis. Datum* III. *Non. Novemb. Anno Dominicæ Incarnationis.* MIX. *Anno Regni Gloriosissimi Heinrici Regis* VIII. *Actum* WORMATIÆ &c. Idem Sanctus Henricus, Monasterium nostrum abundè ditavit; nam pro Remedio Animæ suæ, Parentumque suorum, nec non Interventu & Petitione Venerandi Præsulis Eberhardi (Episcopi tunc Bambergensis) cuidam suo *Pauperi Monasterio. Offonis Cella dicto* donat unam Villam Ruckersvveyler dictam, vulgò Sancta Cella Georii, & unum mansum in alia Villa, quæ dicitur Freysenheim, in Comitatu Berchtoldi in Pago Mortinavve, & VI. mansos in Villa, quæ dicitur Blabodelsheim in Comitatu Ebirhardi in Pago Alsatia, cum omnibus Terris, pratis, pascuis, silvis &c. *Signum Domini* HEINRICI *Romanorum Invictissimi Imperatoris Augusti. Datum Anno Incarnationis Dominicæ* MXVI. *Indict.* XIIII. *Anno Heinrici* II. *Regnantis* XIIII. *Imperii* III. *Actum* BABENBERG &c. per hoc idem Imperator, nostrum Monasterium quoad Temporalia sive, ut ajunt, Regalia, Novo à se Erecto Bambergensi Episcopatui Jure Feudi Tradidit, unde in hodiernum usque diem Abbates nostri ab Episcopo infeudantur. Præfuit Eckbertus Abbatiæ Annis VIII. nam Obiit Non. Octobris Anno MXVI.

Reginboldus, Eligitur XII. Kal. Novembris Anno Domini MXVI. Sub cujus Regimine CUNRADUS II. Imperator, petente Eberhardo Bambergensi Episcopo confirmat Privilegia Antecessoris sui Henrici, Monasterio nostro concessa. *Datum Anno Incarnationis Dominicæ* MXXIIII. *Indict.* VII. XII. *Kal Januarii Actum* CORBEÆ. Præfuisse creditur Reginboldus huic Monasterio annis XI. mensibus IX. diebus IIII, inscribitur Annalibus Obiisse anno MXXVII. XIIII. Kal. Augusti.

Rustenus; hunc properam contendunt quidam fuisse Abbatem S. MARIÆ in Nigra Silva; præfuit autem Abbatiæ nostræ annis VII. mense uno diebus duobus.

Obiit MXXXIIII. IIII. Non. Septemb. ut noster Paulus Volzius Martyrologio inscripsit, post quem vacavit Abbatia annis CII. quia non reperitur aliquis ei præfuisse usque ad CUNRADUM hujus Nominis primum, qui si immediatè Rusteno successisset, & vixisset usque ad annum Domini MCLXII. quo notatur obiisse in Martirologio ad diem X. Kal. Augusti, præfuisset annis CXXVIII. quod est impossibile & ridiculum oportet ergo Rustenum diutius vixisse quam Paulus Volzius Martyrologio inscripsit, aut alium vel alios habuisse Successores, aut certè tanto tempore Abbatiam vacasse; cæterum quod Conradus hic, qui immediatè præcessit *Swigerum*, Abbatiam aliquando administraverit, patet ex Bulla Pontificia, quæ sic habet:

INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum DEI, ad hoc Universalis Ecclesiæ Cura nobis à Provisore omnium Bonorum &c. Dilecte in Domino Fili CUNRADE Abbas, tuis Postulationibus accommodantes assensum, Schutterense Monasterium sub Cura Beati Petri & nostra Protectione suscipimus &c.

Ego INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego THEODORICUS Sanctæ Ruffinæ Episcopus.

Datum PISIS per manum AIMERICI S. R. Ecclesiæ Cardinalis & Cancellarii. V. Kal. Novembris Indictione XV. Incarnationis Dominicæ Anno MCXXXVI. Pontificatus verò Innocentii II. Papæ Anno VII.

* * * * * * * * * * * * * *

... suprà Tumbam ejus, Lapidi incisa Imago ipsius Alberti, quæ nunc magna ex parte confracta cernitur; Anno itaque Domini MCCLXXXIII. idibus Augusti *Hermannus* Abbas, & præmemorati, consecrari fecerunt novum Opus & VI. Altaria ut prætactum est, à Venerabili Patre Domino Johanne Episcopo Letoniensi, auctoritate Reverendi Domini Cunradi Episcopi Argentinensis, ut in Codice vetusto legitur hoc Ordine. Primum Altare inferius ad Aquilonem, in honorem Scholasticæ, Otiliæ, Agnetis & Omnium Sanctarum Virginum & Viduarum. Secundum Altare descendendo ad cursum Solis, in honorem Sancti Georgii, Benedicti, Martini, Leonis Papæ & Omnium Sanctorum Confessorum. Tertium Altare, in honorem Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Salutiferæ Crucis, & Sanguinis Domini. Quartum Altare in honorem S. Joannis Evangelistæ, Petri & Pauli, & Omnium Apostolorum & Discipulorum Domini. Quintum Altare in honorem S. Laurentii, Lini, Cleti, & Omnium Sanctorum Martyrum. Sextum Altare superius in Testudine consecratum est ab Episcopo eodem Anno scilicet XIX. Decemb. in Honorem S. Michaëlis & Omnium Sanctorum Angelorum. Eadem die in Claustro ante valvas Templi consecrata est Sepultura Prælatorum, cui apposita hæc Inscriptio:

Cœmiterium hoc Venerabilium Abbatum hujus Monasterii Schuttern Anno Domini MCCLXXXIII. XIX. Calend. Decembris sub Abbate Hermanno *de* Burner, *eousque est consecratum, quousque incisæ pictæque Cruces, muros utrosque insigniunt.*

Annotat Paulus Volzius in suis Scriptis, idem Hermannus Abbas post alterum Incendium quo hoc Monasterium conflagravit Anno MCCXL. Opus novum super Tumbam Offonis in Ecclesia Parochiali exstruxit, cui ab extra hæc antiqua Legenda insculpta est

REX OFFO FUNDATOR, hic Sepultus.

Versus altare Martyrum exstat Statua Hermanni Abbatis, in cujus vestimenti Fimbria legitur

HERMANNUS Abbas fecit istud Novum Opus.

Circa Sepulchrum Domini, exstat Statua Friderici Abbatis, in cujus vestimenti Fimbriis pariter sculptum reperitur

Abbas FRIDERICUS Prædecessor HERMANNI Abbatis.

Vetus

Vetus eſt Traditio, & adhuc Lapidum Fragmenta hinc & inde diſperſa teſtantur, Offonem inter hos duos Abbates Sepulturam ſuam habuiſſe, cui ſuperpoſita erat ejus Statua Regio Ornatu, nunc verò Offonis Locus vacuus cernitur; dicuntur Kenzingenſes & Endingenſes hujus Sacrilegii Authores, unde Jurgia & Lites, de quibus infra ſub Rudolfo II. Abbate.

Albertus Scultetus de *Malberg* & Heredes & uxor ejus donant Hermanno Abbati tria quartalia Siliginis & totidem hordei in Rudgersvveiler Anno MCCLXXIII.

Rudolfus Epiſcopus Conſtantienſis, perpendens Paupertatem Monaſterii, incorporat Parochiales Eccleſias ſuæ Diœceſis Wipprechtzkirch & Baldingen inferiorem, conferendo etiam Monaſterio Jus Patronatus conſentiente Præpoſito & Capitulo. *Datum Conſtantiæ Anno* MCCLXXVI. VI. *Id. Auguſti*. Has donationes & Incorporationes approbavit poſtmodum NICOLAUS III. Pont. Max. per Bullam *datam apud Urbem veterem* XII. *Kal. Julii Pontificatus ſui Anno* III.

Ludovicus Nobilis de *Tierſberg* conſentiente, approbante Cunrado Epiſcopo Argentinenſi, cujus erat Nepos ex Sorore ſua N. *Helck* donat Monaſterio Curtem ſuam in Frieſenheim Anno MCCLXXIX.

NICOLAUS IIII. Pontifex per ſpecialem Bullam *datam* IV. *Non. Octob. Reatæ Anno Pontificatus ſui* II. noſtrum Monaſterium in Protectionem S. Petri recipit & omnia Privilegia noſtra confirmat.

Ego NICOLAUS *Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.*
Ego Frater LATINIUS *Oſtienſ. & Vercellenſ. Epiſc.*
Ego GERARDUS *Sabvienſis Epiſcopus ſubſcripſi.*

Hoc Privilegium poſtmodum ſub Abbate *Joanne Armbroſter*, Confirmatum fuit in Concilio Baſilienſi Anno MCCCCXXXIII.

Conradus de *Liechtenberg*, Epiſcopus Argentinenſis authoritate Nicolai Papæ IIII. Eccleſiam Frieſenheim Monaſterio noſtro incorporavit. Anno MCCXC. cui acceſſit conſenſus & Ratihabitio *Gerardi* Archi-Epiſc. Moguntini.

Berchtoldus de *Vttenheim* providus Cellarius hujus Monaſterii, de quo ſub *Rudolfo* I. Abbate egimus. Obiit Anno MCCLXXXIIII. IIII. Idus Auguſti. Ejus Epitaphium ſic habet:

Presbyter & Monachus, Bertholdus, *hic eſt Tumulatus*,
Cujus erat vita ſacra, morum flore polita,
Ipſe fuit ſtrictus, ſibi quod juſſit BENEDICTUS.

Nunc de Tranſlatione Sanguinis Domini Noſtri JESU CHRISTI, quæ facta eſt ſub Abbate Hermanno, de qua exſtant hi verſus:

Bis ſexingenti, decies ſex, octoqué, CHRISTI
Exſtiterant Anni, medio ſub menſe Novembri;
HERMANNUS, *Guttas quod* CHRISTI *Sanguinis, Abbas*
Ex Argentina tulit in Schutteram; ſimul unà
Crinem MARIÆ: *Flexi Precibus tribuêre*
Guttas, Majores Fratres, Crinemque Minores.

Anno Domini MDXXIII. *Joannes Freyburger*, quia ibidem natus, Cuſtos, deinde Prior factus Schutteranus, hos verſus excerpſit ex quodam vetuſto pergameno Codice, qui veterum Monachorum Mellicenſium exactam diſciplinam continebat, aliáſque Antiquitates notabiles & perutiles; ſed ſtatim ſubſecuta inaudita Seditio & Factio Ruricolarum, eundem Libellum & reliquos pene omnes diſcerpſit, perdidit & annihilavit, totúmque Monaſterium ex amuſſim ſpoliavit & oppreſſit, dicebatur Tempus ſeu Bellum Ruſticorum. Cuſtodi ergo hos verſus, & hoc, quod ſequitur.

„Frater Joannes de Ordine Theutonicorum DEI Gratia Epiſcopus Laconienſis, „omnibus Chriſti Fidelibus præſentium Inſpectoribus, pacem in Domino ſempiternam: „quia ſecundum Verbum Sapientis, in Theſauro abſcondito nulla eſt utilitas, & ſecun-

„dum Verbum Evangelicum Lucerna super Candelabrum est ponenda, non sub Modio „Nos pretioso & incomparabili Thesauro, ad quem nec Cœlestis, nec Terrestris Crea„tura, potest nec debet aliquatenus comparari, videlicet pretioso Sanguine Salvatoris „& Domini Nostri JESU CHRISTI apud Monasterium dictum Schuttern Ord. S. Be„nedicti Argentinensis Diœcesis considerato venerabiliter & inspecto; cogitavimus „Omnium Christi Fidelium mentes ad præfati Sanctissimi Thesauri Venerationem & „Reverentiam de cætero provocare, dantes Universis, qui ad respectum tam incom„parabilis Thesauri ad Locum præfatum devotè venerint, & Domini Nostri JESU „CHRISTI Clementiam humiliter imploraverint Centum dies criminalium & annum „venialium Indulgentiam, & hanc Indulgentiam de consensu Reverendi Patris ac „Domini Cunradi DEI Gratia Argentinensis Episcopi ratam & approbatam sicut in „suis patet instrumentis universi noverint. Datum Anno Domini MCCLXXXVIII. „in die Beati Bartholomæi Apost. Hermanno Abbate præfati Loci.

Cunradus *Sumehardt* Doctor Tubingensis hic apud Nos sepultus ante Chorum, Anno MDII. XIII. Kal. Novemb. in suo Tractatu de *Sanguine* CHRISTI, enumerando Locos, ubi de hoc prætiosissimo Sanguine, Particulæ asservantur, testatur vidisse se in Carthusia Boni-Lapidis Diœcesis Constantiensis partem panni Linei valdè tenuis & subtilis, quam Patres dicebant esse de Peplo MARIÆ Virginis, & in eo apparebant Guttæ Sanguineæ Redemptoris Nostri, hoc Donum acceperunt à Mechtilde Archi-Ducissa Austriæ, quæ illud multis precibus ab Alberto Principe Conthorali suo impetraverat.

Præfuit autem Hermannus de Burner Abbatiæ Annis XXXIII. Mense I. Diebus X. Obiit Anno Domini MCCXCV. XV. Cal. Junii. Hic fuit verus Amator Religionis.

Numerantur ex sua Familia plurimi Benefactores, quorum aliquos, prout in Libro Animarum reperiuntur, hic apponimus.

XIV. Calend. April. Obiit *Wernherus* Miles de *Burner*, qui dedit nobis XIII. pecora, Equos & Boves, cum Veste sua, & duo Quartalia Siliginis in Anniversario suo.

XI. Calend. April. *Henricus* Miles de *Burner* Legavit Curiam suam in Almersvveyler.

XVII. Calend. Maj. *Bernhardus* Armiger de *Burner* Legavit nobis XIII. Denarios annuatim.

III. Idus Augusti. *Clementia* de *Burner* Mater Hermanni Abbatis, dedit II. Quartalia Siliginis in Almersvveyler de Curia, quæ dicitur Althoff.

XVI. Calend. Januar. *Wernherus* Miles de *Burner* dedit Quartale I. Siliginis & I. Tritici in Schoffen annnuatim.

V. Calend. Januar. *Uta* de *Burner* dedit duo Quartalia Siliginis annuatim.

IIII. Non. Januar. *Clementia* de *Burner*, quæ dedit annuatim duo Quartalia Siliginis in Waffelzvveiler & Pallium suum, cum Psalterio.

Non. Februarii. *Scholastica* de *Burner*, Legavit nobis duo Quartalia Siliginis. Anno MCCCXLIX.

Rudolfus II. Eligitur Abbas Anno MCCXCV. Calend. Junii.

Conradus Episcopus Argentinensis, Ecclesiam in Ottenheim Matricem declarat, & Almansvveyler Filialem, Anno MCCXCVI. De his Ecclesiis sæpius invenies infra, usque ad Abbatem *Joannem Widel* Anno MDVIII.

Fridericus à *Lichtenberg* Episcopus Argentinensis, Redditus Capellaniæ in Friesenheim ordinat Anno MCCCVI. Hic obiit Anno eodem, die XX. Decembr. Sepultus apud Fratrem suum Episcopum Conradum, qui in Obsidione Friburgensi Interfectus est; tunc Dominium Dominorum de Lichtenberg transiit Anno MCCCCLXXX. ad Comites de Hannvv & de Bitis.

Joannes I. Episcopus Argentinensis, quem dicunt quidam ex Pago circa Esslingen natum, & Filium fuisse extra Matrimonialem; quisquis verò fuerit, constat Virum fuisse omni virtute & doctrinâ ornatum, hic Monasterio Schutterano XX. pondo seu Libras in Testamento suo Legavit.

Anno MCCCIIII. Lis, quæ versabatur inter Monasterium nostrum, & Oppidanos de Kenzingen & Endingen Ratione damni illati Lapideo Sepulchro Ottonis, componitur per Arbitros, compensativè in hunc modum:

Allen

Allen den, die diesen Brief sehent oder horent lesen thun kundt, wir Hug Herr von Issenberg, *Schulteys Rad und Gemeinde der Statt Kentzingen, so wir der Misshele so unser Herr Apt von Schutter und Convent, hatten wider uns, umb den Schaden der Inn zu Schutter im Closter und im Dorff beschach, sind khumen ahn die Edlen Heinrich Marggrafen von* Hochberg, *und Herrn Walthern von* Geroltzeck *Schidlute, und han uns geschiden also, das wir dem Apt zu Schutter, und dem Convent die Freiheit han geben das ir Lib Guett freylich soll faaren uff und ab in unser Stat zu Kentzingen, und davor vo unser Gebot gereichen mag, wan sie wollen, ir Guett ahn allen Zoll, und soll sie einricher Gebott, einricher Gesatz die wir jeznnder han, oder hernach mochten machen, irren. Zu Erkundt han wir Hug, Schulteys, Raht und Gemeind, diesen Brief mit unsern der vorgenanten Herren besigelt &c. Actum Anno MCCCIIII.*

Cunradus Comes de *Haburg*, & sui Hæredes jurant promissione fideli, non molestare Abbatem in Curia & Parochia Wipprechtzkirch Anno MCCCXXVII. dodem tempore fuerunt Domini Consanguinei de Claro-Monte, qui vocabantur Comites Friburgenses.

Desolatio Monasterii Schuttern! sic enim scribitur pro Parochiali Ecclesia Kondringen incorporanda; quod Schutteranum Monasterium propter Discordias, & incursus Hostiles Nobilium & Potentum, diversorum etiam Raptorum & Persecutorum, præcipuè Fautorum Ludovici de Bavaria damnati, adeò attenuatum existat in substantia usque ad penuriam cedrosam, quod dicti Abbas & Conventus, devenerunt in pulverem Paupertatis, nec habeant unde valeant sustentari, dicunturque ex nimia Necessitate coacti, Monasterio derelicto, per alienas partes miserabiliter mendicare; quare supplicant JOANNI Papæ XXII. pro Kondringen incorporando, quod tandem factum est Anno MCCCXXXII. Interim obiit Rudolfus II. Abbas Anno MCCCXXVII. VI. Idus Martii.

(c)

V.

NECROLOGIUM LAURESHAMENSE.

JANUARIUS.

Kal. *Rathmari* Laici. Hic dedit Nobis Vineam in Heiningesbach.
Elysabeth Conversa.
Gerdrud Laica.
Griso Laicus.
Wernheri Rasoris Nostri de Heppenheim, qui dedit Nobis X. solidos Hallens.
Sigifridus Puer & Acolyta.
Wernheri Subdiacon. & Can.
* *Jodoci* Presbyteri de Peddetsheim hujus Loci Canonici.
IIII. Non. *Richuvini* ex Laico Mon.
III. Non. *Gerburdis* Laica, hæc dedit II. Vineas in Heppenheim.
Mechtildis Conversæ.
Eburhardi Laici, hic dedit nobis Jugerum Vineæ.

Hartlibi Militis & Laici.

* *Wernheri* dicti *Stechelin* de Heppenheim, qui dedit Conventui nostro Vineam suam.

II. Non. *Henrici* Presb. & Mon. hujus Congregationis & Inclusi; hic fecit Subtile candidum, Auro texto peromatum.

Herbordi Laici; hic dedit Vineam unam in Weinheim.

Hanimanni Laici Civis Wormatiensis; hic dedit Nobis Horreum suum, cum Horto adjacente ante Portam Judæorum, & Curiam suam in Herlesheim cum aliis pertinentiis.

Non. Jan. *Berrngeri* & *Godeberti* Presbyt. & Mon. hujus Congreg.

Gudelmanni Conversi nostræ Congreg.

Gerdrudis Laicæ de *Starkinberg*. Hæc dedit Nobis XL. maldra Siliginis.

Cunradi Laici. Hic dedit Nobis dimidiam Carratam Vini & II. Libras Hallens.

Reynhardi Conversi Nostræ Congreg.

Nicolai Præpositi hujus Loci.

VIII. Idus. *Henrici* Conversi & Mon.

Berthæ de *Roden* Familiaris Nostræ, quæ dedit X. sol. Hallens.

* *Petri* Sacerdoris de Vlveresheim Canonici hujus Loci.

VII. Idus *Willeburc* Laica; hæc dedit in Walcheim Prædium suum, ut Fratres exinde quot annis, in die Obitus sui plenum habeant servitium.

Cunradi Conversi hujus Congregationis dicti de *Turri*.

Friderun Laica; hæc dedit Vineam in Benesheim.

* *Elfe* & *Grete* Monialium in Schebach.

VI. Idus. Conversi *Jordanis*, qui Legavit annuatim Conventui Libram Hall.

Stephani Conversi & Mon.

Werndrut Familiaris, quæ contulit Nobis Libram Hallens.

Adetheidis Familiaris Nostræ, de Heppenheim.

Wigandi de *Muntebur* Prebendarii Nuhusensis, qui dedit Ecclesiæ XX. mald. Silig.

V. Idus. *Stephanus* Presbyt. & Mon.

Hezelonis Canonici S. Martini Wormat. qui contulit Ecclesiæ Nostræ LIII. Jugera Agri.

Gerdrudis Laicæ.

IIII. Idus. *Giselberi* Laici, hic dedit Vineam in Husin.

Meginlaici Laici, hic dedit Nobis Talentum.

Hugonis Laici de Lampertheim, qui dedit Conventui duas Libras Hallens.

* *Georgii Rorbach* Canonici hujus Congregationis.

Joannes de *Grunavv*, Germanus ejus *Georgius*, Soror *Elisabeth*, dederunt Albam S. Nazario in Remed. Animar. suar.

II. Idus. *Wernheri* Episcopi Mersburgensis, hujus Petitione, Natalis S. *Maximi* Festivè apud Nos celebratur, & eadem die Fratribus ex ipsius Traditione plenum servitium datur.

Elsæ Laicæ.

Idus Jan. *Karuli* Imperatoris, hic Nobis Privilegium Libertatis & Curtem Indominicatam in Alesheym dedit cum appendiciis.

Petri

PETRI Decani Ecclesiæ Nuehusens. qui dedit Nobis duos Jurnales Vineæ in Hentschuhisheim.

Rudolfi de *Benesheim*, Coloni nostri, qui contulit Conventui IIII. uncias annuatim super Area sua in Benesheim.

* *Johannis* Molendinatoris Familiaris Nostri.

XVIIII. Kal. Feb. *Anna* de *Vellenberg*, quæ dedit Nobis Calicem Argenteum ad Montem Omnium Sanctorum.

XVIII. Kal. *Greda VVobin*, quæ dedit Nobis unum flor. pro Remed. Animæ suæ.

XVII. Kal. *Liutheri* Presbyt. & Mon. hic dedit dimidiam Hubam in Phungestat, XXX. denarios Fratribus persolventem in Festivitate S. Stephani Proto-Martyris.

Elisabeth de *Michelstat* Uxor *Martini* quondam Cellerarii in Heppenheim, quæ dedit sex flor. ad Reformationem magnæ Crucis.

XVI. Kal. *Wernheri* ex Laico Mon.

Heytlindis Laicæ.

Richardi Plebani in Richenbach, qui legavit Conventui X. Uncias Hallens. super dimidia Huba in Elmanshusen.

XV. Kal. *HATTONIS* Archi-Episcopi ex Abbate nostræ Congregationis, Hic Sancto Nazario Virnheim, Riamnis, Wibilinga acquisivit.

XIII. Kal. *LUDEVVICI* Regis. Hic Sancto Nazario Prædium suum dedit in Scarra, Sunthove, Dienenheim.

Adelberti Laici. Hic dedit Vineam I. ad Capellam S. Michaëlis in Cella.

Drutvuibis Laicæ.

Luckardis, *Mechtildis*, *Juttæ* Laicarum.

Cunradi Laici.

XII. Kal. *Burchardi* Laici. Hic dedit Fratribus vineam I. in Virnheim pro se & Parentibus suis, ut inde Fratres habeant servitium.

Giselberti ex Laico Mon. Hic contulit huic Monasterio, centum Marcas puri Argenti, pro quibus obligavit nobis hæreditatem suam, scilicet Curiam, in qua ipse manebat cum suis pertinentiis, dimidiam Hubam Conradi cognomento *Cancum-Curtim* & suis pertinentiis. Hubam in Conzenbach, cum suis pertinentiis, præterea quidquid Rerum mobilium habere videbatur, moriens secum ad Monasterium contulit, absolutas etiam vineas, & quasdam in pignore obligandas nihilominus contulit.

XI. Kal. *Bertholdi* Laici.

Hedevvigis Conversæ.

Reginfridi Laici, Hic dedit Nobis Marcam.

X. Kal. *OTTONI* Imperatoris, hic Nobis Privilegium Libertatis dedit, & Mercatum in Wizenloch, Steinc, Wirlheim & Monetam in Brumat.

VVernheri Presbyt. & Mon.

Herradis Laicæ.

VIIII. Kal. *Adalberti* Laici. Hujus Frater *VVernherus* pro se, suisque Parentibus, & ambobus Fratribus, & Sororibus, dedit Hubam in Buobinesheim VI. uncias in Epiphania Fratribus persolventem, & insuper IIII. Jurnales in eodem Loco sibi oppignoratos pro uno Talento, ea ratione ut aut ipse, aut Repetitor eorundem Jurnalium, Fratribus rependat Talentum.

VIII. Kal. *Ebirhardi* Laici.

Bezechæ Laicæ.

Hermanni Laici. Hic constituit X. Urnas vini in Urebach in Anniversario ejus Fratribus ad Caritatem.

VII. Kal. *Landoldi* Militis.

Gernoldi Laici, hic dedit Nobis VIII. Jugera agri in Ludenbach Superioti.

Elisabeth Sororis nostræ Congreg.

JOHANNIS de *SPANHEYM* quondam Præpositi hujus Loci, qui fideliter Rexit Ecclesiam Nostram.

VI. Kal. *JACOBI* hujus Ecclesiæ olim Præpositi, *Jacobi* & *Alheidis* Parentum suorum, in quorum Anniversario Conventus habet IIII. Libras.

V. Kal. *KAROLI* Imperatoris. Hic Locum nostrum de Libera manu in Regalem Mundeburd. suscepit & cum Privilegiis sublimans, Oppenheym & Heppenheim & vineam in Hostetin cum omni Integritate Liberali manu tradidit.

VOLCMARI Abbatis.

WERNHERI Comitis. Hic Bybiloz cum Ecclesia & Zullistein cum Portu, & omni integritate, & XCV. mancipia dedit & Prædium suum in Wattenheim, & Vineam in Weinheim.

IIII. Kal. *Berolfi* Pueri.

Machtildi Monialis.

VOLMARI Abbatis Hirsaugiens.

Ludgardis Sanctimonialis in Steinbach.

ALEHOLFI Abbatis Fuldensis.

III. Kal. *Arnoldi* Laici. Hic dedit Nobis Carratam vini.

* *Grede* de *Hochhusen* Monialis in Steinbach.

II. Kal. *Henrici* Conversi.

Hermanni Mon. & Inclusi.

RUPERTI Senioris Comitis Palatini Reni. Sacri Romani Imperii Electoris & Bavariæ Ducis, qui Nobis Benevolè & gratiosè Oblationes suas & Offertoria sua Personaliter obtulit & præsentavit ad Montem Omnium Sanctorum, in Festo eorundem singulis Annis, & Eo Absente Nobis dari & præsentari postergato omni Subterfugio disposuit, & curavit, vita dum præsens, vegetavit ejus Corporis artus.

FEBRUARIUS.

Kalend. *Henrici* & *Dauconis* Presbyt. & Mon.

Craftoni Militis, qui dedit Nobis Libram & *Sevelingis* Uxoris ejus.

Nicolai Molitoris de Heppenheim Confrater Noster, qui multa Bona fecit Monasterio Laurissensi.

IIII. Non. *CUNRADI* Regis.

Juttæ Laicæ.

Johannis & *Margaretæ* ejus Legitimæ, qui tradidit Ecclesiæ Crucem, quæ venit ab Alexandria, & crevit ibidem in Terra.

III. Non. *Dudelini* Conversi & Mon.

Swikeri Armigeri de Castro Heidelberc.

Ber-

Bertoldi & Basiliæ de Winheim.
Nonas. Bervvelfi Presb. & Mon.
Theodorici Conversi.
Reginbodonis Laici.
Adelheidis de Oppinheim.
Elisabeth de Stralenberg, hæc Legavit Conventui XL. mald. Silig.
VIII. Idus. GODEBOLDI Comitis Junioris, hic dedit Vineam I. in Bensheim.
VII. Idus. SAMUELIS Episcopi & Abbatis.
Cunradi Laici.
CUNEGUNDIS Reginæ; hæc dedit Gingen ex Integro.
CUNEGUNDIS Abbatissæ.
Henrici de Narheim Armigeri.
IIII. Idus. REGINNOLDI Sacerdotis & Abbatis.
Godescalci Laici.
Rudegeri dicti Schellenbuch Armigeri de Heppenheim, qui Legavit Nobis Arma sua & Omnia Bona sua in Heppenheim sita;
Hedevvigis Legitimæ ejusdem.
Idus Feb. HELMERICI Abbatis. Hic Pavimentum stravit, & Ciborium à Domino Gedelando inceptum perficiens, cum Principali Altari, Auro & Argento decoravit.
XVI. Kal.Mart. Kunegundis de Aschaffenburg, quæ contulit Sancto Nazario X. flor. in Auro ad unam Monstrantiam, pro Remedio Animæ suæ suorumque Parentum.
XV. Kal. DRUTMARI Abbatis. Hic, istinc Prelatus Novæ Corbejæ, Congregationi, composuit Sermonem & Cantum in Honorem S. Nazarii.
CUNRADI Comitis,
Patri Laici. Hic dedit Nobis dimidiam Hubam in in Lampertheim.
Jacobi Plebani de Birstad.
Adelheidis Conversæ.
* Elsebuæ de Vinheim pauperculæ Mulieris, quæ legavit Nobis totum, quod habuit, & erat in valore X. Librarum.
XIIII. Kal. SIGIFRIDI Archi-Episcopi.
Anselmi, Gudæ Laicorum. Hic oppignoravit Nobis Res suas in Hemmingesbach CL. marcis.
XIII. Kal. Cunradi Militis.
Mathildis Hæc dedit Nobis Vineam in Winheim.
* Barba Laica de Waltmichelbach, quæ dedit Nobis Mappam.
XII. Kal. RUPERTI Comitis; hic fuit Maritus Dominæ VVillisvvindæ.
Ebbonis Conversi.
Hartlibi Laici, hic dedit Fratribus duo Jugera in Bubensheim.
X. Kal. Dudæ Laicæ. Hæc dedit Fratribus Stolam Argento textam.
Alheidis dictæ Giselherin quæ dedit Nobis vitulum.
Arnoldi Laici de VVinheim, qui Legavit Conventui nostro X. Capones & X. Solidos Hallens. & IIII. Jugera Agrorum in Heigenesbach cum consensu & Libera Voluntate Uxoris suæ.
VIIII. Kal. HEINRICI Præpositi Ecclesiæ Laurissensis.

Wernheri & Uxoris ejus.

Wolfhardi & *Gutæ* Uxoris ejus de *Cuingenburg*, hi dederunt annuatim IIII. maldra Siliginis,

Hermanni dicti *Longi*, qui contulit Nobis dimidium Jurnalem vineæ in Cuingenburg.

Idæ Laicæ de *Narheim* Filiæ *Arnoldi* Militis de *Stokheim*.

VI. Kal. HILDEGARDIS Cometissa de Kazzenelenbogen.

V. Kal. *Hermanni* de *Werle* & *Jutæ* Uxoris ejus in Bensheym, qui Legaverunt Conventui Nostro dimidiam Amam vini annuatim super Vinea sita in Heppenheim, & quando prædictum vinum non datur, tunc prædicta Vinea ceder Conventui Nostro liberè & solutè.

IIII. Kal. SALEMANNI Abbatis. Hic Nobis Privilegium Libertatis à Tribus Romanis Pontificibus BENEDICTO, JOHANNE, GREGORIO expetiit & Strata pavimenti perfecit, & Moralia in tribus Voluminibus complevit, & ut de reliquis taceamus, scilicet duobus Nolarum circulis, tribus Libris, Ciborio, Cruce magna, quæ omnia velut alter Salemon puro vestivit auro, solam Altaris Tabulam fecit XXXII. Talentis purissimi Auri obrizzatam, & CCC. Lapidibus decoratam. *Egilolfi* Mon. & Diac. Hic dedit Nobis Bibliothecam in uno Codice. Duas Carratas Vini. Talentum Argenti & Casulam.

II. Kal. CANCURI Comitis.

ANGILÆ Comitissæ. Hæc Uxor Filii Dominæ WILLISUVINDÆ Sancto Nazario omnem Dotem suam in Byrstat. dedit.

Obiit PHILIPPUS Comes Palatin. Reni. Dux Bavariæ S. R. Imp. Princeps, Elector, Archi-Dapiferque.

MARTIUS.

Kal. Hac Ebdomada celebrabitur Memoria Parentum Fratris *Joannis* de *Wormatia* videlicet *Hartungi*. *Demudes*. *Alheidis*. A quibus Conventus annuatim habet XII. mald. situs.

Wernheri Laici. Hic dedit unam Hubam in Waltenhuson & duas partes Ecclesiæ in Berebach Superiore.

GEBEHARDI Episcopi & Abbatis.

V. Non. *BERTOLFI* Comitis.

Joannis Cantoris Eccles. S. Martini Wormat. & *Joannis* Plebani in Morlebach, ambo de Lanisheim, qui Legaverunt Conventui II. Libras Hallens. in Anniversario suo.

IIII. Non. *Heinrici* Militis, hic dedit nobis XX. Jugera agri in Rorheym. majore,

III. Non. *RUTGANGI* Archi-Episc. Metensis. Hic Locum nostrum primus fundans, Fratri suo GUNDELANDO commisit & B. Nazarium Nobis Patronum adduxit.

BURCHARDI Abbatis.

Friderici Laici. Hic dedit Nobis alterum dimidium Jurnalem agri in Rorheym minori.

Gozdrudis Laicæ.

Lipmudis Laicæ.

Cunegundis Conversæ.

Lisæ Laicæ, de *Stockheim*, quæ legavit Nobis duos Jurnales Vineæ sitos in Heynesbach.

II. Non.

II. Non. *Volquini* Conversi.

Heydevvigis dictæ de *Kranvvelsen*, quæ Legavit Conventui Libram Hallensium.

Dyemonis Laicæ de *Rorheim.*

Non. *Friderun* Conversæ.

Budæ Laicæ, hæc dedit Nobis pallam Altaris.

VIII. Idus. *Cunradi* Dapiferis de *Starkenberg*, qui contulit Ecclesiæ Equum suum & Arma sua.

Hernesti Laici. Hic dedit Nobis III. Hubas in Altorf cum omnibus appendiriis suis.

VII. Idus. SIFRIDI Archi-Episc. Mogunt.

Folmari Sacerdotis.

Willeburgi Conversi. Hic dedit Fratribus IIII. Uncias in Anniversario suo.

VI. Idus. FRIDERICI Presbyt. & Abbatis.

Basiliæ Laicæ, hujus Maritus *Burkardus* dedit Nobis V. Jurnales Agri in Rorheym majore.

V. Idus. *Adelberti* Militis.

Luzvvib. Laica, hæc cum Viro suo *Heinrico*, Vineam unam in Hemysbach Fratribus dedit eo tenore, ut singulis annis, quousque vixerit, in palmis unciam solvat, & post mortem amborum, ex integro ad utilitatem Fratrum veniat.

IIII. Idus. HULABERTI Abbatis. Hic Domino *Reginbaldo* Substitutus, Cognatos suos plus æquo dilexit, & prædia Monasterii scilicet Hugenheim, Crustilla, Gronovva, Ludenbach, Sahsenheym, Buritelden, Heidebach, & vineas in Dossenheim. . . .

Ortrudis Laicæ.

Mahtildis Conversæ.

II. Idus. EINHARDI Abbatis; hic Sancto Nazario Cellam Michilinstat cum C. Mancipiis & Omni Integritate dedit.

Id. Mart. *Crafftonis.* Hic dedit Nobis Vineam in Heimmingesberg.

Hic celebratur Obitus Omnium Benefactorum.

XVII. Kal. Apr. *Henrici* Laici. Hic dedit dimidium Jugerum Vineæ in Heppenheim.

Geruvvin Laicæ. Hæc dedit in Sahsenheim duas partes Ecclesiæ. Hubas XI. Mansos V. Nemus dimidium. Molendinum I. XL. Jugera Vinearum & XI. Jugera de prato & mancipia XXX.

Hartmanni de *Cronenberg*

XV. Kal. *Symonis* Laici. Hic dedit vineam in Heppenheim.

Henrici & Uxoris ejus *Gutæ.* Hi dederunt XI. Uncias ad Calicem.

Guthæ Sanctimonialis.

XII. Kal. *Lutheri* Laici, hic dedit Curtem in Liuthereshuson, cum Ecclesia & omnibus ad eam pertinentibus, & in Confinibus Locorum, Hubas XLVIIII. & dimidiam. Jurnales XVI. Vineas III. Molendina V. & centum & duo mancipia absque Filiorum Numero.

XI. Kal. * JOANNIS LINCK olim Præpositi, qui multa Bona fecit Monasterio, piæ Memoriæ, qui etiam comparavit Librum *Catholicon* pro V. florenis.

IX. Kal. *Wernheri* Laici, hic pater *Gerardi* Senioris, dedit Hubam in Waldorfeshufon in usus Ecclesiæ persolventem I. Talentum.

VII. Kal. HEINRICI Abbatis.

Conradus de *Dudenburch* pro Remedio Animæ, Vineam in Urbach dedit.

* *Joannis Bache* Armigeri de *Mumelingen* & *Elisabeth* Uxoris suæ, qui dederunt II. solid. perpetui Census in Anniversario eorum.

VI. *Ezzoni* Militis ex Laico Mon.

Moda Laica, hæc ejusque Maritus *Engilhelmus*, præter unam Puellam excipientes de suis Rebus, omnia, quæ habuerunt, S. Nazario tradiderunt.

GERDRUD Abbatissa.

V. Kal. OTTONI Abbatis.

Eberhardi & *Mezze* Laici, Ortolani nostri.

IIII. Kal. *Ertmari* Laici, hic dedit Nobis Curtem in Lorsa, de qua dabuntur XXX. Denarii.

Gertrut, hæc dedit Vineam in Winheim.

III. Kal. *Mergoti* Laici. Hic dedit Nobis Equum.

Gerhildis Inclusæ.

Herbordi Conversi. Hic dedit IIII. Hubas in Gernsheim pro se & Uxore sua.

II. Kal. *Hedvvigis*, *Alheidis*, *Werendrudis*, *Irmele*, hæ dederunt Nobis Psalterium.

Tulmanni Laici ac Familiaris Nostri, Civis Wormatiensis, hic cum Uxore sua *Gudela*, dederunt Conventui Nostro Omnia, quæ habuerunt, & Jurnalem vineæ in Heigenesbach, ac domum specialem dictam ad Tiliam in Wormatia.

APRILIS.

IIII. Non. Commemoratio Domini WERNHERI Archi-Episcopi Moguntini.

Gumbirn Laica, hæc dedit Nobis Vineam in Heppenheim.

Non. Ap. CUNRADI Præpositi hujus Ecclesiæ, qui bene fecit huic Ecclesiæ.

VII. Idus. BOBBONI Abbatis. Hic Calicem Magnum Aureum cum patena, & Stolam Auro textam fecit.

VI. Idus. *Buoto* Presb. hic Casulam candidam, & Stolam Auro textam dedit, & multa alia intrinsecus & extrinsecus ad Ecclesiæ Ornatum simul & Utilitatem fecit.

V. Idus. *Adalberi* Presb. hic dum Scolis Nostris præfuit, Libellum de Miraculis Sancti Nazarii composuit.

Arnoldi Laici, hic dedit Nobis Vineam I. in Heningesbach.

IIII. Idus. *Wiberti* Laici, hic dedit dimidium Jug. Vineti in Henningesbach.

Helevvici ex Laico Mon. hic dedit dimidiam Hubam in Heppenheim.

II. Idus. *Symonis* Laici de *Saraponte*, Bonæ memoriæ.

Idus. Ap. *Petri* Archi-Presbyt. de Bensheim.

Hildegundis Laicæ de *Bensheim*.

Ulmi Portarii, qui dedit Nobis I. florenum.

XVIII. Kal. Maj. GERTRUDIS Reginæ.

Gudæ Conversæ.

Johannis

Johannis Laici Bonæ memoriæ, ac Specialis Familiaris Nostri, qui vivens Conventui bene fecit, & post Mortem XIIII. Libras Nobis dedit, ad emendum perpetuam Pensionem.

XVII. Kal. *Ingrammi* Laici. Hic dedit Vineam I. in Henningesbach.

XVI. Kal. *Engilfridi* Conversi.

Edelindis Laicæ.

Dinevvibe Conversæ.

XV. Kal. Bertoldi Comitis Junioris.

Matheldis Laicæ, quæ dedit Nobis dimidium Jugerum Vinearum & Mantellum unum.

XIIII. Kal. Hic Obitus Sancti Leonis PP, hic Leo PP. XVIIII. Kalend. Novembr. consecrans Variam Ecclesiam cum Villa Bettenkircha dotatam, interdixit, ut nullus exceptis Fratribus nostris ad medium Altare Missam caneret, nisi prius Licentiam ab Abbate vel Decano acciperet.

Godeboldi Comitis.

XII. Kal. *Godefridi* Armigeri de *Lichen.*

XI. Kal. Berngeri Sacerdotis & Abbatis.

Victoris PP. III.

Arnoldi Militis de *Stockheim*, qui Legavit Nobis Arma sua & Balteum unum, & II. Jurnales Vineæ sitos in Heimbach.

X Kal. *Hugonis* Militis, hic dedit Vineam I. in Winheim, & Uxor ejus *Frowecka* Calicem argenteum.

Bertholdi, ex Laico Mon. hic dedit Nobis Hursnium & Equum, & Balteum unum, & Arma sua.

Dineburgis Conversæ, hæc dedit Nobis velum circa Altare.

Elisabeth de *Menboteshcim*, quæ dedit Nobis Vineam apud Rivum Wantphach sitam.

VIIII. Kal. *Mergardis* de *Winheim*, quæ Legavit Ecclesiæ XII. Jugera Agri minus quartali, & I. Jug. Vinearum & Domum, de qua X. Solidi, & Hortum, de quo II. solidi dantur annuatim Conventui nostro.

Thillemani Filii Scuteti de Laurissa, qui legavit Nobis Arma sua & XLIIII. Hallens.

VIII. Kal. *Gerhardi* Militis, hic dedit in Leunheim III. Hubas persolventes octo uncias & I. Vineam tantæ Fertilitatis, ut olim Sacramento confirmatum sit, quod decem Carratas daret.

VII. Kal. Hermanni Abbatis.

Gundelahii Laici, hic Fratribus Vineam unam in Winheim contradidit.

Wernheri Militis de *Birgenstat.*

* *Joannis* quondam Coci Domini Præpositi, qui dedit Conventui omnia Bona sua, & hoc erat in valore XII. Librarum.

VI. Kal. *Friderici* Laici, hic dedit Nobis Vineam unam in Heiminesbach.

Gudæ Sanctimonialis.

* Johannis Amelle quondam Præpositi Ecclesiæ Laurissensis.

* *Ulrici* de *Lindenfels* Militis, ac *Cunegundis* ejus Legitimæ, hi dederunt Ecclesiæ duas Vineas, in Hemmesbach unam, & aliam in Ludenbach, cum uno Prato, & centum Libras Hallenses.

IIII. Kal. Adalberti Episcopi & Abbatis, hic Gernheym ex Integro dedit.

III. Kal. RAFFOLDI Comitis, hic Totum, quod habuit, in Winheim dedit, cum XLIIII. Mancipiis.
Raffoldi Laici, hic etiam Prædium suum dedit in eadem Villa & VI. Mancipia.
Waltheri Laici de *Stockheim.*
Alheidis Uxoris *Gerlaci* de *Heppenheim*, qui ibidem pariter tradiderunt Ecclesiæ, Omnia, quæ habuerunt.

II. Kal. *Henrici* Laici & Militis.
HILDEGARDIS REGINÆ.
Ludevici quondam Sculteti in Laurissa, qui dedit Conventui VII. Uncias Hallens. & V. Cappones super Domum Lapideam & Hortum ibidem.

MAJUS.

Kal. *Mechtildis* Laicæ, hæc dedit partem Vineæ in Benheim.

VI. Non. *DIEMONIS* & *UDALRICI* & *BERTOLFI* Abbatum. Hi Monasterium consecrare fecerunt.
Geroldi Senioris, Hic Nobis Equum dedit.
Machtilidis Conversæ.

V. Non. *Burchardi* Militis, ex Laico Mon. & Subdiac.

IIII. Non. *MAZELINI* Presb. & Abbatis Butensis.
Goteberti Laici. Hic dedit Vineam I. in Heimenesbach.

III. Non. *Wilhelmi* dicti *Straz* Decani Ecclesiæ S. Victoris extra Muros Moguntinenses, qui contulit huic Ecclesiæ pretiosum Ornatum, cum omni suo Apparatu, & cum hoc donavit XL. florenos in Auro, pro una Cappa serica, ob Remedium Animæ suæ, & Omnium Parentum suorum.

Non. Maj. *OTTONIS* IMPERATORIS. Hic Nobis Privilegium Libertatis dedit in Heimesbach, & XXX. Hubas in Bruomath, & Mercatum in Wizzenloch: Hic etiam constituit, ut inter Ministeriales & Familiam in Bruomath compositio, quæ vulgò dicitur *Wette* in qualicunque causa, non nisi ad IIII. Denarios illius monetæ procedant.

VIII. Idus. OGONI Abbatis. Hic Nobis Privilegia Libertatis à Romano Pontifice LEONE impetravit, & omnimodis Fratrum Utilitatibus prospiciens, verus Pater Monachorum & dici & esse curavit.
GEROLDI & FOLCNANDI Abbatum.
Heinrici de *Immehagenhove* in Moguntia, qui Legavit Libram Hallens.

VII. Idus. BRUNINGI Abbatis, Hic Ornatum Ecclesiæ in Cappis adauxit & Bettenkircha acquisivit.
Hildeberti Laici, hic dedit Vineam in Heimmesbach, de qua solvit Uxor sua VI Denarios dum vivit; ea mortua in usum Fratrum.
SYMONIS Episcopi Wormaciensis, qui dedit Nobis maldrum Papaveris, in Anniversario ejus super Hortum Tuliveschein, & IIII. Uncias.

VI. Idus. *Adelhardi* Laici; hic dedit Nobis Vineam in Heppenheim.

III. Idus. *Elisabeth* Conversæ.
Margaretæ Guesegerne, quæ dedit Nobis II. Pallas.
Getzen de *Lindenfels*, quæ dedit unam Pallam.

Id. Maj. *Hugoni* Sacerdotis. Hic dedit Nobis dimidiam Hubam in Herenesheim Fratribus persolventem XV. maltaria, ut Fratres exinde in die Obitûs sui habeant servitium.

Wernheri Scriptoris Wormatiensis Ecclesiæ, Familiaris nostri.

XV. Kal. Jun. *Anshelmi* ex Laico Monachi, hic primò Cellam Nuvenburg fundavit.

XIIII. Kal. *Hugoni de Lambertheim*, qui dedit Nobis Vineam in Heinengesbach.

XIII. Kal. RICHARDI Presbyteri & Abbatis.

XII. Kal. *Rentuvvini* Conversi.

Agnetis Sanctimonialis.

Alheidis Matris, & Familiaris Nostræ de *Sahsenheim*, quæ & sua dedit Monasterio Laurissensi.

* VLRICI dicti ECHTER olim Præpositi hujus Loci, qui multa Bona fecit huic Monasterio.

XI. Kal. *Berchtoldi* Laici. Hic dedit Nobis Vineam unam in Sundernbach.

Kraftonis Armigeri de *Suntheim*, qui dedit Nobis Equum & Arma sua.

X. Kal. * *Henrici* Armigeri de *Svvinheim* & ejus Legitimæ, qui vivente corpore, & sano, DEO & S. Nazario Omnia Bona sua immobilia Jacentia & situata in terminis Bensheim, in valore mille florenorum, liberè & matura Voluntate contulit, & dedit, ob Remedium Animæ suæ, & suæ Legitimæ.

VI. Kal. *Conradi* Laici. Hic dedit pro Remedio Animæ suæ, III. Jugera Agri in Rorheim majore, ea Conditione, ut Uxor sua quamdiù vixerit, persolvet in Festo S. Michaëlis Fratribus unum *Hatheil* Tritici & dimidium & si Heredes post mortem Uxoris dare neglexerint, Fratres exinde facient quod voluerint.

IIII. Kal. BABBONI Abbatis.

LUTFRIDI Abbatis.

III. Kal. *Wolfgangi* Militis.

II. Kal. *Ludevvici* Militis. Hic dedit Nobis dimidiam Hubam in Langvvandin.

Izmanni Laici. Hic dedit Vineam unam in Heppenheim.

JUNIUS.

III. Non. *Cunradi* Laici. Hic dedit Nobis Equum & Arma sua.

LUTGARDIS Comitissæ.

II. Non. CUNRADI IMPERATORIS. Hic dedit S. Nazario Omne suum Regale Jus, & Mancipia ad Sannita pertinentibus.

Adelrudis Laicæ, hæc dedit Nobis Vineam in Burckhelden.

Nonas. *Eingilfridi* Presbyteri, hic dedit Fratribus, Proprietatis suæ Villam Wizerichestal dictam, sitam in monte Burckhelden.

GODEBOLDI Abbatis S. MARIÆ Amorbach.

Ruberti Militis.

IIII. Idus. FRIDERICI IMPERATORIS.

Rudegeri Conversi.

Emichonis Laici. Hic dedit Nobis Equum & Arma sua.

Mergardis Laicà. Hæc dedit Nobis Uncias II. Hallensium.

II. Idus. . *Gudæ* Sanctimonialis.

Mechtildis, quæ viva, dedit Nobis Casulam.

Cunradi Laici; hic dedit Nobis Dimidium Jugerum Agri in Vurbach.

XVIII. Kal. Jul. GERHARDI Abbatis.

Bervvelfi Laici. Hic dedit Fratribus unam Vineam pro Remedio Animæ suæ, in Heimesbach.

Ludevvici Laici. Hic & Frater suus *Nibilunc* dederunt Nobis Pratum unum in Heppenheim.

XVII. Kal. HENRICI Primi Præpositi hujus Congregationis, de Ordine Præmonstratensium, & BURCHARDI tercii Præpositi ejusdem Ordinis.

XIIII. Kal. *Mechtildis* Laicæ, hæc dedit Nobis Jugerum Agri in Gernsheim, juxta Frenkenevelt.

Folmari Opilonis Nostri, qui Legavit Conventui Nostro VI. Uncias Hallens.

XIII. Kal. *Johannis* dicti *Neisegast*, qui Legavit Conventui in perpetuum XX. Maldra Siliginis super Bonis suis in Gernsheim sitis.

XII. Kal. *LUDEVVICI* IMPERATORIS; Hic Nobis Privilegium Libertatis & Lauginiga ex Integro, & Ecclesiam in Siggenheim dedit.

XI. Kal. *Agnetis* Familiaris & Hospitæ nostræ de Moguntia.

X. Kal. ADELBERTI Archi-Episcopi.

VVolframmi Laici. Hic dedit Nobis Hubam unam in Rorbach.

VIII. Kal. ARNOLDI Archi-Episcopi Moguntini.

VII. Kal. *ANHELMI* Abbatis. Hic Pater, in monte Habrahæ, pro desiderio Regni Celestis, & in augmentum Honoris hujus loci, novam Cellam construxit, & decem Fratribus necessaria sufficienter inibi acquisivit, & S. Nazario Optimam Cappam Auro textam condonavit, & Fratribus ad Karitatem Caratam vini in Festivitate S. Nazarii constituit, & dimidium Talentum in Festo Pentecostes, & maldrum Caseorum, & centum Ova & Talentum in Anniversario ejus contradidit.

V. Kal. *Lukardis* Laicæ de *Hemminingesbach*, quæ dedit Conventui Jugerum vineæ.

JULIUS.

Kalend. HEINRICI Abbatis.

Hartmanni Adolescentis de *Lampertheim*, quæ dedit Nobis duo Jugera Agri, & Equum.

Cunradi de *VVinheim* & Uxoris ejus *Adelheidis*, qui dederunt Albam.

VI. Non. *MEGINHARDI* Abbatis.

* *Hartmanni* Armigeri.

V. Non. *Engilmari* Laici. Hic dedit Nobis Partem Vineti Bennesheim.

Agnetis Dapiteræ de *VVinheim*, quæ dedit Nobis Albam.

IIII. Non. *Margaretæ* Laicæ, Uxoris quondam Domini *Hartmanni* de *Cronenberg* Burgravius in *Starkenberg*, quæ Legavit Conventui CC. Libras Hallens. pro Remedio Animæ suæ, & suorum Parentum videlicet *Cunradi* dicti *VVisriht*, & *Petrisse*.

III. Non. *Hadevvigis* & *Hazzegæ* Laicarum, hæ dederunt S. Nazario duas Pallas Altaris, & Mensale.

VIII. Idus

VIII. Idus Julii. *Friderici* Presbyteri & Abbatis.

Hartmanni dicti *Beyer*, Burgravii quondam in *Starkenberg* & *Grede* Uxoris ejus, qui dederunt S. Nazario Pannum de Genealogia & de Infantia Salvatoris ac de Paſſione ejus, & Caſulam, & prædicti Pannus & Caſula, ſunt in Valore XXXIII. florenorum.

V. Idus. *Herbordi* Militis de *Vrberg*, qui Legavit Nobis IIII. Maldra Tritici annuatim.

III. Idus. HEINRICI IMP. Hic Nobis Privilegium Libertatis dedit & Dittinesheim, Bannúmque Silvarum, & Mercatum in Oppenheim, & Edictum inter Nos & Wormaciam fecit.

II. Idus. SIGEHARDI Abbatis. Hic conſtituit Fratribus in Anniverſario ſuo, Octo uncias de Decimatione in Hantſchuesheim.

XVI. Kal. *Gerdrudis* Incluſæ.

XI. Kal. BERTHOHI Sacerdotis, & Abbatis Fuldenſis.

Bertoldi Laici. Hic dedit Nobis vineam in Hennesbach, in Monte, qui dicitur Alterberc.

IIII. Kal. CONRADI Abbatis.

III. Kal. ADALBERTI Abbatis; hic Fratribus ad Supplementum Servitii ipſorum in Julio, conſtituit annuatim dari Caritatem vini in Heppenheim, pro qua Dominus Abbas ANSHELMUS dedit vineam unam in Heppenheim.

Eliſabethæ Begginæ.

AUGUSTUS.

Kalend. GERBODONI Abbatis, hic Nobis Privilegium Libertatis à Romano Præſule SILVESTRO expetiit & Pavimentum usque in medium perfecit, & Utilitatibus Eccleſiaſticis ſollertiſſimè invigilans, Calicem magnum aureum, Lampadésque quatuor argenteas, aliáque perplura dando, Ornatus Eccleſiæ adauxit, & Ædificia quamplurima circumquaque Augmentavit & Conſtruxit.

IIII. Non. *Baſiliæ* Puellæ, hæc dedit ſex Jugera Agri in Winheim.

Nonas. *Stephani* Militis de *Cuvingenburg*, qui Legavit Nobis Bona ſua in Velden.

VII. Idus. HEINRICI IIII. IMP.

Judæ Sanctimonialis.

VI. Idus. *Wolframmi* hic dedit Nobis III. Jugera Agri in Superiori Rorheim, pro remedio Animæ ſuæ.

V. Idus. *CUNONI* Ducis.

III. Idus. *Thederici* de *Sahſenheim* Familiaris Noſtri, qui contulit omnia quæ habuit, Eccleſiæ Laurisheimenſi.

II. Idus. *Petri* Cerdonis & *Alheidis* Uxoris ſuæ, qui dederunt unam Albam & tres Pallas.

XIII. Kal. LUDOVICUS REX Junior. Hic in Winheim Hubas III. ex toto tradidit ſibique Sepulturam juxta Patrem in Eccleſia Elegit.

Idæ Laicæ, quæ Legavit Conventui Tunicam valentem IX. uncias.

XII. Kal. *Joannis* Præpoſiti de Wiſſetat, Canonici Eccleſiæ Moguntinæ, qui dedit Nobis Calicem argenteum.

X. Kal. ENGILBERTI Abbatis.

VIIII. Kal. ADALUNGI Abbatis. Hic auream Crucem cum præcioſiſſimis Lapidibus perornans, Altare Dominicum IIII. Tabulis argenteis incluſit, & alia fecit ejusdem Operis.

Eberhardi Laici, qui dedit Nobis omnia Bona sua in Agris, & Vineis, & de illis Bonis, dedit Conventui II. Jugera Vinearum.
Godefridi Sacerdotis in Florido Horto Professi; pro Reformatione hujus Monasterii huc directi.

VIII. Kal. *Arnoldi* Laici. Hic dedit Fratribus Vineam in Hemmesbach.
ELTSÆ Comitissæ. Hæc dedit Nobis Prædium II. Libras persolventem.
Conradi dicti *Echter* Armigeri, qui dedit Nobis X. flor.
Luckardis Laica, hæc dedit Nobis Vineam I. in Weinheim.

VI. Kal. GERLACI Præpositi hujus Congregationis.

V. Kal. LUDEWICI II. IMP. hic dedit Nobis Privilegium Libertatis, & Navim Wormaciæ, & Prædium suum in Schem, & Biekenbach, Cauben, Gozbodesheim, cum CXLV. Mancipiis.
Gyselberti Laici, hic dedit Jugerum Vinearum & Carratam Vini.

IIII. Kal. *Juddæ* Laicæ, hæc dedit Nobis Curiam in Bennesheim solventem XV. Denarios & II. Capones in festo S. Martini & V. Jugera Agri in Campo, qui dicitur Hegenheim.

III. Kal. *Godefridi* Stammelarii, dedit Nobis Equum.
WILLISUVINDIS DEO Sacrata. Hæc cum Filio suo CANCUR Comite, Prædium suum Laurissam, Archi-Episcopo Metensi Ruotgango, ad Instituendam Monachicam Vitam dedit, & Hagenheim ex integro, Mansumque unum in Moguncia cum V. mancipiis, & Basilicam in Scarra, cum XV. mancipiis, ad supplementum dedit.
Machtildis Laica.

II. Kal. *Wernheri* Conversi.
Gerhardi Militis. Hic pro se, & Patre suo dedit Hubas V. Areas IIII. virgales II. & vineam I. in Walahestat minore.
* PETRI Sacerdotis de LORCHE, quondam Præpositi hujus Ecclesiæ, qui multa Bona fecit huic Ecclesiæ.

SEPTEMBER.

III. Non. LIUTHERI Episcopi & Abbatis.
FRIDERICI Illustris Pueri. Hic Filius *Conradi* Palatini Comitis de Reno.
Cunonis Laici. Hic dedit Nobis Equum in prætio trium Talentorum.

II. Non. Hic celebratur Anniversarius quondam *Rudolfi*, qui fuit Pater *Gudelmanni* Archi-Presbyteri in Bensheim, de quo habemus post decessum ejusdem Gudelmanni V. mald. Siliginis.

Nonas. HEMIRCHONI Comitis; hic Filius *Cancur* Comitis; Facta de hoc Loco quasi hæreditaria Proclamatione in præsentia Magni KAROLI, abdicavit se de hoc eodem, visa & recognita Parentum Traditione; unde & apud Nos habetur certa Evindicatoria ab ipso Rege tradita.
Hartlibi Conversi, hic dedit Nobis Vineam in Winheim.

VIII. Idus. *Lukardis* Puellæ.
Demudis Laicæ, hæc cum Viro suo, dederunt Nobis II. Jurnales vineæ in Winheim.

VI. Idus. *Abbonis* Laici, hic dedit Fratribus vineam unam in Bennisheim pro Remedio Animæ suæ, & Velum bonum ad Ornatum Ecclesiæ.

IIII. Idus.

IIII. Idus. *MARQUARDI* Abbatis.

Eberhardi Laici. Hic dedit Nobis Vineam I. in Wÿnheim.

XVIII. Kal. Oct. *LULLI* Archi-Episcopi.

* Commemoratio *Hildegundis* quondam Beginæ Wotmacienſis, quæ fundavit Miſſam & IIII. Anniverſaria in Anno.

* Item *EBERHARDI* de *WASEN* Præpoſiti Lauriſſenſ. Eccleſiæ, qui multa Bona adminiſtravit huic Eccleſiæ.

XVII. Kal. *Walberti* Sacerdotis; hic Fratribus Hubam in Blanckeſtat dedit.

Sifridi Militis. Hic dedit Nobis Militaria Arma.

XVI. Kal. * *Emmehardi* Campanarii in Heppenheim; hic dedit Nobis unum Jugerum Vinearum in Ovenberch, & quartam partem Vineæ in Bertendal.

XIIII. Kal. *Heilevvibis.* In hujus Anniverſario dabuntur Fratribus IIII. Unciæ de Decima quadam in Henſcuesheim.

Jutta Sororis noſtræ, hæc dedit Nobis Vineam I. in Benneshelm.

XIII. Kal. *Henrici* Militis de *Henſcuesheim*, qui dedit Nobis II. Lib. Hallenſ.

* *Eberhardi Schabel* de *Bobenhauſen* Præpoſiti hujus Eccleſiæ.

* *Albeidis* Pincernæ de *Erpach*, quæ dedit Nobis pro Remedio animæ ſuæ XX. flor. & Pittarium argenteum cum coopertorio argenteo in valore VII. florenorum.

XII. Kal. DEGINHARDI Abbatis.

IX. Kal. *Hermanni* Laici. Hic dedit Nobis unum Jugerum & dimidium Vinearum in Ludenbach.

Bervvelfi Laici. Hic dedit nobis vineam unam in Hemmesbach.

Dominæ *Hildegardis* de *Bingia.*

VIII. Kal. *PIPPINI* REGIS.

Adelheidis, pro hujus Anima dedit *Godefridus* maritus ejus Vineam in Heppenheim.

V. Kal. *Hilderici* Laici, hic dedit Nobis vineam in Heppenheim, unde Heredes ſui dant duas Sittulas vini.

IIII. Kal. *LOTHARII* IMP. Hic dedit Sancto Nazario Prædium ſuum in Gamita.

HEINRICI Abbatis. Hic dedit Calicem deauratum, Turibulum aureum, Buccinam argenteam, ampullas argenteas, ad Ornatum Altaris; & vineam in Hemmesbach in Anniverſario ſuo uſui Fratrum conſtituit: prætetea XIIII. Cappas. III. Caſulas, Dalmaticam, Stolas II. auro textas, & III. ſimplices ad decus Eccleſiæ contulit, Muros dirutos reſtaurivit, Pontem exſtrui, pluraque ædificia intus & Foris renovari fecit, ac cellæ in Nivvenburg tam in ædibus, quam in Poſſeſſionibus proſpexit plurimum.

II. Kal. *Buobboni* Militis.

Eberhardi Laici, hic dedit nobis vineam unam in Cellen.

OCTOBER.

Kalend. RICHBODONIS Archi-Epiſcopi & Abbatis. Hic primus Clauſtrum noſtrum Muris circumdans, & Dormitorium cum Eccleſia triplici ante ipſam fundans, Cancella hinc inde, circa Requiem Auro & Argento mirificavit, pavimentúmque ſublimans, coram Altari decoravit.

Bertholdi Laici, hic dedit Nobis Prædium suum in Keveridal.

VI. Non. ARNOLDI Episcopi & Abbatis. Hic Variam Ecclesiam per LEONEM Papam consecrari fecit, Casulámque candidam cum Cappa, & I. Dorsali dedit, & Ecclesiam in Hansceuesheim construxit.

V. Non. *Wilhelmi* Militis de *Priz*, Burgravius in Starckenberch, qui Legavit Nobis Equum & Arma sua cum Balteo.

III. Non. HEINRICI IMP.

Drudelæ Conversæ.

II. Non. *Rapodoni* Militis.

VIII. Idus. *Bertholdi* de *Gellenheim* Familiaris Nostri, hic contulit annuatim Conventui decem maldra Siliginis in perpetuum.

VII. Idus. *Arnoldi* Diaconi, hic Oratorium S. Stephani in Ebrinesberc Fundavit, & Consecratione impetrata, eam cum Huba una in Hanscuesheim, Dotavit.

Cunradi dicti *Ricabenbeche*. Hic dedit Nobis dimidium Jurnalem vineæ in Benneshein.

VI. Idus. * Obiit Venerandus Dominus Præpositus JOANNES MURER de Spira.

V. Idus. BRUN. Archi-Episc. & Abbas. Hic Turibulum magnum argenteum, duosque Nolarum Circulos fecit, à Fratre suo OTTONE XXX. Hubas in Brumat Sancto Nazatio dari expetiit.

IIII. Idus. *Adilberti* Laici, hic dedit Nobis dimidium Jurnalem vineæ in Heppenheim.

III. Idus. REGINBALDI Episcopi & Abbatis. Hic singularis Pater Pauperum. Urnam argenteam fecit, & Altare ad Crucem, Tabulis argenteis cinxit, Faciémque Templi Dorsalibus, Coronis, Nolarum circulis, Candelabris, Fornicibus, Crucibusque argenteis, & Omni Decore Ornavit, & in Ebrinesberg Monasterio & Claustro Fundato, Crucibus cum Tabulis fabrefactis, ceterisque Ustensilibus Decoravit, Monachorum Congregationem inibi coadunavit.

XVII. Kal. RUDOLFI Ducis.

Rathamari Laici; hic dedit Vineam unam in Hemmesbach.

Abbonis Laici, hic dedit III. Jugera in Rorheim minore.

XVI. Kal. *Godefridi* Laici, hic dedit Vineam I. in Urbach.

XV. Kal. LUCHARDIS REGINÆ.

THIATROH Abbas, hic Ecclesiam in Oppenheim & Monasterium in Abrinesberc fundotenùs Erexit.

Walko dedit Hubam unam in Bubenesheim.

XIII. Kal. *Gerhardi* Militis de *Schoënburg*. Hic dedit Nobis Vineam unam in Wynheim; in vico, qui dicitur Vestinbach cum adjacentiis suis: modo solvuntur XV. Casei.

XII. Kal. *Arnoldi* Militis de *Heidelberc*.

XI. Kal. *Heinrici* Laici, hic & uxor ejus dederunt Sancto Nazario dimidiam Hubam in Bibiloz.

X. Kal. HILDEBERTI Abbatis.

VIII. Kal. Anno Domini MCCCXXXIIII. obiit *Hartmudus* Miles de * *Cronenberg*, Burgravius in Starkenberg, qui multa Bona vivens fecit & in extremis contulit nobis. . . . .

VI. Kal. *Wilhelmi* Scolastici S. Pauli Wormaciensis.

Bervvelfi de *Laudenburg*; hic dedit Ecclesiæ omnes Agros suos in Ziluelsheim & Vineam in Luzzelsassenheim sitam in Langenvvende. Item dedit Bonam Casulam.

IIII. Kal.

IIII. Kal. WERNHERI Abbatis.
ADAM Abbas Præmonstratensis.

NOVEMBER.

Kalend. *Cunegundis*, quæ dedit Nobis Lineum pannum ad Albam.
* ANTONII BOEHELER Præpositi hujus Loci.

IIII. Non. *Gelphardi* Laici, hic dedit vineam & Jurnalem I. in Winheym ut in die Obitus sui Fratres reficiantur.
* CONRADI de DALHEIM Præpositi Ecclesiæ Laurissensis.

II. Non. *Ebirhardi* Laici; hic pro Remedio Animæ suæ contulit Nobis II. Talenta puri Argenti.

VIII. Idus. * *Erckengeri* de *Rodenstein* Illustris, & *Hilgardis* ejus Legitimæ, qui dederunt Nobis Partem Areæ in Bidenbach.

VI. Idus. *Heilmannus* de *Molle* de Sahsenheim, qui Legavit Conventui X. Solidos Hallens.

IIII. Idus. BERTOLDI Sacerdotis & Abbatis.
CUNRADI. Hujus Loci Præpositi.
Gebbæ Laicæ, hæc dedit Nobis Vineam unam in Heminesbach.

III. Idus. *Gerlaci* de *Heppenheim* Confratris nostri, qui Contulit Ecclesiæ omnia, quæ ibidem habuit.
Herbonis Laici; hic dedit Nobis Pallam Altaris auro textam.

XVIII. Kal. Dec. BEATRIX IMPERATRIX. Hæc dedit Nobis preciosum Dorsale.

XVII. Kal. *Arnoldi* Filii Militis de *Stocheim*, qui Legavit Nobis Arma sua, & duos Jurnales Vineti in Heimbach.

XVI. Kal. *Sigifridi* Laici, hic constituit Nobis L. Libras Argenti super Bonis suis in Vrbach.
* Piæ Memoriæ Domini PETRI HEYN Abbatis Præmonstratensis.

XIIII. Kal. *Mechtildis* de *Gellenheim* Soror *Bertoldi* Familiaris nostri, quæ contulit Ecclesiæ octo Libras Hallens.

XI. Kal. *Hermanni* Laici, hic dedit Nobis Vineam in Winheim.

IX. Kal. *Engilhelmi.* Hic est Engilhelmus, Dominæ *Medæ* Maritus.
RACHILDIS Deo sacrata, hæc Soror HENRICI Comitis, dedit quicquid Dienenheim & Sunnenheim habuit.

VIII. Kal. UDALRICI Abbatis. Hic nobis Privilegium Libertatis à Romano Pontifice ALEXANDRO impetravit, & in proxima Insula renovans Dei servitium, & ipsum Locum Monasterium in Abrinesberc multiplicibus Donis fecit conspicuum, sub hoc etiam Loeus hic, Tirannicæ Dominationi addictus, & pœnè quodammodò dejectus, sed annitentibus quamplurimis Sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelibus, in brevibus Dei Gratia ad pristinæ Libertatis statum est revocatus & erectus.

VII. Kal. *Rudolfi* de *Gernsheim*, qui dedit Ecclesiæ nostræ ad valorem L. Librarum Hallens.
Cunradi Laici, hic dedit nobis III. Jugera Agri in Gernsheim, ea videlicet Conditione, ut ab Heredibus duo maltaria tritici inde persolvantur in Dedicatione.

V. Kal. MEGINGAUDI Abbatis.
Billungi Conversi, hic dedit Ecclesiam in Cellen cum Vinea & Agros in Heimenesberc, de quibus solvuntur Fratribus LXX. Capones in Festo S. Martini.
Adelheidis Conversæ.

IIII.	Kal.	*Fronvvechæ* Laicæ, hæc dedit Nobis Vineam unam in Wynheim & Calicem argenteum.
III.	Kal.	*Hartlibi* Laici, hic pro Remedio Animæ suæ contulit nobis XXXX. maldra Siliginis.
II.	Kal.	*Cunradi* Familiaris de Heppenheim, hic dedit maldrum Papaveris perpetuæ, in Hortis in Laurissa.

DECEMBER.

II.	Non.	ANNO Archi-Episcopus.
		LOTHARIUS Religiosus IMP. cujus Auxilio recepimus Prædium nostrum in villa, quæ dicitur Gamut.
VII.	Idus.	OTTO (II.) IMP. hic dedit Nobis Privilegium Libertatis.
V..	Idus.	*Erinfridi* ex Laico Mon. hic dedit Nobis V. Hubas in Nipha, ante Urbem ejusdem Nominis.
		Adelindis Laicæ, hæc dedit Nobis Vineam in Hanscuesheim.
IIII.	Idus.	ARNOLDI IMP. hic Nobis Privilegium Libertatis dedit, & Bruomat ex Integro & Prædium suum in Rockesheim & Sunthove.
III.	Idus.	TESSILO Dux, ex Laico Mon.
		Hazechæ Laicæ, hæc dedit Nobis Vineam unam in Ludebach.
XVII.	Kal.	*Juttæ* Laicæ, hæc pro Remedio Animæ suæ, dedit Nobis Census, IX. uncias annuatim in Celle apud Gronovve.
		Cunradi Militis, qui dedit Nobis Equum.
XVI.	Kal.	ADELHEIT IMPERATRIX.
		* *Wolframmi* & *Luzzæ* Uxoris ejus de Wormatia, qui dederunt Nobis Omnia Bona sua.
XV.	Kal.	GUNDELANDI Primi Abbatis. Hic Bona Posteris suis quærens, in Manus gloriosi Regis CAROLI tradidit hunc Locum sibi à Fratre commendatum, & rursùm ab Eo recepit Privilegiis sublimatum, istudque Templum, quod à Fundamentis Erexit, Consecrari fecit.
XIIII.	Kal.	*Juttæ* & *Egelburgis*, quæ dederunt Nobis II. Oves.
XIII.	Kal.	BERINGERI Abbatis.
XII.	Kal.	*Burchardi* Conversi. Hic Pater *Gerardi* Junioris, Hubas III. in Keverental dedit, quarum unaquæque in usus Ecclesiæ XII. Maldra Siliginis persolvit.
X.	Kal.	CUNRADI REGIS, hic Nobis Privilegium Libertatis dedit, & Ecclesiam in Virheim cum silva & omnibus ad eam pertinentibus, Prædium suum in Wattenheim & Henscuesheim.
		* *Bigela* Laica de Wormatia, quæ Legavit Conventui annuatim IIII. maldra Siliginis.
IX.	Kal.	GEROLDI Abbatis.
		* *Margaretæ* de *Heppenheim*, quæ dedit Ecclesiæ IIII. Equos & Currum, & Sacristiæ Tapetium in valore VIII. & C. Librar. Hallens.
VIII.	Kal.	GODEFRIDI Ducis.
VI.	Kal.	BERTHA IMPERATRIX. Hæc Uxor HENRICI IIII. IMP.
IIII.	Kal.	*Mergardis* Laica; hæc dedit Nobis Albam & Pallam.

AN-

VI.

ANTIQUITATES CŒNOBII S. MICHAELIS BAMBERGÆ.

I.

Henrici II. Imp. Præceptum, quo Cœnobium S. Michaëlis à se noviter Constructum Prædiis quibusdam dotat.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis HEINRICUS Divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus Omnium Fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum Universitati pateat, qualiter Nobis quoddam Concambium BOPPONE Fuldensi Abbate facere placuit, consensu ac collaudatione Bernardi Advocati sui, nec non Monachorum Militumque suorum, accipientes ab eo duas Curtes Rattelsdorff & Ezelskirchen & villas earum, in quibus sitæ sunt cum omnibus pertinentiis suis duabus videlicet Baptismalibus Ecclesiis, & Hominibus prædictas villas inhabitantibus, ac Divina à Sacerdote, qui DEO ibidem servit accipientibus, debitamque ei Justitiam persolventibus, ceteris quoque Villis ad ipsas Curtes pertinentibus cum Decimis utriusque sexus, Mancipiis, Agris, Campis, Pratis, Pascuis, Silvis, Venationibus, Aquis, Aquarum Decursibus, Molendinis, Piscationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, sive cum Omnibus, quæ quolibet modo dici & nominari possunt, utilitatibus: prædictas ergo Curtes & Curti-Marchias cum his, quæ præscripta sunt, Monasterio S. Michaëlis, quod Nos in Monte Bambergensi construximus, Nostra Imperiali Donatione contulimus. Econtrà prædicto Abbati suæque Fuldensi Abbatiæ, duas similiter Nostræ proprietatis Curtes, quarum una Vuataha, altera verò Berolschies nuncupatur cum cunctis earum pertinentiis & universis Utilitatibus, quæ quolibet modo dici & nominari possunt; Ecclesiis quoque, & earum justitiis per nostram Imperialem Munificentiam Donavimus, & de nostro Jure ac Dominio, in ejus Jus & Dominium plenariè Tradidimus, ut vero Nostro Babenbergensi Monasterio, hæc Nostra Imperialis Donatio stabilis & inconvulsa omni permaneat Tempore, hoc nostræ Liberalitatis Privilegium, Manu propria corroborantes, Sigilli nostri Impressione jussimus insigniri.

Datum V. Idus Maj. Anno Dominicæ Incarnationis MXV. Anno Domini HEINRICI Secundi XVI. Imperii IIII. Actum & confirmatum VUARMATIÆ. Indict. XII.

II.

Abnegatio solemnis Prædiorum Budenesheim, & Helespach.

XIV. Kal. Nov. FEcit Abnegationem Comes DIDERICUS & Filius ejus GISILBERTUS Prædii Nomine Budenesheim, quod est situm in Wedereiba pro L. Talentis, quæ dederat *Heinricus* Babenbergensis Abbas, in præsentia *Ebirhardi* Primi istius Loci Episcopi, & *Huinfridi* Magideburgensis Archi-Episcopi, & *Hizechonis* Wormaciensis Episcopi, in Dribure, jubente & consiliante piissimo Imperatore CUONRADO, primò incurvatis digitis, secundùm morem Saxonicum. Isti sunt Saxones, qui hoc viderunt & audierunt *Bernhardus* Comes. *Sigefridus* Comes. *Liudold* Comes. *Widekind* Comes. Gebehard. Hemezo. Diederich. Engilbraht. Gezo. Ruoderich, & deinde Abnegationem fecit cum manu & festuca, more Francorum. Isti sunt Orientales Franci, qui hoc viderunt & audierunt *Otto* Comes. *Adelbertus* Comes. *Gumbertus* Comes. *Albuvin* Comes. *Ebo* Comes. Ugo. Witant. Hardroch. Bobbo,

Engilhard. Starcheri. Walderich. Snelliard. Buobo. Ebo. Edetam. Roho. Sigebraht. Gumbraht. Wignant. Erchembraht. Bobbo. Ruotbraht. Bobbo. Gumbraht.

III. Non. Februarii fecit abnegationem Prædii nomine Helespach, quod est situm in Iffingouvo in Comitatu *Ramvvoldi* Comitis, pro X. Talentis, quæ dederat *Heinricus* Abbas Babenbergensis in eodem Loco in præsentia EBIRHARDI primi ipsius Sedis Episcopi. Hi sunt, qui præsentes fuerunt. *Otto* Comes. *Ebo* Comes. *Ramvuoldus* Comes. Gozvvin. Stacco. Arnold. Sigiloch. Ernost. Bertolf. Cunrad.

III.

Traditio Meginhardi Episcopi.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Noverit Ecclesiæ totius præsentis scilicet & futuræ ætatis Universitas, quod beatæ Memoriæ MEGINHARDUS Wirciburiensis Ecclesiæ Antistes, Officio Sacerdotali debitor Ecclesiasticis servire Funcionibus, Ecclesiam Rodeheim in honorem Sancti Petri Principis Apostolorum consecravit, eamque sui gratia Beneficii, Decimatione videlicet ipsius Loci Rodeheim & Vuanlibuhurson, Legaliter Dotavit; cui in stabilitatem & inconvulsum statuti sui Præsidium, Pontificali Jure sub Banno suo, Pacis indixit, per cunctas retro Generationes, soliditatem, ne quis Episcoporum in Posteris superveniens illud audeat dissolvere, cum per Bannum Antecessoris sui audierit stabilitum fore. Hoc Actum est MXXII. Dominicæ Incarnationis Anno. Indict. V. VII. Idus Novemb. astante HEINRICO Abbate Loci ipsius Provisore, ittaque omnia tum Jubente, jam dicto Præsule Meginhardo, Litteris commendare, ne Posteritatem, Acta præsentium valeant latere, Amen. Fiat, Fiat.

IV.

Udalrici Militis Renuntiatio solemnis super Prædio Scerstein.

NOverit Omnium Fidelium tam moderna Ætas, quàm successura Posteritas qualiter UDALRICUS quidam, LUITPOLDI Magontiensis Episcopi Miles, Majestatis Reus est factus, & Imperiali Censura piissimi Imperatoris HEINRICI III. in Exilium proscriptus, cujus proscriptionis Lege diu in Italia religatus, nulla satisfactione, nulloque Amicorum suorum interventu receptionem Patriæ aut Imperialis Clementiæ Reconciliationem prius poterat obtinere, aut Beneficium suum à supradicto Præsule, quam Proclamationem & Justitiam de Prædio Scerstein dicto, quam adversus Abbatiam S. Michaëlis in Babenberihc habuit, ex tunc & deinceps Legitima Professione abjecit, & Nummum Confirmationis, ut Lex postulabat accepit; huic ergo Legitimæ Abrenuntiationi Testes, quorum Nomina infra continentur, interfuerunt & à supradicto Præsule in Testimonium Contractûs, ut absque omni hujus Proclamationis Calumnia, prænominata Abbatia jam deinceps quieta sit & absoluta.

Testes itaque sunt hi Hecil. Rothart. Gotebolt. Francho. Rodewin. Egezo. Nannelin. Heinrih. Megingoz. Swiger. Huch. Adelbraht. Nantheri. Hardewin. Ruodger. Hartman. Ruothart. Starcherat. Giselbraht. Gundelah. Gotefrit. Hardewin. Facta sunt hæc Magontiæ in Præsentia præfati Clarissimi Præsulis LUITPOLDI præsente Legato Gloriosissimi prælibati HEINRICI Imperatoris III. nomine LUTIGERO, ad hoc ipsum Negotium ab eo misso. Anno Incarnationis Domini MLII. Indict. V. V. Idus Junii. V. Feria in Pentecoste. XIII. Anno Regni jam dicti Imp. HEINRICI, Imperii autem ejus IIII. Anno: primo verò Episcopatus Anno, jam supra dicti Archi-Episcopi.

V. Sen-

V.

Sententia Lata in Udalricum Militem ob Usurpatum denuo Prædium Scerstein.

NOtum sit Omnibus Christi Fidelibus tam Posteris, quam Modernis, qualiter quidam UDALRICUS Miles Episcopi Magontiacensis, quoddam Prædium S. Michaëlis in Babenbethc, Scerstein dictum, post obitum celebris memoriæ HEINRICI II. Imp. & III. Regis, injustè invasit, pro quo jam pridem eodem Imperatore vivente, Nummum Abrenuntiationis accepit: Regnante autem Filio ejus HEINRICO scilicet IIII. Anno Regni ejus Primo, cum Abbas supradictæ Abbatiæ Sancti Michaëlis, Injuriarum proclamaret, præsente supradicto Rege, & Matre ejus AGNETE Imperatrice, & Principibus Regni, qui tum aderant, adjudicatus est, quicquid de eodem Prædio violenter abstulerat, triplum reddere; & Regali Majestati, deinde etiam ejusdem Abbatiæ Advocato, justam Legitimámque Injuriarum satisfactionem persolvere. Actum est autem Wormaciæ Anno Dominicæ Incarnationis MLVII. Indict. X. II. Non. Aprilis. V. verò Feria Septimanæ Paschalis. Præsentibus faventibusque & probantibus Episcopis & sæculi Potentibus, quorum nomina subscripta sunt. LUITPOLDUS Archi-Episcopus Magontinus. ANNO Archi-Episcopus Coloniensis. ARNOLDUS Episcopus Wormaciensis. OTTO Dux Sueviæ. KUONO Dux Carinthiæ. SIGEFRIDUS Comes. GERLACH Comes.

VI.

Traditio Ruperti Episcopi.

NOtum sit Omnibus Christi Fidelibus, quod Episcopus Babenbergensis RUODBERTUS Alodium suum, Pecunia sua emptum, duas scilicet villas nomine Bunselesdorf & Ummanesberch, Tradidit ad Altare S. Michaëlis in Monte Monachorum, per manus Ministerialium Ecclesiæ suæ, Rudolfi, Herimanni, Popponis, Firmissima Traditione, cum omni Utilitate cultæ vel incultæ Terræ, Silvarum, & Fluminum, quatenus pro animæ suæ Remedio, Eleemosinæ Pauperum & Peregrinorum inde suppleantur, & in Anniversario ejus, Fratribus Consolatio inde exhibeatur. Hujus rei Testes sunt Comes WOLFRAM & Fratres ejus OTTO. Arnolt. Ratloch. Adelbrecht. Tiemo. Hartwih. Adelger. Azzo. Regenbodo. Eburhart. Karol. Liuzo. Werenhart. Bucco. Wirint. Heinrih. Radeboto. Blidker. Wizechint. Adelbrecht. Sahso. Azeman. Ramvolt. Truithere. Gundeloh. Poppo. Rudolf. Heziman.

VII.

Poppo de Werida desistit ab Injustis Exactionibus.

NOtum sit Omnibus hanc Scripturam Legentibus & audientibus, qualiter POPPO de Werida & Runzolveshuson, Diethalmum quendam S. Michaëlis servum, & Fratres ejus Folcmarum & Arnoldum, cum Sorore sua Hemma, sæpius infestavit, cupiens eos ducere in usum sibi serviendi, Jure Beneficii; cui non consentiens Dominus GUMPOLDUS Abbas Babenbergensis, eousque Rem perduxit, donec idem Poppo in Curti Werida, coram prædicto Abbate & servientibus ejus, quorum Nomina infra sunt scripta, totaque Familia ejusdem Curtis, omnem Exactionem ulterius in eos, cum manu & festuca abdicavit: apud jam dictum verò Abbatem, idem Diethalmus servitio suo hoc obtinuit, ut sibi, Fratribúsque suis ac Sorori, Licentiam concederet, ubicunque vellent manendi, & Res suas pro Divina Ordinatione tractandi, eâ scilicet conditione, ut per singulos Annos in Festivitate S. Martini omnis masculus ex eis, XII. denarios persolvat, Femina, VIII. quibus persolutis ab omni Exactione sint securi, & nulli deinceps Abbati vel Præposito liceat eos alicui in Beneficium subjugare, aut ad Ministerium vel servitium aliud sine voluntate illorum eos deputare, & ut hæc constitutio

 firma

firma & inconvulſa deinceps permaneat, Laudamento Advocati Domini OTTONIS, & Conſilio Fratrum & Miniſterialium hanc Cartam ſæpe dictus Abbas eis conſcribi juſſerat; hujus Conditionis & Actionis Teſtes ſunt hi, Heridegen. Radeboto. Item Radeboto. Billunc. Guneclin. Buolo. Poppo. Adelbreht. III. Rabenolt. Arnoldi III. Walthere. Aceman. Einhart. Adelhart. Gnanno. Heriman. Otto. Liutman. Wizo. Ruothart. Wecel. Dietmar. Unizo. Walrget. Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MXCVIIII. Indict. VI. Regnante HEINRICO Imperatore IV. Præſidente Babenbergenſi Sedi RUOTPERTO Epiſcopo. Wirciburgenſi verò EMEHARDO Epiſcopo. Abbate Babenbergenſi GUMPOLDO. Facta ſunt autem hæc Omnia conſentiente & Laudante Advocato Ottone.

VIII.

Traditio Giſilæ de Bachfelt.

NOverit Omnium Fidelium tam præſens Ætas quàm ſucceſſura Poſteritas, qualiter GISILA de Bachfelt, Prædium ſuum in eadem villa ad XV. manſos computatum conſentiente Viro ſuo Ruodewico, huic Eccleſiæ contulerit, & quod Pactum hac Donatione fecerit; tradidit namque ſupradictum Prædium ad Altare S. Michaëlis, ea videlicet conditione, ut quamdiu ipſa & Vir ſuus vixerint, Jure Beneficii illud habeant, ſolventes inde ſingulis annis ſolidum unum Legitimum, in Feſto S. Michaëlis; quibus ex hac vita migrantibus, Fratres præfatum Prædium ſuis aſſumant uſibus, ita ut nulli Epiſcopo vel Abbati illud alicui in Beneficium concedere liceat, & ſi hoc contigerit Proximi prænominatæ Giſilæ Heredes, ſuo Juri ſæpe dictum Prædium vendicent. Facta eſt hæc Traditio præſente GUMPOLDO Abbate cum reliqua Fratrum Congregatione & hi affuerunt Teſtes. Poppo. Rateloch. Mazelin. Mazelin. Plidket. Gotefrid. Pezelin. Adelbero. Gundeloh. Dietmar & alii plures.

IX.

Traditio Richardæ.

NOtum ſit Omnibus Chriſti Fidelibus, quomodo Soror noſtra RICHKARDA, Prædium ſuum in villa Egliſfelt ad Regalem manſum computatum ad Altare S. Michaëlis per manum Burchardi de Ahorn tradidit, hac videlicet conditione, ut ipſa vivens ſingulis annis ſolidum unum in Feſto S. Michaëlis perſolvat, poſt mortem verò ſuam Fratres, idem Prædium in uſus ſuos aſſumant. Hæc Traditio facta eſt in Præſentia GUMPOLDI Abbatis, ceterorumque Fratrum. Hujus rei Teſtes ſunt. Uto. Plitker. Heriman. Hezil. Radeboto. Adelbero. Gundeloh. Aribo. Orgoz. Egkehart.

X.

Traditio Altun de Ulſinheim.

NOtum teneatur Omnibus, qui Chriſtiana Profeſſione cenſentur, quomodo ALTUN de Ulſinheim, manſum unum in eadem villa poſitum, qui ab Incolis Günthardi-Manſus appellatur, pro Remedio Animæ ſuæ, & ſuorum Parentum, Eccleſiæ noſtræ firmiſſima Traditione ſtabilivit; & hac Donatione Societatem Fraternitatis noſtræ, & Locum Sepulturæ apud Nos impetravit. huic Traditioni interfuit GUMPOLDUS Abbas ac cœteri Fratres, & hi ſunt Teſtes. Adelbreht de Gremiſtorf. Plitzer. Hezman. Radeboto. Gotefrit. Adelbero. Meginolt. Azelin.

XI. *Tra-*

XI.

Traditio Berthæ.

FIdeles Christi Noverint, quod Soror nostra nomine BERTHA, Alodium suum in villa, Friumerheresdorf dicta, ad Regalis Mansi modum, cum silva adjacente, tradidit ad Altare S. Michaëlis in Ecclesia nostra propria manu pro Animæ suæ Remedio, ad Fratrum usus perpetuos: eo tamen pacto, ut ipsa usque ad finem vitæ suæ, usum ejus habeat & singulis annis solidum pro eo persolvat. Testes hujus rei sunt Heriman. Poppo. & Adelbreht de Gremistorf. Reginbrehr & Frater ejus Blidker. Pabo. Gundeloh. Erbo. Huic Traditioni interfuit GUMPOLDUS Abbas cum Fratribus.

XII.

Traditio S. Ottonis Episcopi.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis; Notum esse cupimus omnibus Christi Fidelibus, qualiter OTTO VIII. Babenbergensis Ecclesiæ Venerabilis Episcopus, Prædia Gestineshusen sita, quæ ipse ducentis ferè Talentis comparaverat, ad Cœnobium S. Michaëlis pro Remedio Animæ suæ delegaverit, & Advocatiam eorundem Bonorum Comiti STERKARIO commiserit, ea videlicet conditione, ut per semetipsum absque Subadvocato eam administret, & semel in anno inter Festum S. Michaëlis & S. Martini placitum cum Colonis ponat, in his duntaxat, quæ ad Legitimum Jus Advocatiæ pertinent, & tunc ad servitium exigat duos Porcos, quos vulgò Inductiles vocant, & unum Lateralem, & unum Porcellum & IIII. Gallinas & IIII. modios tritici ad panem, & X. modios avenæ ad pabulum, & dimidiam Carratam Cerevisiæ, cum una urna medonis: injustas autem Exactiones sive postulationes, quibus Advocati, contra Jus & fas subjectos solent urgere, omninò non faciat. Testes autem hujus Conventionis fuerunt Dominus WOLFRAMUS Abbas ejusdem Cœnobii. Hermannus Præpositus. Udalricus Custos. Turo Scholasticus. Goreboldus Comes, Reginboto Comes. Arnaldus de Chunstat & alii multi.

XIII.

Conventio de Advocatia Montis S. Michaëlis.

COnventio inter Dominum OTTONEM VIII. Babenbergensis Ecclesiæ Venerabilem Episcopum, & inter BERTOLFUM Comitem, de Advocatia Cœnobii S. Michaëlis, quam idem Bertolfus administrabat; qualiter facta sit præsens pagina manifestat. Igitur Antecessores prædicti Advocati Cœnobio S. Michaëlis debitam Reverentiam exhibebant, eidemque Loco per Omnia devoti existentes, colonos Ecclesiæ nulla oppressione gravabant: hic verò, postquam concedente præfato Venerabili Episcopo, Advocatiam ejusdem Loci adeptus est, cœpit Familiam Ecclesiæ, Tyrannica Crudelitate affligere, & tam Placitorum nimietate, quam violenta Exactione Abbatiam hostiliter devastare; erat proinde Rusticorum Ecclesiæ miserabilis vociferatio sibi res suas tolli, se suis Patrimoniis exhæredari, facultatibus nudari, Luctuoso gemitu Clamantium: videns autem Dominus WOLFRAMMUS ejusdem Monasterii Venerandus Abbas, tam intollerabilem Familiæ Oppressionem, una cum omni Congregatione ad DEUM à facie Tribulantis confugit, & contra tam feralem Hominis illius rabiem, Divinum Auxilium depoposcit, siquidem pro ereptione ejusdem Ecclesiæ cotidianas fieri Orationes instituit, ante quorum inchoationem trinam pulsationem omnium Campanarum fieri præcepit: quibus completis, cum mens Advocati utpotè Hominis duri & indomabilis, nequaquam mollesceret, sed magis ac magis in prava obstinatione immota persisteret; Dominus de cœlo prospiciens ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret Filios afflictorum, Filium ejus unicum inopinata morte extinxit, Matrem Pueri, gravissimo Infirmitatis Languore afflixit, ipsum quoque Advocatum acerrimis

ægritudinum Stimulis penè exanimem reddidit; his tandem circumſeptus ærumnis timens ſibi, jam jamque Temporalis vitæ imminere diſpendium, ad prænominatum Dominum Epiſcopum ſub celeritate iter arripuit, atque Advocatiam Cœnobii S. Michaëlis coram Teſtibus absque omni conditione Domino Epiſcopo reddidit, quam mox ab eo Dominus Epiſcopus recipiens, eodem momento ipſi præfato Comiti ſub tali conditione reſtituit, quatenus ter in annocum Colonis Placitum ponat, & ſingulis vicibus Talentum unum, vel tantùm de rebus Eccleſiæ duntaxat ad Victum pertinentibus, quanto Talento emi poſſit, ad ſuum ſervitium exigat; quod ſi fortè Placitum ponere voluntaria deliberatione omiſerit, à Domno Abbate tria Talenta in Feſtivitate S. Michaëlis, ſine omni contradictione accipiat.

XIV.

Commutationes quorundam Prædiorum initæ inter S. Ottonem Epiſcopum & Abbatem Cœnobii S. Michaëlis.

UNiverſali Notitiæ Fidelium tam præſentium, quàm futurorum patere volumus, commutationem Prædiorum, quæ facta eſt inter Venerabilem OTTONEM VIII. Sanctæ Bambergenſis Eccleſiæ Epiſcopum, & inter WOLFRAMMUM Cœnobii S. Michaëlis venerandum Abbatem, qualiter idem DEO devotus Antiſtes Regalem manſum apud Ebelbach, & in villa Cielen IIII. Manſos, & in vicino ejusdem Loci dimidium manſum, & inſuper Prædium apud Dahſovva Eccleſiæ S. Michaëlis delegaverit, pro Prædio, quod ſitum eſt apud Oppah, quod videlicet Prædium, ipſe à prædicto Wolframmo Abbate pro deſcripta delegatione ſuſcipiens, Eccleſiæ S. Laurentii in Uraugenſi Cœnobio delegavit.

Simili modo idem Venerabilis Epiſcopus, Prædia apud Sahſilbah ſuo Juri competentia, pro Prædio apud Rathartesſovva, à præfato S. Michaëlis Cœnobio commutavit, quod ſcilicet ad Altare S. Georgii in Pruveningenſi Monaſterio donavit: hac autem interpoſita Conditione, factum eſt hujuscemodi commutationis Concambium, ut ſi aliquis fortè in Babenbergenſi Eccleſia eidem Domno Ottoni ſuccedentium Epiſcoporum, huic commutationi contraire tentaverit, & ea, quæ delegata ſunt, à Cœnobio S. Michaëlis abſtulerit, Abbas ejusdem Monaſterii, quæ ſua primitùs fuerant absque omni contradictione recipiat.

XV.

Traditio S. Ottonis Epiſcopi.

FIdeles Chriſti noverint, qualiter Domnus OTTO Venerabilis Sanctæ Babenbergenſis Eccleſiæ Octavus Epiſcopus, Prædia apud Alten & apud Weickendorf ſita, à duobus Fratribus Chunrado ſcilicet, atque Tiemone, data Pecunia, comparavit, & pro Remedio Animæ ſuæ, ad Altare S. Michaëlis in Monte Babenbergenſi Dedicavit; poſtmodùm verò, cùm prædicti Fratres Proclamationem, & Querimoniam facerent de præfatis Prædiis, volens prænominatus Antiſtes totius contentionis nodos abrumpere, datis eisdem Fratribus rurſus duobus Talentis ab eis Jusjurandum accepit, ut de præſcriptis prædiis omnino abnegationem facerent, & ſeſe totius repetitionis de eisdem prædiis, in perpetuum manu & ſtipula, abdicarent.

XVI.

Traditio Pillungi Militis.

PILLUNC de Emphtchischirum, novem Manſos apud Oſtheim Beato Michaëli Donavit, in præſentia Domni OTTONIS Epiſcopi; cujus rei Teſtes ſunt BERCHTOLDUS Comes de Berchtheim. Patlochus. Otgoz. Pillunc. Gundeloch de Oberiſtenveld. Arnold de Chunſtat. Ezzo de Burgelin. Reginbotto.

XVII.

Traditio Arnoldi Comitis de Berchtheim.

ARNOLDUS Comes de Berchtheim, Allodia sua apud Richpach & Tragelboldersdorf & Tauccehoge pro salute Animæ suæ Parentúmque suorum, per manum Gebenonis de Offenheim donavit Beato Michaëli, coram Domno OTTONE Episcopo, cujus Donationis Testes sunt Heinrich de Numburg. Wignant de Beirbah. Wolfram de Stetebach. Ezzo de Willehalmeresdorf; de Ministerialibus quoque prædicti Comitis, Gotefrit. Pillunc. Dietmar. Pilgrim.

XVIII.

Traditio cujusdem Canonici Bambergensis.

NOtum sit Omnibus CHRISTI Fidelibus tam futuris quàm præsentibus, qualiter Ego Babenbergensis Ecclesiæ Canonicus, per manum Fidejussoris mei quod vulgo dicitur *Saleman*, Ottonis scilicet de Willehalmesdorf delegavi Prædia mea Wissana ad Altare S. Michaëlis Archangeli, culta scilicet, & inculta, quæsita & inquirenda sine omnium contradictione, pro Remedio Animæ meæ, & Matris meæ VOLRADÆ, ea videlicet conditione ut in Anniversario meo, & Matris meæ, qui est *VI. Idus Novembris.* Fiat inde Karitas Fratribus specialiter, & illuminetur inde Altare unum Sepo, & dimidium Talentum ab eodem Monte per singulos annos detur Berthenheim, ubi Mater mea, Fratres, & Sorores meæ sepultæ sunt, tamdiu, quosque aliud Prædium, quod tantum reddat, illic acquiratur ac subdelegetur: Abbatis sit, qualiter ibidem à Parrochianis deserviatur, reliqua rursus in usum Fratrum congregentur, nec alicui Abbati, vel cuilibet Personæ liceat illud in aliud commutare: Tradidi etiam illuc Wolframmum, Gumpertum, Hartmannum, Wiccerum, ut Beneficia sua tantum ad vitam suam Ministerialium Jure deserviant; sed Wiccerus XL. Nummos, & Juditha simili modo persolvant; post horum verò vitam, sicut & cætera in oblationem Fratrum illic DEO militantium redigantur: si qui verò aliud inde facere studeant, vel ab usu Fratrum alienare præsumant, perpetuo anathemati innodentur, & cum Dathan & Abiron igni inextinguibili involvantur: fuerunt autem hujus rei Testes Eberhardus. Cunradus. Rutzelin. Hartuwik. Udalric. Milites verò Sterckere. Gebehart. Dietpreht. Engelhardus. Fridericus. Conradus. Friderih. Ministeriales autem Arnolt. Reinholdt. Radeloh. Wiccar. Otto. Arnolt. Rudolf. Facta sunt hæc in eodem Monte S. Michaëlis Anno Dominicæ Incarnationis MCVIII. & ab OTTONE Sanctæ Ecclesiæ Babenbergensis Episcopo, Banno confirmata, & Sigillo Patroni nostri Sancti Georgii corroborata feliciter, Amen.

XIX.

Traditio Friderici Canonici Herbipolensis.

NOtum esse cupimus tam futuris quàm præsentibus, qualiter Venerabilis quidam Sacerdos FRIDERICUS Herbipolensis Ecclesiæ Canonicus, pro Remedio Animæ suæ, Fratribus Cœnobii S. Michaëlis Babenbergensis Ecclesiæ, XX. Libras argenti obtulit, pro adeptione scilicet Fraternitatis eorum, quatenus de eodem Argento Prædium deberet comparari, unde semper in ejus Anniversario Fratribus ejusdem Cœnobii servitium ob ipsius Memoriam posset præberi; inito autem Consilio, Domnus HERMANNUS ejusdem Monasterii Abbas, dedit easdem Libras Argenti in coëmptione Urdorfensis Prædii, hac tamen interposita conditione, ut de ejusdem Prædii reditibus singulis Annis tantùm excipiatur, unde Fratribus in Commemoratione prædicti Friderici, quem in Consortium Fraternitatis suæ asciverant, servitium remota omni contradictione tribuatur. Hujus rei Testes adhibiti sunt omnes ejusdem Monasterii Fratres, ex quibus erat Ellenhardus Prior, Hermannus Custos, Volchnandus Camerarius, Adelbertus

bertus Cellarius. Drutwinus & Gozwinus ambo Præpositi. Tempore Domini Ottonis Episcopi, MCXXVII. Anno ab Incarnatione Domini.

XX.

Traditio Hachonis Presbiteri.

APud Durfelin in Fundo Ecclesiæ S. Michaëlis Hacho Sacerdos de Halstat, consensu Domini Hermanni Abbatis vineam proprio sumptu excoluit, quam ipse Divinæ Remunerationis Intuitu per manum Pillungi Ministerialis S. Georgii super Altare B. Archangeli donavit, ea scilicet conditione, ut post obitum ejus eadem Vinea in usus Fratrum cedat, & ut specialiter in Sabbato unicuique *Staupus* vini inde propinetur.

Hujus rei Testes sunt, Egilbertus tunc Decanus postea Episcopus. Eberhardus Præpositus. Tiemo Præpositus. Ruzelinus Præpositus. Cuonrat Custos. Tuto Scholasticus, & penè Universi Canonici, qui eo ascenderant ad Sepulturam S. Ottonis Episcopi. Præter hos etiam, Testes sunt Heinricus Frater Regis Chuonradi, Ratpoto Comes. Berchtoldus Comes. Hermannus Comes. Bobbo Comes & alii.

XXI.

Accessiones Bonorum sub Hermanno Abbate.

NOtum sit omnibus Fratribus nostris tam futuris quàm præsentibus qualiter Domnus Hermannus Abbas hujus Congregationis XI. plus Omnibus Antecessoribus suis in rebus Monasterii & utilitate Fratrum, & Sanctæ Religionis Proposito studiosus, emerit & absolverit, vel etiam in melius commutaverit, Prædia, Beneficia, Villas, Agros, Prata, vineas, domos, mancipia, & cætera commoda innumera in usum Fratrum ad DEI servitium studiosè peragendum, ex quibus pauca hic memoriæ commendamus, quæ per manum Trutwini acquisivit, ne forsitan Oblivioni tradita paulatim & sigillatim elapsa, per incrementa Temporum, aliquod emolumentum, fiat, quod absit, detrimentum.

Emit ergo prædium, quod est Pholenheim pro XXXI. marcis erga *Hettolfum* & uxorem ejus. Ibidem emit Præpositus Trutwinus mansum unum erga Walthetum de Gnotestat pro V. Talentis & dimidio: ibidem emit III. Jugera & Curiam erga Gutwinum pro IIII. unciis & dimidia. Ab Egisperto autem emit agrum pro LX. denariis, Sifridus posuit nobis VIII. Jugera pro X. Talentis.

Ditolfus vendidit nobis VII. Agros & Curiam, & partem unius Prati dedit nobis pro Remedio Animæ suæ & nos concessimus ei tres agros & Curiam usque ad obitum ejus.

Hemma de Wibelesheim delegavit nobis mansum & dimidium cum duobus mancipiis & Filiis eorum Wipotone & Juditha; Hujus rei Testes sunt Gerunc. Friderih. Erkanbreht. Walabrun, & alii.

Berenger delegavit nobis pro Remedio Animæ suae XLV. Agros & XXX. alios, quos concessimus uxori suae usque ad obitum suum.

Diterih & *Hiltebrant*, propter seditionem factam, dederunt nobis agrum unum.

Allodium, quod est Rodeheim emimus à *Gotefrido* de Hettungens pro XXXV. marcis & agros XL. pro XXX. marcis emimus.

Heinrici Filium captum, IIII. Talentis redemimus & XV. agros recepimus.

Constantino de Werd super dimidium mansum concessimus Talentum, ipsique dedimus dimidium Talentum pro Curte sui Juris; & idem quando gladium erat accepturus, necessitate compulsus posuit nobis agros VIII. pro XVI. unciis unde impensas faceret.

Helmericus Ministerialis, posuit nobis agros VI. pro dimidio Talento, postea verò Necessitate compulsus IIII. uncias super eosdem agros recepit, iterum etiam necesse habens dimidium Talentum à nobis accepit, ut eosdem agros Ecclesiæ dimitteret.

Prædium

Prædium apud Pholenheimb ab *Hettfolcho* quodam & ab uxore ejus, Domnus HERMANNUS Abbas pro XXXI. marca emit, & in manus horum Testium posuit Chadelhoi & Fratris ejus Reginhardi, Pillungi & Fratris ejus Eggehardi, Wolfmari, Riutwici, Albi, Adelhuni. In eodem Loco Frater *Beringerus* II. mansos Monasterio nostro Tradidit.

XXII.

Traditio Ottonis Canonici.

NOtum sit Christi Fidelibus, qualiter OTTO Presbiter, Canonicus Ecclesiæ Tuirstatensis per manum WOLFRAMMI Militis de Stetebah, Ancillam suam nomine Liebistam, cum Filiis ac Filiabus omnique Posteritate ejus, absque omni contradictione tradidit ad Altare S. Michaëlis, quod est in Monte Monachorum, ea scilicet conditione, ut singulis annis Censum V. Nummorum eidem præfato Altari persolvat, sed & de Posteris ejus, tam masculus quàm Fœmina post obitum ejusdem Liebistæ, qui maximus ætate in ea Familia inventus fuerit, ejusdem debitor Census existat; his duntaxat exceptis, qui Clericali Officio destinati fuerint, quæ Constitutio in Filios Filiorum & Nepotes Nepotum utriusque sexus sic immota perpetim maneat, ut post obitum unius, alter qui proximus illi ætate & consanguinitate inveniatur, seu masculus seu fœmina, supradicti Censûs Legi subjaceat, quod si quis hanc eis gratiam violenter abstulerit & diminuerit, anathemate & Corporis & Animæ se juxta Canonicam Legem damnatum noverit. Hujus Traditionis Testes sunt: Peringer Presbiter, & Bruno Diaconus Tuitstatenses Canonici. Wolframmus prædicti Wolframmi Sororius, Dietmar ejusdem Consanguineus. Plikger, Adelgoz Halstatenses.

XXIII.

Traditio Erchanberti Canonici.

NOscant Præsentes & Futuri Fideles CHRISTI, quod ERCHANBREHT Canonicus & Presbiter de novo Monasterio, Prædium suum in villa Guhstat pro Animæ suæ Remedio tradidit ad Altare S. Michaëlis in Monte Monachorum, sic tamen, ut pars ejus, quæ sita est in Episcopatu Babenbergensi in proprium sit tradita, partem verò in Episcopatu Wirceburgensi sitam, X. argenti Libris, secundum Loci illius consuetudinem, si quis repetat, redimere habeat Potestatem.

XXIV.

Traditio Winizonis & Gunderunæ Conjugum.

NOverint CHRISTI Fideles, qualiter WINIZO quidam, Liber Homo de ASCHABACH, juxta vitæ suæ terminum ab uxore sua GUNDERUN fideliter expetivit, ut Prædium suum, quod in eadem villa ipse habuerat, Beato Michaëli in Monte Babenbergensi, pro Remedio Animæ suæ donaret, quatenùs pro hoc sepulturam inibi consequeretur & Orationis suffragium, quam scilicet Mariti petitionem ipsa non solum devotissima implere curavit, sed & alia Bona Hereditario sibi jure proprio apud Huchilheim & Dieterichesdorf & Aschabach cum Ecclesia ipsius Loci super Altare B. Archangeli, per manum HEINRICI Liberi Hominis de CRUTSHARF, Libera & absoluta Donatione contradidit, quatenùs post vitæ suæ Terminum, hæc in usus cedant Fratrum; aut si ipsa priùs mundum relinquere & ad prædictum S. Michaëlis Cœnobium se conferre voluerit, tunc quidem à Monasterio Prebendam consequatur. Hujus rei Testes sunt de villa Aschabah Eber. Nendinc. Arnolt. Gervvih. Burckart. Præter hos, Starcker de Murecherdorf. Pillunc & Frater ejus Gundeloch. Eberhart de Wicherigestein, Ezzo de Purgelen, Crafft & Henrich de Greinistorf, & Alii.

XXV.

Traditio Hermanni de Weckendorf.

NOtum ſit Omnibus CHRISTI Fidelibus qualiter HERMANNUS de Weikendorf Prædia ſua apud eandem Villam ſita, in manus HACHONIS Sacerdotis de Halſtat & DIETMARI de Babenberch delegavit, ea videlicet conditione, ut poſt obitum ſuum ipſa Prædia ad Altare S. Michaëlis in Babenbergenſi Cœnobio, pro Remedio Animæ ſuæ delegarent, & ipſe Hermannus Sepulturam inibi conſequatur.

XXVI.

Traditio Arnoldi de Chunſtat.

ARNOLDUS de Chunſtat, pro Filia ſua Bertrada, Prædium apud Fullebach Eccleſiæ noſtræ donavit, ut ipſa Filia ejus, prebendam de Monaſterio habeat, & per Annum, dimidium Talentum à Domno Abbate accipiat.

XXVII.

Traditio Arnoldi de Frieſenhaſela.

ARNOLDUS quidam Liber Homo de Frienhaſala, dedit Prædium ſuum quod in eadem Villa poſſidet, præter III. Jugera & præter plauſtrum, Sancto Michaëli, eo pacto, ut ſi petierit inter Fratres Barbatos recipiatur. Hujus Prædii Advocatiam RATPOTONI Comiti, ea conditione commiſit, ut per ſemetipſum, vel per Subadvocatum adminiſtret. Teſtes Donationis Prædii, quod dedit Arnoldus de Frienhaſala hi ſunt, Meginhardus Sacerdos de Ezzelenkirchen. Crafft Sacerdos de Haſala. Helmerich. Godefrid de Hoſtat. Crafft. Poppo. Tiuvelbolt, & Alii.

XXVIII.

ISti ſunt Teſtes, qui aſtabant, ubi Prædium quod dicitur Lacheha in Pago Iffingouve ſitum in Comitatu GUMBERTI Comitis, cum omnibus Uſtenſilibus ſuis in Jus ac Poteſtatem noſtræ Eccleſiæ traditum eſt. Henmo. Reginold. Dietbreht. Ebo. Ebo. Ruotbreht. Heinrih. Gumbraht. Ederam. Bobbo. Windhere. Wecil. Roho. Tiemo. Engelhard. Gerlah. Gundgere.

XXIX.

Hi ſunt Libri, quos Ruotgerus in Librario invenit, ſub Wolframmo Abbate.

Donati I.
Evticii I.
Catonis II.
Aviani II.
Proſperi II.
Sedulii I.
Aratoris II.
Terentii III.
Saluſtii II.
Evagrii Commentum ſuper Terentium.
Virgilii III.
Servii Comment. ſuper Virgil. III.
Boëtii IIII.
Oratii II.
Statii III.

Per-

Persii II.
Juvenalis II.
Martiani III.
Prisciani IIII.
Isidori IIII.
Porphirii I. *cum Categoriis Augustini* II.
Priora Commentaria in Porphirium II.
Priora commentaria in Cathegorias II.
Priora commentaria in Periherme-nias II.
Posteriora II.
Bœtii de relectis II.
Topichorum I.
Arithmeticæ II.
Musicæ IIII.
Rhetoricæ III.
De musica Encheriadis.
Victorinus in Rhetoricam.
Julius de Geometria.
Higinus in Astronomiam.
Macrovius in eod. volumine.
Item Macrovius.
Item Macrovius semiscriptus.
Timæus Platonis.
Lib. Sarracenus de Mathematica.
Boetii de S. Trinitate II.
Tullii de Finibus Bonorum II.
ad Herennium I.
de Oratore II.
Tusculanarum I.
Officiorum I.
de Amicitia II.
Musica Augustini I.
De Grammatica Augustini I.
Macrovii Saturnaliorum II.
Mappæ mundi III.
Plauti lib. I.
Lucani II.
Plinius de Naturali Historia I.
De Persecutione Africæ lib. I.
Daretis II.
Perisefeon II.
Justiniani de Legibus I.
Quintiliani II.
De vita diversorum Principum. lib. II.
Solini II.
Martialis II.
De Instrumentis Bellicis I.
Græci de Mathematica II.
Liber semi - scriptus de Legibus Agelii I.
De his, quæ Virgilius de Græcis traxit. liber I.
Aurelii Symmachi de Præfectura I.
Phatta I.
Medicinalium VI.
Itinerarius I.
Servii Honorati ad Aquilinum I.
Sibillæ vatis I.
De Epistolis Pauli Apostoli lib. I.
Pompejus Trogus I.
De Urbe mediolanensi I.
De Ordinatione Regum I.
De Virtutibus I.
De Heinrico Imp. versificus I.
De Ecclesiastica Institutione I.
De Formosiana Calamitate lib. I.
Officiorum I.
Paulus Orosius I.
Valerius Maximus I.
Helberici II.
De Nativitate Domini I.
De Fide I.
Rufinus I.
Historiæ Romanorum IIII.
De vita S. Galli lib. I.
Vita S. Benedicti lib. I.
SS. Viti & Modesti.
Kiliani.
Burchardi.
Anastasii & Filiorum ejus.
Julianæ.
Ceciliæ.
Gingulfi.
Agnetis.
Agathæ.
Corbiniani.

Pœnitentia S.Cypriani & Passio ejus.
Vita S. Silvestri una.
Vita S. Gregorii *una.*
Passionarius unus.
Vita S. Nicolai *una.*
Joannis & Pauli.
Petri Alexandrini Episcopi & de Predestinatione in eodem volumine.
Vita S. Wenezali M. una.
Viti & Modesti una.
S. Columbani.
Vitæ S. Martini duæ.
Remigii duæ.
Willibrordi una.
Augustini una.
Maximini una.
Antonii una.
Mariæ Ægyptiacæ una.
Missale l.
Graduale l.
Sequentiarum l.
Psalterium G*ræcum* l.
Visio Paronti Monachi.
Cassiodorus in Psalterium.
Cassiodorus de Detr*actoribus sacrarum Scripturarum lib* l.
Cassiodorus de Anima l.
Josephi Historiographi volum. IIII.
Tripartita Historia.
Moralia Job. duo volumina.
L. Homiliarum B. Gregorii l.
Gregorius in Ezechielem.
Dialogus Gregorii l.
Pastoralis cura l.
Gregorius de Agone christiano.
Gregorius in Epistolas beati Job.
Gregorius in Epistolas Hezechielis.
Augustini de Civitate DEI *lib.* l.
Augustinus super Psalterium *in V. voluminibus.*
Augustinus de Doctrina *christiana.*
Augustinus de agone christianæ Religionis.
Augustinus in Epistolas S. Joannis l.
Augustinus de versu: Qui vult vitam.
Augustinus de orando DEO.
Augustini Enchiridion.
Ambrosii in Isaiam Prophetam l.
de mysteriis l.
Cypriani ad Donatum lib. l.
Gregorius Nazianzenus.
Flaviani lib. l.
Ruffinus Historiarum l.
Beda de Temporibus ll.
de virtutibus l.
Beda de agone animæ & corporis Liber l.
de anima l.
Epistolarum canonicarum Lib. ll.
P*aschasius de Evcharistia* l.
Epistolarum Encmari lib. l.
Gestorum Charuli Imperatoris l.
Regum Francorum l.
De vita Cæsarum Romanorum l.
Item alius.
Liber Richberi ad Gerbertum.
Epistola P*rosperi de Libero.*
Ecclesiastica Historia Gentis Anglor.
Originis P*eriarchon* l.
Enchiridion l.
Homeliarum Originis l.
De Heresi lib. l.
Lib. Chronic. l.
Joannis de Componctione Cordis l.
Joannis in Epistolas B. Pauli.
De Benedictione Imperatorum l.
Joannis Chrysostomi lib. ll.
Epistola Adelberonis ad Ruodbertum.
Epistolarum Senecæ lib. l.
Hyeronimi Illustrium Virorum. ll.
Plenarium ll.
Item de Dormitione Paulini *lib.* l.
Senecæ ad Novatum lib. l.
Senecæ Epistolar. Moralium l.
Epistola Hyeronimi de P*salterio.*
Hyeronimi ad P*ammachium in* P*rophetias lib.* l.

Hye-

Hyeronimi ad Damasum Papam in Ezechielem Prophetam.
Gestorum Sancti Hyeronimi & Sancti Dionisii Lib. I.
Hyeronimi ad Eusebium lib. I.
Expositio in Mathæum Evangelist.
Expositio super Evangelium Marci.
Expositio Bedæ super idem I.
Augustini ad quendam Comitem.
Anus. de Proprietate Gemmarum.

XXX.

Vetus Designatio Bonorum S. Michaëlis.

R*odeheim* sunt XVI. mansi infra ipsam villam, quorum XV. singuli VIII. uncias & unum modium tritici persolvunt, sextus decimus verò, solummodò VII. uncias solvit. Insuper in prædicta villa tria Beneficia sita sunt, quorum Possessores duo, in singulis ebdomatibus duos dies in servitio Abbatis operantur, tertius verò XX. denarios habet.

Liutpurgehusen mansus unus & dimidius. *Phoulenheim* unus mansus & dimidius. *Alterisheim* mansus I. & dimidius *Urhusen* mansus unus, qui XI. uncias solvit. *Gibilstat* mansus I. *Tuebilenhusen* mansus I. *Welbehusen* XIII. mansi & tria Beneficia. *Ophenheim* III. mansi sunt. *Heugisbah* V. mansi. *Rudolfeshove* III. mansi. *Hademaresbah.* VI. mansi, quorum quisque in Festivitate S. Martini solvit LX. denarios & XL. in Pascha, Possessores etiam eorundem Mansorum unusquisque solvit Sindonem unam, quæ vulgò dicitur Phalta. *Forhe* X. mansi sunt. *Chofte* VI. mansi. *Ratolfesdorf* II. mansi. *Slagamaresdorf* V. mansi. Eibingen III. mansi. *Brunnen* tres agri sunt, totidem Viris in Beneficium concessi, quorum singuli quatuor dant uncias. *Tunnebrun* V. sunt mansi. *Elfindorf* VIII. mansi. *Lache* IX. sunt mansi. Apud *Winterbach* inferius & superius XI. *Heide* VIII. Beneficia sunt. *Grube* VII. Beneficia. *Luter* XII. Beneficia. *Berstat* VIII.

De *Rodehem* debet dari in Festivitate S. Michaëlis in Nativitate Domini, & in Pascha in unoquoque horum Temporum unus Frisking & X. Casei & C. ova, anseres II. pulli III. In Purificatione S. Mariæ V. solidi pro emptione Piscium. In Quinquagesima X. Casei & C. ova & Legumina.

Similiter *Ezzelenkhiricha, Lacho. Werdo. Ratolvesdorf* in Nativitate Domini & in Pascha Abbati tres Pelles, una Hircina & duæ Caprinæ.

VII.

TRADITIONES VETERES COENOBII S. STEPHANI HERBIPOLI.

I.

Traditio Willehelmi Presbiteri.

DEO dignum Hominibúsque carum est, ut dum in hac mortali vita versamur, quo Decreti simus Cives, sedulò recordemur, brevíque hoc in tempore pro Viribus aliquid operemur, cujus præmia in perpetuum experiamur: unde Ego WILLIHELMUS Sacerdotali Ordine licet indignè functus, Jugera bina Vineti Hohunbuch jacentis, ad Cenobium Sancti Petri in antemurali Urbis Wirciburgensis, causa Animæ meæ salutis condonavi, paciscens, ut quilibet carnali propinquitate mihi conjunctus, eisdem Jure hereditario potiri post Exitum meum volens, in Anniversali meo Servitium Fratribus ejusdem Loci quam dignissimum ob mei Memoriam Annis singulis sufficiat, quod postquam pertæsi fuerint, nulla contradictionis interve- An. 1057.

 niente

niente Nebula, Commodis perenniter Congregationis ipsius deserviant. Acta sunt hæc Anno Incarnationis Domini. MLVII.

II.

Traditio Mimutæ Matronæ.

An. 1065. OMnibus Universalis Ecclesiæ Filiis notum esse cupio, qualiter Ego MIMUT. octo Jugera Vinearum per manum Advocati mei EBERHARDI Senioris de Waltdolfo & de Ratdolfo in proprii Juris Possessionem accepi, & eadem die per manum ipsius ad Reliquias S. Petri, ex eisdem Vineis IIII. Jugera delegavi pro Remedio Animæ meæ, & Domini mei HEMMONIS, & pro Animabus omnium Fidelium defunctorum, eo scilicet tenore, ut in Anniversario Domini mei Hemmonis & meo, Vigilias & missas Fratres pro Commemoratione Animarum nostrarum celebrent, & in illa die eis detur de Me, aut de Posteris nostris plenum Servitium, aut X. solidi; Insuper igitur post Obitum meum ex iisdem Vineis pro Anima mea, Heredes mei urnam vini aut V. solidos ad eorundem Fratrum usum persolvant: hi sunt, qui viderunt & audierunt DIETMAR Præpositus. WERLMAN Præpositus. ENGILHART Decanus. Willebraht Custos. Accrman. Mahtolf. Mareuvart. Heinrich. Zeizolf. Hilribraht. Berenhart. Adelrih. Richalm. Hecil. Hozelo. Liutpern. Willemunt. Ruppolt. Hazzo. Luzman. Ebezeiz. Ernost. Zeizman. Diezman. Walpraht. Vuinefrit. Heilo. Lutpern. Ernost. Sigebraht. Azeman. Gunto. Gozmar. Hecil. Richeri. Engilbraht. Waltolf. Engilhart. Wecil. Encil. Liutpolt. Hozman. Regel. Anno MLXV. hæc Traditio facta est.

III.

Traditio Meribotonis.

An. 1091. PRo eo quod apud humanam, nil constans diversitas, Curarum extrinsecus accidentium, relinquit, Memoriam firmitari Litteratoriæ ob futurorum Notitiam, obque omnem Improborum importunitatem oppilandam, mandari fategi, qualiter Ego MERIBOTO, eo Tempore, immo eo die, quo & acquirendi & perdendi, his in Regionibus Facultas mecum fuerat, mansos IIII. cum suis appendiciis in Villa Sala Jacentes, ad Altare Sancti Petri in Suburbio Wurciburg delegavi, eosque Loci ipsius Dominio quoad vixi absque omni contradictionis obstaculo vendicavi, & hoc ob Remedium Animæ meæ, Uxoris, eorumque, quorum mihi Hereditario Beneficio eædem Res provenerant, perfeci. Hujus rei Testes sunt, Volmar Frater meus, Heinrich de Etileiba. Buggo. Eherich. Rudolf. Bero. Herold. Wolfheri. Acelin. Regil. Siggo. Rudolf. Winizo. Beringer. Eber. Acelin. Gerisch. Acta sunt hæc Anno Incarnationis Domini MXCI. Indictione XIIII. sub HEINRICO IIII. Imperatore. EMEHARDO addicto Wurciburgensis Ecclesiæ Præsule. GOTEBOLDO Urbis Præfecto.

IV.

Traditio Alpuini.

An. 1094. NOtum sit omnibus Universalis Ecclesiæ Filiis, tam futuri quam Instantis Temporis, qualiter Ego ALPUVIN, Juris mei Vineam Leimgrubun sitam, ad Altare S. Petri in Wirciburgensis Territorii Monasterio politum, causa salutis Animæ meæ delegaverim, tali conditione, ut me viam Universæ Carnis ingrediente, quisquis Filiorum aut Nepotum meorum hanc voluerit obtinere, ad exhibendum Lucernæ Lumen in Capella Sancti Nikolai, quæ Meridianæ Porticui ejusdem Monasterii adjacet, annuos V. Syclos Anniversario obitus mei die, Fratribus ibidem persolvat, à quibus etiam ipsa die ad Vigilias & ad Missas Nominis mei memoria fiat: quod si quisquam Nepotum meorum, Traditionis hujusmodi servare retractarit Legem, Abbas ejusdem Monasterii Vi-

neam

neam eandem, manu poteſtativa in ſuam redigat Dominationem: Iſti ſunt Teſtes, qui hæc audierunt & viderunt Ezzo prædicti Monaſterii Abbas cum Fratribus ſuis. Ratolfus Canonicus. Adalrih. Suippoto. Rupolt. Liephart. Rutvvic. Ebo. Gotefrid. Burckard. Eggihart. Richard. Ecelin. Gerrich. Adalhard. Siggo. Rudolf. Acta ſunt hæc Anno Incarnationis Domini MXCIIII. Indictione II. HEINRICO IV. Imperante. EMFHARDO Wirciburgenſis Eccleſiæ Præſulatum tenente. GOTFRIDO Juniore, Urbis Præfecturam agente. Quiſquis autem Delegationis hujus pactionem irrumpere, aut irritam præſumpſerit facere, Horrendi Anathematis, ſi non reſipiſcat, plaga multatus, Ignis inextinguibilis, vermiumque nunquam morientium ſine Fine cruciandus, perpetuos ſuſtineat Cruciatus.

V.

Traditio Henrici.

NOverint omnes Fideles, qualiter Ego HEINRICUS, Vineam unam quatuor perticarum in Latitudine, in Moresberg ſitam, ad Altare Sancti Petri Apoſtoli delegaverim, ut ſingulis annis Egomet, ſi revertar à Jheroſolimis, in Octava Sancti Kyliani, Fratribus impendam Urnam Vini & XXX. Similas, & quicunque Heredum meorum mea pactione eam obtinendo idem perſolvere neglexerit in Anniverſario meo, Fratres in uſum ſuum transferant. Cujus rei Teſtes ſunt. Rupolr. Kadeloch. Hecil. Leiphard. Rutvvic. Heinrih. Richalm. Linpern. Iſcirrad. Winizo. Rudolf. Hemino. Gotefrid. Libolf. Herold. Arnold. Gerrich. Acta ſunt hæc Anno Incarnationis Domini MXCV. HEINRICO IIII. Imperatore. EMEHARDO Epiſcopo. GOTEBOLDO Urbis Præfecto. An. 1095.

VI.

Traditio Adelhelmi & Burcſuvindæ Conjugum.

SÆpenumero contingit, ut de Parentibus frugalibus Filii naſcantur Luxurioſi, quorum petulantia quæcunque à Progenitoribus, Animæ fortaſſis cum periculo, certè Carnis, conquiſita diſpereant, itaque fiat, ut nec ipſis merces ulla Laboris mortuis accedat; potius ergo eſt, ut quæ uſui proprio deſervire volueris, in thecis Celeſtibus temet exſpectatura præmittas, quam dubiæ Poſterorum Fidei diu præſtolata, nunquam ſecutura committas: unde Ego ADELHELMUS Servus Sancti Kiliani, cum Conjuge mea BURGSUVINDE & ipſa Sancti ejusdem Ancilla, Prædium noſtrum ſcilicet Curtem, Domum, cum conſtantibus ſibi ædificiis, id eſt duabus Caminatis & totidem Cellariis, nec non Capellam S. Lamberti, hisdem adhærentem; cum Dotali ſuo, Vinea ſcilicet in clivo Goltclingen jacente, ad Monaſterium Sancti Petri in Suburbio Wirziburgenſi ſitum ſub hac pactione firmavimus, ut traditis ad eundem Locum quotannis, dum in hac vita vixerimus, ſex quidem unciis, vineæ verò IIII. cenſus nomine, utriusque noſtrum ſed & Patris Matrisque BURGSUVINDIS, & una die præſcriptæ totius Parentelæ ſuæ, ibidem perpetuò celebretur memoria; hoc ſummopere in Verbo Domini ammonentes & obnixius deprecantes, ne alii nobis ſuccedant Heredes, quam PETRUS & PAULUS Apoſtolorum Principes, & eorum, in eodem Loco Veneratores, quod itidem ſub teſtificatione Divina, ne qua rerum prædictarum fiat diſtractio, ſed ratione determinata perſeverent, denunciamus. Acta ſunt hæc Anno ab Incarnatione Domini MXCVIII. Indictione VI. ubi affuerunt cum Domno EMFHARDO Epiſcopo; Teſtes ſubnotati, Beringer. Richalm. Engilpraht. Alduvin. Wolfram. Ebo. & alter Ebo Adelrih. Kadiloh. Heinrich. Arn. Hecil. Diedolf. Cunò. Herrat. Egisprcht. Bernhart. Adelhart. Gerrich. Razman. Regil. Giſilbraht. Rudolf. Ecelin. Heimo. Hemmo. An. 1098.

Sequitur ejusdem Traditionis Confirmatio.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis EMEHARDUS DEI Gratia Wirciburgenſis Epiſcopus. Si cauſam à DEO nobis traditæ diſpenſationis attendimus, Officii noſtri Ex Autographo.

ſtri ratione omnimodis commonemur, ut Fidelium Oblationes, quibus Pauperum Chriſti in Monaſteriis Converſantium Neceſſitati ſubvenitur, Eccleſiis, quibus fiunt, noſtræ auctoritatis munimine confirmemus, ne quis trahat ad privatum commodum, quod ad communem Eccleſiæ utilitatem conſtiterit eſſe collatum: Eapropter cognoſcat Univerſitas Fidelium tam futurorum quam præſentium, quoniam quidam Miniſterialis Eccleſiæ noſtræ videlicet ADELHELMUS & BURCSUVINDIS Uxor ſua, Herede mortali carentes, DEUM verò Immortalem, & Sanctos ſuos Patrimonii ſui Heredes conſtituere cupientes, Præſentiam noſtram adierunt, & coram nobis in conſpectu Cleri & Populi Civitatis, Curiam ſuam, quæ eſt circa Capellam Sancti Lantberti cum ſuis ædificiis, & ipſam Capellam cum domo, quæ eſt ſub Capella, & VI. Jugera dotis ipſius Capellæ, quæ ſita ſunt in Marchia Dalcheim, Eccleſiæ Sanctorum Petri & Pauli & Sancti Stephani Proto-Martiris, in Suburbio Civitatis ſitæ, Manu collectiva delegaverunt, ita ſane, ut ipſi quamdiu vixerint, Bonis eisdem legitimè perfruantur, eis verò de medio ſublatis, Eccleſia ipſis in univerſum ſuccedat, & Animarum eorum in Anniverſarios Patriſque & Matris ipſorum cum Vigiliarum Miſſarumque ſollenniis, celebrare non omittat. Hæc Traditio confirmata eſt à me Emehardo Wirciburgenſi Epiſcopo in præſentia noſtri & GOTEBOLDI Urbis Præfecti, & Venerabilis ETHZONIS Abbatis, ac totius Congregationis Fratrum ſuorum facta, honorabilibus tam Clericorum, quàm Laicorum Perſonis, quæ ſubter notatæ ſunt interpoſitis: Ne igitur ulla ſuper hoc imposterum relinquatur Altercationis Occaſio, ſeu aliqua in futurum oriatur dubitatio, neve ullus contra ipſam Traditionem veniat, ſed quod promiſſum eſt, ratum & inconvulſum permaneat, Domini Noſtri JESU CHRISTI, & Beatorum Apoſtolorum ad quorum Reliquias delegati ſunt, noſtrumque Bannum inducimus, & Sigilli noſtri caractere præſentis paginæ conſcriptionem corroborare, non incongruum duximus.

Teſtes Canonici Meginhardus Decanus. Berngerus Decanus. Cunradus. Gebehardus. Gerungus. Wezil. Udalrich. Heinrich. Pobbo. Diethols. Diethwin & Pabo.

Laici Bernger. Richalm. Engilbrath. Alduin. Wolfram. Ebo. & alter Ebo. Adalrich. Kadeloch. Heinrich. Arn. Hecil. Dietolt. Cuno. Herrat. Egisbreht. Bernhart. Adalhart. Gerrich. Regil. Razman. Giſilbraht. Rudolf. Ecelin. Heimo. & alii plures.

Acta ſunt hæc Anno Domini MXCVIII. Indict. VI. Regnante Domino HEINRICO quarto. GOTHEBOLDO Urbis Præfecto. Menſe Majo III. Idus ejusdem menſis.

VII.

Traditio Heizonis Decani.

An. 1098. NOverint omnes CHRISTO credentes, tam ſucceſſuri, quàm noſtræ ætatis homines, quia Ego BERN, ſub Rogatu Domini HEIZZONIS quondam Decani, qui eandem ſub Jure defenſorio in manus meas tradiderat, Curtem unam in villa Hocheim ſitam cum ædificiis, absque ſuis appendiciis, ad Monaſterium S. Petri in Suburbio Wirciburgenſi ſtatutum, pro Remedio Animæ ipſius delegavi, hac videlicet ratione, ut dum vivat ipſe, omni rerum earundem uſu potiri benignè permittatur; cùm verò carnis iter ingreſſus fuerit, omni remota contradictione à Fratribus illic DEO militantibus, uſurpetur; hanc ipſe Dominus Heizzo Traditionem, pro ſolo, ut dixi, Animæ prætio fieri poſtulavit, ſed ne Heredes Bonis omnimodo fraudarentur Paternis, pars eorum, Curte una infra Urbe poſita, biniſque redempta eſt Talentis: facta eſt autem Anno ab Incarnatione Domini MXCVIII. Indictione VII. ſub HEINRICO Imperatore quarto. EMEHARDO Epiſcopo. GOTEBOLDO Urbis Præfecto.

VIII.

Traditio Kadelochi.

An. 1099. INſtabilitas Mundi hujus fugacis, ſui Amatores mirabiliter, immò miſerabiliter affligit, dum cogitationibus inter ſe pugnantibus, modo quaſi Lætis ſecuturis erigit, modo

modò Triſtibus dejicit; hinc ſubſtantiis anguſtiat ampliandis, illinc ſollicitat ſervandis, ſirque ut ipſum hominis vixiſſe morti deputetur, dum ipſa ſuper hæc omnia mox ſucceſſura timetur; hanc Ego KADELOCH conſiderans, mecúmque, qua eam arte effugerem, deliberans, ſalubri reperto conſilio, ut videlicet Dominum, quo volente Bona largita, quo tuente cuſtodita, ipſorum mihi conſtituerem potiſſimum Heredem; omnia quæ Juris proprii in Villa Moreneshelm poſſedi, Mancipiorum ſcilicet & Rurium, ad Monaſterium, foras murum Urbis Wirciburgenſis, Sancti Petri, hac ſubjecta Ratione dedi, ut me ſuperſtite, mihi deſerviant, mortuo verò, Loci Dominatui per omnia cedant, quod ſi vel morbo vel ſenio ad hoc perductus fuero, ut nec mihi nec ſubjectis proſpicere valeam, in Loco eodem veſtiar tantum, & paſcar, de reliquo rerum ipſarum poteſtate deſtituar. His adſtipulantibus qui ſubnotantur. Gozuvin. Yſinhart. Libolf. Rutger. Suigger. Irinc. Gunziln. Ecelin. Beringer. Sigeloch. Heriman. Richalm. Arnolt. Ebo. Acta ſunt hæc Anno ab Incarnatione Domini MXCVIII. Indict. VII. ſub HEINRICO Imperatore quarto & EMEHARDO Epiſcopo.

IX.

Traditio Lucgartæ Matronæ.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ne qua in ævum ob Longitudinem temporis Nebula interpolet Oblivionis memoriæ mando præſentium, eorumque poſteritatis, quia Ego LUCGART, Liberæ mulier Conditionis, in Villa Mureneshein ſitum propriæ poteſtatis prædium, ad Sancti Petri in Suburbio Wirziburgenſi Monaſterium delegaverim, ſub hoc pacto, ut vivæ mihi, vitæ ex Loco eodem Largiatur ſubſidium; ingreſſæ Carnis iter, Animæ imploretur Remedium, adjecto ſingulariter Filii mei HARTUVINI vocabulo, dein omnium, quorum parentili Beneficio hæc ad me usque decurrit poſſeſſio, ne qua autem, quod abſit, invidorum Factione utentibus eo gignatur moleſtia. Noverit quicumque legit vel audierit tam liberali datum manu, ut ſub nullius redigi in perpetuum poſſit patrocinio, niſi qui eidem Loco generali præeſt Domino: petitione tamen mea GOZUVINUS tunc Camerarius quoad vixerit ipſe in defenſione ſua ſuſcepit, mortuo autem eo, Succeſſor ei in hac poteſtate ut nemo exiſtat ſancitum eſt, præter manifeſtum Loci defenſorem, ut jam dictum eſt. Facta eſt hæc Traditio Anno Incarnationis Dominicæ MXCVIIII. Indictione VII. ſub HEINRICO Imperatore. EMEHARDO Pontifice, ubi cum aliis quàm plurimis hi fuere præſentes HEINRICUS Comes. Gozuvin. Ebo. Libolf. Herolt. Liephart. Boto. Godefrid. Vualtheri. Emehart. Udalrih. Aſmar. Hanthoch. Kadelhoch. Eiggehart. Gunzilin. Accelin. Vuolfheri. Rudolf. Winizo. Suippoto. Razman. Giſilbraht. Hemmo. An. 1099

X.

Traditio Morharti & Utæ Conjugum.

SOlet evenire ut Avaritia cogente, quæ Parentum DEO ſervientibus, pro mercede ſua contulit diligentia, hæc eis poſterorum auferre conetur inſolentia, quæ res ne in ævum cujuslibet Succeſſorum noſtrorum adverſitate proveniat præcavens, notum facio omnibus in CHRISTO tam præſentibus quam futuris, qualiter Ego MORHARD cum Conjuge mea UTHA ipſiusque Filio SAESONE, Prædium noſtrum quantumcumque eſt, in Finibus Rabeneshuſun, nec non Tunigeresheim jacens, in Agro ſcilicet ſeminario, in Vineto, Paſcuis, Pratis, Silvæ ſitu, Aquæ tractu, omnique, qui exinde nobis erat uſu, ad Sancti Petri Cenobium in Suburbio Wirciburgenſi conditum, pro noſtrárum Remedio Animarum delegavi, interjecta conditione, ut nulli in perpetuum Extraneo præſtetur, ſed Fratrum illic DEO militantium victualibus ſerviturum ſervetur, utque mortuis nobis tribus, in Clauſtro eodem Sepulturæ Locus tradatur, & Oratio Fratribus debita, per omnia perſolvatur. Hujus rei Teſtes ſunt Beringer. Kadeloch. Libolf. Rotuvic. Richalm. Bernolf. Acelin. Heinrich. Ebbo. Gerrich. Eggibraht. Rudolf. Siggo. Razman. Vuolfganc. Hemino aliique, quorum pagina non poteſt capere Nomina. Circa An. 1100.

XI.

Traditio Morharti & Uthæ Conjugum; altera.

An. 1100. IN Apostolicis fertur Gestis, quod in Tirocinio Nascentis Ecclesiæ, quotquot Agrorum aut domorum Possessores erant vendentes, prætia eorum ante pedes Apostolorum ponebant, & exinde dividebantur per omnes, prout indigebant, sieque divitis opes, pauperis inopiam suplebant, instantesque verbo Apostoli & interiora curantes, nullam de exterioribus sollicitudinem habebant, jam tum promisso pervagante Dominico: *qui recipit Justum in Nomine Justi, mercedem Justi accipiet*, quod non est aliud dicere, quam qui orantem, huic operi reddit expeditum, idem quod ille orando, iste necessaria vitæ submiaistrando, conquiret Præmium; hæc consequi me posse credens per misericordiam pollicentis, quia sæculum perfectè relinquere, DEIque me servitio rebus multifariis, immò ut medullam Necessitatis apetiam, peccatis meis obstantibus, mancipare non potui, partem aliquam Prædiorum meorum ante pedes Apostolorum Principis obtuli, quatenus ipso interveniente, dum sibi servientibus carnalia provideam, eorum spiritualia quandoque metam: Anno igitur ab Incarnatione MC. Indict. VIII. Regnante HEINRICO quarto; Præfecto Urbis GOTEBOLDO. Præsidente Sedi Wirciburgensi Domno EMEHARDO. EZZONE Abbate; in præsentia eorundem Ego Morhart, cum Conjuge mea UTHA, qui & ante Fundum in villa Rabineshusun situm, ad Altare Sancti Petri in Suburbio Wirciburc Tradidimus; Prædium in villa Vuaterингun quodcumque meæ Ditionis est cum Familia ad idem pertinente, exceptis Marcuvardo & Ebone, eorumque cognatione, nec non tertiam partem Parrochiæ ibidem constitutæ cum Partocinatu ejusdem Integro, sed & Curtem Dotalem juxta Ecclesiam, cum ædificiis in ea constructis, tresque villulas quarum hæc sunt vocabula. Vualthusun. Uzenvuileri. Croba, cum omnibus suis appendiciis universisque utilitatibus, pro Remedio Animarum nostrarum, Patris mei, matrisque, avunculorum matterteræque, quorum Beneficio hæreditario eadem ego possedi, ad idem Altare, quod notum sit omnibus tam præsentis quàm futuri sæculi hominibus, ad Victualia illic DEO militantium delegavimus, hac interjecta conditione, ut quoad vixero ab Abbate Loci ejusdem præstita meis commodis prospiciant, si verò paupertas importuna occupaverit, aut Senectus gravaverit, ita ut eis per me uti nequeam, Ego tantum, & prædicta Conjux mea ibidem pascamur, de reliquo, omni in rebus prædictis Proprietate privemur; his autem non accidentibus, post mortem meam statim Fratres absque ulla contradictione possideant, nec Defensori cuilibet, nisi ab Abbate Electo subjaceant, neque ea alio dari seu præstari cuicumque hominum liceat, quod si factum fuerit, Heredes mei Hereditatem suam repetant: Familiæ autem idem Jus, quod sub me habebat, inviolatum permaneat, hoc est, ut in Abbatis sit potestate, seu in mansum seu in Curtem, Fiscale collocare, mortui Maris quod optimum, Fœminæ in veste per se facta quod præciosissimum ad Fiscum dato, residua Hæredes retineant. Cujus rei Adstipulatores hi sunt. Clericorum hic erat numerus: Conrat. Gebehart. Meginhard Decanus. Beringer Decanus. Gerunc. Vuecil. Udalrih. Heinrich. Poppo. & alter Poppo. Gundolt. Tietolt. Tieruwin. Pabo. Liberorum autem Laicorum. Gozuvin. Gerunc. Vuolfram. Ludewic. Meginvuart. Constantin. Ysinhart. Clientum verò Emehart. Libolf. Herolt. Ebo. Eingilger. Richart. Hecil. Wecil. Herolf. Vuienant. Beringer. Eber. De Familia Sancti Petri Recelin. Regil. Rudolf. Gertich. Hemmo. Ebbo. Hi autem Fratres ejusdem Loci tunc Monachi Eppo. Walger. Adelbrecht. Arnuis. Bertolt. Hartman & alter Hartman. Engelfrith. Ruthart. Lamprecht.

XII.

Traditio Gozuvini & Ebbonis, Fratrum.

An. 1100. CUm diversa sunt Lapsuum Genera, quibus ab Æternitatis Felicitate, Mortalium Cura labitur, non pauciores tamen Divina Clementia, piæ actionis instituit gradus, quibus eodem revocetur; sicut enim ejusdem moris, ita impossibile est, omne humaum

manum genus ejusdem ad bene agendum esse roboris, & idcirco alius alio Sanctior, alius alio fortior, alius alio devotior invenitur, ut dum per mutuæ Caritatis Communionem perfectior quisque, minus idoneo de suis meritis supplementum largitur, diversæ mansiones in Regno Patris pro disparilitate introeuntium reservantur; unde fiduciam sumentes consequendi per alios, quod per hos ipsos nequimus, aliquantulum substantiarum nostrarum DEO Militantibus partiri disposuimus, ut dum eis vires gradiendi, corporis necessaria ministrando, præbuerimus in via, eorum suffragio juvemur in Patria. Ego igitur GOZUVINUS cum Fratre meo EBONE, Prædium pro voto, non facultate parvum, XV. scilicet mansos superante dimidio, infra metas Scuhesbach jacentes, Obtentu Animarum nostrarum, omniumque Parentum nostrorum Remedii, quod notum sit cunctis Nomine Christiano unà nobiscum fungentibus ad Monasterium S. Petri in Suburbano Wirciburgensi statutum delegavimus, nullo pactionis interventu alio, nisi Memoriarum nostrarum in eodem Loco Statu perpetuo, nostrasque huic Donationi ab illa die & deinceps Proprietatis vindicias sustulimus, ut Fratrum per omnia, absque ullo contradictionis obstaculo proficiat utilitatibus. Acta sunt hæc Anno ab Incarnatione Domini MC. Indictione VIII. sub HEINRICO Imperatore; Præfecto GODEBALDO. in præsentia HARTUVINI Magedeburgensis Archi-Episcopi & Domni EMEHARDI Wirziburgensis Episcopi, sed & FRIDERICI Palatini, eorumque Comitum quam plurimorum, qui & hujus rei noscuntur Idonei.

XIII.

Renovatio Traditionis Morharti & Utæ Conjugum.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis; Omnibus Fidelibus præsentibus & futuris in perpetuum feliciter, Amen. Quoniam fluxu temporis agili cursu pretereuntis, Mortalium evanescit memoria, ad oblivionem rerum removendam, Justitiam verò memoriæ hominum commendandam, vota quæ adhuc vita florente Ego MORHARTUS & Conjux mea UTHA, Domino DEO persolvimus, presenti Testamento communire curavimus: cùm itaque essemus ambo Homines nostri Juris, & absolutæ Libertatis, secundùm Spem vitæ æternæ, Temporalibus nostris Celestia comparare studuimus, ideóque . . . Monasterio Beatorum Apostolorum Petri & Pauli Sanctique Stephani Protho-Martyris, quod est in Suburbio Herbipolensi, Fundum quendam in Rabenhusen tradidimus, & in conspectu totius Collegii Omne Jus nostræ Proprietatis in ipso Fundo adstipulavimus: procedenti dehinc tempore, Victualia Fratrum in eodem Monasterio conversantium, adaugere cupientes, tertiam partem Parrochiæ Watheringun, & dotem Ecclesiæ, Curtem videlicet eidem Ecclesiæ conterminum, ad Altare prædictorum Sanctorum collectiva manu delegavimus; statuentes, ut quemadmodum ad Nos antiquissima temporum devolutione pervenerat, ex omnibus ejusdem Parrochiæ pertinentiis, tertia pars Abbati & Fratribus ejus contingat: Sacerdotem verò qui ibidem præesse debet populo, nemo alius præter Abbatem Loci, consensu tamen & concordia Conventus in eadem Parrochia investire præsumat, ad cujus rei majorem sanè evidentiam, Prædium quoque nostrum in eadem villa positum cum Familia eidem Prædio pertinente, exceptis Marquardo & Ebone eorumque cognatione ex integro in Jus præfati Cœnobii transfudimus, adjicientes tres villas Legitimo contractu, quarum vocabula sunt hæc Walthusen. Uzenwileti. Gruba, cum omnibus suis adjacentiis suisque Utilitatibus, pro Remedio Animarum nostrarum Parentumque nostrorum, quorum Beneficio per Longam . . dictum est successionem, eadem Bona hæreditaria devolutione quietè ac pacificè possedimus: placuit autem nobis hinc inde talem præfigere Legem, ut quo ad usque viximus, eadem Bona ab Abbate nostris commoditatibus præstita deserviant, post obitum verò nostrum remota & amputata funditùs, omni Heredum repetitione, Fratres ea, Jure constitutionis prætaxatæ integraliter possideant: Verùm si ante obitum, inopinata Nos Egestas occupaverit, aut Senii debilitas in tantum confecerit, ut per Nos eis uti nequeamus, statutum est quatinus nos duo tantum in convictum, & Societatem Fratrum transeamus, & de reliquo in præscriptis rebus nichil Proprietatis, nichil Emolumenti capiamus; quod si nichil horum evenerit, nobis decedentibus Fratres universa recipiant, & juxta arbitrium suum propriis necessitatibus An. 1100.

 inde

inde prospiciant: nulli Mundiburdio, nulli defensori, nisi quem Abbas Loci providerit, præfixa possessio subjaceat, nullus ea infeudare vel . . . quomodolibet alienare audeat, Familiæ autem idem Jus quod sub nobis - - - habebat inviolatum permaneat, ita ut in arbitrio Abbatis pendeat ex eis quem voluerit seu in mansum, seu in Curtem fiscalem transferre, mortui masculi animatum optimum, Fœminæ quod in veste per se facta, prætiosissimum est, accipere, cetera Heredibus non diminuere. Hæc autem Traditio recognita & confirmata est à me EMEHARDO Wirciburgense Episcopo in præsentia nostri, & Venerabilis ETHZONIS Abbatis ac totius Congregationis facta, honorabilibus tam Clericorum quàm Laicorum - - - quæ subter notatæ sunt interpositis: ne igitur ulla super hoc imposterum relinquatur Altercationis occasio, seu aliqua in futurum oriatur dubitatio, neve ullus contra ipsam Traditionem veniat, sed quod promissum ratum & inconvulsum permaneat, Domini Nostri JESU CHRISTI & Beatorum Apostolorum ad quorum Reliquias delegata sunt, nostro quoque Banno inducimus, & Sigilli nostri Caractere præsentis paginæ conscriptione corroborare non incongruum duximus. Testes Canonici: Meginhardus Decanus. Berngerus Decanus. Cunradus. Gebehardus. Gerungus. Wezil. Udelrich. Heinrich. Pobbo & alter Pobbo. Dietholt. Diethwin & Pabo. Liberi Homines Gozwin. Gerung. Berthold. Hartman. Item Hartman. Engilfrit. Ruthard. Lantptaht & alii complures. Acta sunt hæc Anno MC. Indict. VIII. Regnante Domino HEINRICO IIII. GOTEBALDO Urbis Præfecto.

XIV.

Traditio Ebbonis & Juditha Conjugum.

An. 1100. VItæ mortisque Moderatoris DEI, viscera Pietatis quis comprehendere, quis memorare sufficiat? Cui, cùm à se largita redduntur, ac si propria Tribuenti restituenda cum fœnore pollicentur; nec hoc ei sufficit, quin ad cumulum demonstrandæ hominibus Benignitatis suæ, quod pro se quis non adimplevit vivus, si per aliorum Manus expleat defunctus, nullus Bonæ Voluntatis præmii apud ipsum subripiat defectus: quapropter Ego JUDITHA, rogatu mariti mei EBBONIS in Lecto discessionis decumbentis, à se quidem promissos, sed mortis præventu impediente non traditos IIII. Mansos, cum omnibus suis attinentiis Villæ, quæ dicitur Suntheim, adjacentes, Cœnobio Sancti Petri, in antimurali Wirciburgensi condito, quod noverit cuncta Fidelium Ecclesia, Victualibus Fratrum profuturos ex hoc nunc in Sæculum, pro ipsius Animæ Medicina condonari, hac sola conditionis interpositione, quatinus ipsius recordatio in eodem Loco annuatim non desinat iterari. Acta sunt hæc Anno ab Incarnatione Domini MC. Indictione VIII. sub HEINRICO quarto. & EMEHARDO Episcopo & GOTEBOLDO Præfecto, cujus rei Testes sunt RUPPERTUS Præpositus. MEGINHARDUS Decanus, BERINGERUS Decanus. Herimannus. Heinricus. Wecil. Cuno. Udalrich. Gerunc. Laici Gozuvin Camerarius. Ebo. Arnolt. Woltram. Emehart. Libolf. Herolt. Richart.

XV.

Traditio Ysenhardi.

An. 1100. SApientis Viri Sententia hæc est: *Benefac Justo, & invenies retributionem magnam, & si non ab ipso, certè à Domino*, cujus exhortationem Ego YSENHARDUS Liberæ conditionis Vir, ut etiam promissionis mercedem consequi merear, sequi cupiens, Notum esse cupio omnibus tam nostri quàm futuri Temporis Fidelibus, qualiter quinque Mansos & dimidium Wazzerloza sitos, cum duobus mancipiis Rudolfo & Uxore ejus, ad Altare Sancti Petri in Monasterio Wirziburgensis Territorii, pro Remedio Animæ meæ Uxorisque meæ CHRISTINÆ delegaverim, ejus conditionis tenore, ut nobis in eorum Fraternitatem receptis, Locoque Sepulturæ in Claustro utrisque concesso, Ego V. annuos syclos, quoad vixerim in Festivitate Sancti Martini eis pro commonitione Fraternitatis persolvam, eandemque possessionem vitæ meæ usibus profuturam, in Beneficium ab eis retineam; quacumque autem die viam universæ carnis ingressus fuero, quic-

quicquid ibi repertum fuerit frumenti, vel animalium, sive aliarum quarumcunque Rerum parvarum sive magnarum, Abbas ejusdem Monasterii cum ipsa possessione ex tunc & in æternum in suam, Fratrumque suorum recipiat potestatem: Conjux quoque mea, Equo meo, quem tunc temporis optimum habuero, Fratribus pro Beneficio Sepulturæ persoluto, mox quàm celerrimè res suas disponere potuerit, ad eundem Locum habitatura se conferat, uniusque Fratris Prebendam ad cottidianos usus ab Abbate Loci recipiat; quod si ipsa prior me defuncta fuerit, Ego simili vice talentum Argenti, die depositionis ejus Fratribus persolvam, possessionem verò ipse retineam, illisve remittam, in meo consistat arbitrio, prebendam autem illam, cum libuerit, habeam: Mancipia duo, quæ simul cum Possessione delegavi, eadem Servitutis Lege, qua mihi viventi, ipsis post obitum meum perpetuo Jure famulentur, adjuncta omni Posteritatis suæ Familia. Acta sunt hæc Anno Incarnationis Domini MCI. Indictione VIIII. HEINRICO quarto Imperante. EMEHARDO Wirzeburgensi Ecclesiæ Præsidente. GOTEBOLDO Urbis Præfecturam Agente. Hi sunt Testes, qui viderunt & audierunt. GOZWIN Camerarius. Libolf. Kadeloch. Herold. Gotefrid. Eherih. Rudiger. Hemmo. Richolf. Alpuwin. Rudolf. Winizo. Siggo. Gerrich. Dangmud. Razman. Hartman.

XVI.

Traditio Adeloldi.

NOtum sit omnibus Fidelibus tam futuris, quàm præsentibus qualiter Ego ADELOLDUS septem Jugera Vineti Recistat, & duos mansos in confinio Eicholvesheim, tam in Ædibus, quàm in Agris, seu rebus quibuslibet aliis, utilitati humanæ profuturis possedi, ad Monasterium Sancti Petri in Wirciburgensi Suburbio situm, talis interjectu conditionis dedi, ut videlicet Ego quoad vixero, ad Missam Sancti Martyni XV. Similas, cum urna dimidia vini, adjectis insuper in coëmptionem piscariam V. denariis, sub pretextu Census, ne nihil interim emolumenti de dato experiantur, à me Fratribus ejusdem Loci tradantur. Eadem etiam hora, quædam Juris mei mancipia Heribertum scilicet & Adelberonem. Reginhardum. Cristan. Manegoldum. Adelburgam quoque & Edilindam cum Liberis suis, ad Altare hujusmodi ratione delegavi, ut singuli trium annuatim denariorum Censum tribuant, ac duo insuper prædicti Heribertus & Adalbero IV. uncias ad festum Sancti Martini pro supradictis mansis in usum ipsorum post obitum meum cedentibus persolvant, nec eorum post se hæredibus, sed Monasterii ex integro cedant Utilitatibus. Postquam verò Ego vivendi munus excessero, quisquis Heredum meorum idem in Beneficium possidere voluerit, datis præscripto anni tempore XXX. Similis urnaque vini, nec non quinis Nummis eidem actioni cui supra deputatis, prout proficuum duxerit utatur, sin alias servitio Fratrum pro Libito subjugetur: verum quia annis singulis, non una vini provenit genitura, eo anno, quo ejus Caritas subrepserit, in ejus Locum à me quidem uncia, à Posteris verò meis duo solidi expendantur. Acta sunt hæc Anno ab Incarnatione Domini MCI. Indict. VIIII. Cujus rei Testes sunt. Arnolt. Otto. Uto. Heinrich Riehalm. Winteri. Harthman. Hemmo. Gerrih. Razman. Suppoto. Wolfganc. Biruvin. Adelolt. An. 1101.

XVII.

Traditio Richardi per manus Volcmari & Heroldi.

QUia Boni totius Fundamentum Fides est, & absque ea non potest esse ratum DEO quodcumque munus oblatum; notum sit omnibus Fidei ejusdem tenorem, vita cariorem ducentibus, quod Nos, Ego scilicet VOLCMARUS & HEROLDUS, substantias quasdam RICHARDI, Fidei nostræ commendatas, ipsius Rogatu ad Monasterium Sancti Petri in suburbio Wirziburgensi situm, Remedio Animæ ipsius profuturas delegavimus, quarum per omnia utilitates ne quis postmodum de studiis partium, dum ad se quisque nititur, nec DEI Hominumve recordatur, error emergat, providentes hoc modo discrevimus: unam quidem Curtem juxta Urbis murum jacentem, An. 1101.

Q cum

cum suis attinentiis Hortu videlicet & ædificiis, nec non vinearum partes tres, absque aliqua conditionis interjectione, Fratrum ejusdem Loci usibus cessuras, ex tunc in perpetuum tradidimus: aliam verò, quæ & cultu commodior & ornatior Filio Heroldi, Clericatui mancipato, datis census nomine per annos singulos IIII. unciis in die Anniversarii ipsius Richardi ad idem Altare, Custodi templi quocumque ipse eas in emolumentum Loci verterit servituris, quoad ipse vixerit, &, si cui Clerico in sua cognatione eadem tributa pensione, pro se reliquerit possidenda, constituimus: quod si vivens ipse statutum solvere pertæsus fuerit, neque alteri eo modo quo diximus dimiserit, per manus Fratrum præstetur quandocumque alias libuerit, sic tamen, ut vendendi eam penitus, quod & de reliquis sancitum est, Potestas nulla tribuatur, utque Census quantuscumque de ea proveniat, annuatim Custodi præsentetur; tres nihilominùs Vineti partes hac conditione tradidimus, ut unam earum BERNOLPHUS ipsius Richardi Cognatus data in Anniversario ejus Urna vini & XV. Similis, alteram Soror ejus ENGILZEIZ sub simili recompensatione in Anniversario Matris Richardi, tertiam EBERHARDUS quidam tradita urna dimidia decemque Similis in Anniversario Patris ipsius Richardi, dum vivunt hi tres possideant; post mortem verò eorum non cujuslibet hæredum suorum, sed Fratrum dominio subjaceant. Acta sunt hæc Anno Incarnationis Domini MCI. Indictione VIIII. sub HEINRICO Imperatore quarto. EMEHARDO Episcopo. GOTEBOLDO Præfecto: cujus rei Testes sunt Libolf. Bernolt. IIII. Henrici. Arnolt. Thietolf. Asmar. Encil. Lemphrit. Eppo. Lemphrit. Asoch. Wolfhun. Theitolf. Franco. Huzman. Rutgis. Heriman. Walterich. Bezeman. Rudolt. Siggo. Gerrich. Razman. Gnanno. Heimmo.

XVIII.

Traditio Friderici Ducis.

An. 1103. SIcut quorundam vita sibi & aliis proficit, ita è contrario multorum vita sibi & aliis officit, dum quod illi pro Remedio Animarum suarum ad præsentis viæ subsidium DEO servientibus conferunt, hoc isti ad condemnationem Animarum suarum eisdem velut avidissimi pervasores auferunt, sitque modo miserabili, ut unde salus aliis nascitur inde pernicies aliis acquiratur; unde Operæ pretium arbitramur notum facere omnibus Christianis tam præsentibus, quàm sequentibus, qualiter Ego FRIDERICUS DEI Gratia Dux, partem Beneficii mei, Episcopo Wurciburgensi Domno EMEHARDO, causa salutis Animæ Fratris mei LUDEWICI Palatini Comitis, restituerim, ea conditione, ut ipse eam ad Monasterium Sancti Petri juxta murum ejusdem Urbis situm delegaret, quod & fecit idem Episcopus manu Advocati sui, Præfecti videlicet GOTEBOLDI: est autem Silvula quædam juxta villam, quæ dicitur Witoldeshusun jacens; hujus rei Testes sunt HENRICUS Comes, Frater Episcopi. ENGILHARD Comes. UDALRICH de Kazzenstein. Rupprahr. Sigeloch. Burkard. Wortwin. Arnold. Arnold. Egisbreht. Eber. Engilhard. Irinc. Richard. Meginold. Emehard. Arn. Arn. Heinrich. Arnolt. Adalbraht. Libolf. Herold. Gotefrid. Kadeloch. Richalm. Ebo. Rutwic. Balduvin. Thiedo. Guncelin. Sicco. Acta sunt hæc Anno Incarnationis Domini MCIII. Indictione XI. HEINRICO IIII. Imperante.

Ex Autographo.

Sequitur ejusdem Traditionis Confirmatio.

An. 1104. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. EMEHARDUS DEI Gratia, Sanctæ Wirzeburgensis Ecclesiæ Minister Humilis. Oportunum & omnino Rationi videtur congruum, ut Nos, qui Divina Providentia sacram vicem ac Typum Summi Pastoris in Ecclesia gerimus, ipsum quoque Apostolum Domini, piis Sanctorum Patrum exemplis edocti, maximè in his imitari studeamus, quo sacras Dotes, Donationes, Mancipia, Prædia, Beneficia, Monasteriis, Ecclesiisque per diversas Personas Nobiles & Humiles venerabiliter collata, quasi propria deputata custodire, conservare semperque in majus ea promovere, certaque Privilegiorum munitione imposterum confirmare atque promovere curemus. Inde est, quod omnibus Sanctæ Ecclesiæ DEI Fidelibus patenter notum esse cupimus, qualiter Dominus FRIDERICUS DEI Gratia Dux Serenissimus Suevo-

Suevorum, ad Curiam in Oppido Wirzeburg, Agente Domino HEINRICHO Invictissimo Romanorum Imperatore sollemniter celebrandam, una cum aliis Teutonici Regni Principibus adveniens, ubi explorata adepraque oportunitate, Silvam quandam prope villam Witoldeshusun positam, ab Antecessoribus nostris in Beneficium sibi concessam, nostro assensu, & quosdam Homines suæ Proprietatis, quorum Nomina sunt. Frideloch & Uxorem ejus Ratpurgam, Trudolf & Uxorem ejus Willetrudam cum Liberis suis, Regenboto & Willecuma Sororem suam, Gerrichum cum Uxore sua Becela, cum Liberis suis Riehollo & Regelo, Gisela & Benedicta, cum tota sua suorumque procreata & procreanda prole, Libera manu, liberaque Potestate coram Liberis & Ministerialibus nostra Serenitate fautrice, nostraque Discretione mediatrice ad sacras Reliquias, & veneranda Patrocinia, quæ Laude digna honorantur atque reverentur, in Ecclesia ante muros Civitatis Wirzeburg, in honore Principum Apostolorum Petri & Pauli, & Beati Stephani Protho-Martiris honorificè constructa, ob Remedium, piamque Salutem Dilecti Fratris sui LUDEWICI Palatini Comitis delegans Contradidit atque Donavit; verumtamen hac Lege & Jure, eosdem Homines, prædictæ Ecclesiæ perpetuo servitio mancipavit atque dimisit, quatenus quivis illorum ad annos Pubertatis devenìens & masculus & femina in sollemni Festo supradictorum Apostolorum singuli singulis Annis tres denarios, ob Divam Memoriam dilecti Fratris sui Ludewici Palatini Comitis, ritu sempiterno persolvant, sicque à cunctis cunctorum mortalium angariis, proangariisque & omni Advocatitio Jure, & Advocatorum universa Exactione & insatiabili corrosione Liberi, ita ut ubicumque Terrarum aut Locorum Romani Imperii habitare elegerint, optata Pace potiri habitent, tuti degant, securi & maneant, quam verò Justitiam, si quis posthac malefactor aut falsus invasor aliquis, Ecclesiam de his Hominibus sibi donatis inquietando, despoliando, divestiendo violare tentaverit, Successores quippe Serenissimi Ducis Friderici, ob Laudem ac piam Salutem sui suorumque, agiliter vetent, indefessè arceant, Invasores reprimant, sacræ hujus Donationis violatores Justitiamque mancipiorum quondam suorum defensare, & adjuvare non dissimulent, Fratribus siquidem solis in præfata Ecclesia DEO servientibus, omninò liceat, ut quoscumque illorum Hominum placuerit & voluerint, quemlibet pro sua qualitate ac maneriæ, Sistrino, Coquinæ, Arti sutoriæ, Caminatæ quoque suæ, ac publicæ Corti suæ introducant, sibique eos enutriant & adaptent servituros, à Nemine umquam gravandos: ut igitur hæc factæ Donationis pagina ab Auctore suo Domino Friderico Duce Serenissimo coram omnibus ordinata, recitata, & recognita Lege perpetuò valitura rata, intacta, illibataque in ævum permaneat, æterna Sigilli nostri Clausura, Nostræque Præsularis Imaginis impressione permansura inviolabiliter, eam confirmari atque corroborari constituimus: præterea verò auctoritate Principis Apostolorum Beati Petri, & nostra, Nobis à DEO concessa, si quis hujus Kartæ Integritatem annullare, aut violare in tantum delitaverit, hunc cum omnibus suis sequacibus Sanctissima Christi & Ecclesiæ communione privatum & extorrem, æternis infernorum ignibus, æternum & ultra cruciandum transmittimus. Sit anathema . . . . Testes Clerici RUPERTUS Præpositus. OTTO Præpositus. BOPPO Cantor. MEGENHARDUS Decanus. Berenger Decanus. Heinrichus. Wezil. Cuno. Odelrich. Gerungus. Laici Heinricus Comes. Engelhardus Comes. Udelrich. Ruppertus. Sigeloch. Burcardus. Arnoldus. Egispertus. Eber. Engelhardus. Yringus. Item Richardus. Megenoldus. Arn. Henrich. Libolfus. Gotefridus. Kadeloch. Richalmus. Ebo. Rutwigus. Tiedo. Gunnzelinus, Goswinus Camerarius & Alii plures.

Acta Anno MCIIII. Indict. XI. Domino HEINRICHO Quarto Glorioso Imperatore Romanorum. EMEHARDO Episcopo Præsidente.

XIX.

Traditio Egisperti & Mahtildis Conjugum.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego EGISPERTUS & Uxor mea MAHTILDIS tam Memoriæ quàm Notitiæ universis Fidelibus pro sui Successione contradimus, quia præveniente miseratione Domini, quantulamcumque sollicitudinem pro Animabus nostris gerentes, Fundum nostrum situm in villula, quæ dicitur Himminstar, An. 1103.

 &

& VIII. Jugera Vineti juxta Cutnaha, ad Altare Sancti Petri, apud Suburbium Cenobii ipsius absque omni contradictione, firma traditione Manu continuata delegavimus, ut ipsorum pro nostris offensionibus intervenientibus meritis, aliquod Refrigerium expectiamur in tempore necessitatis: hanc autem pactionem substituimus, ut usum fructuatium ex eo quod est Himminstat, Uxore mea superstite obtineamus, ex Vineto autem me superstite, & ex utroque interim omni Anno Fratribus ibidem DEO militantibus XV. Similas, & urnam vini persolvamus; quacumque verò die universæ carnis viam ingressus fuero, prædicti Fratres, Vinetum prout tunc temporis est, in sua penitus recipiant; Uxore autem mea demigrante, de fundo frugifero Himmenstat eadem sententia permaneat.

Acta sunt hæc Anno Incarnationis Domini MCIII. Indictione XI. HEINRICO IIII. EMEHARDO Wirciburgensi Ecclesiæ Præsidente. GOTEBOLDO Præfecturam Agente. Cujus rei Testes sunt. Ruppertus Præpositus, Meginhardus Decanus. Hetiman. Ottho. Cunrad. Bobbo. Ernest. Wecil.

Laici HEINRICUS Comes. GOZWINUS Camerarius. Ruppertus. Libolf. Emehard. Kadeloch. Rutwic. Richalm. Heinrich. Gotefrid. Herold. Bern. Engilhard. Irinc. Richolf. Bernolf. Ebo. Lempfrid. Beceman. Gerrich. Winizo. Rudolf. Razman.

XX.

Traditio Adalberti.

An. 1105. SIcut quorundam vita sibi & aliis proficit, ita è contrario multorum vita, sibi, & aliis officit, dum quod illi pro Remedio Animarum suarum ad præsentis vitæ subsidium DEO servientibus conferunt, hoc isti ad Condemnationem Animarum suarum, eisdem velut avidissimi Pervasores auferunt, fitque modo miserabili, ut unde Salus aliis nascitur, inde pernicies aliis acquiratur; unde Operæ pretium arbitramur, notum facere omnibus Christianis, tam præsentibus quàm sequentibus, quod Ego ADALBERTUS ad Monasterium S. Petri in Suburbio Wirciburgensi situm, causa Salutis Animæ meæ, V. Jugera Vinetarum, absque aliqua conditionis interjectione, Fratrum ejusdem Loci usibus cessuras, statim mihi ingredienti iter carnis, ex tunc in perpetuum tradidi. Unam etiam Curtem insta Urbis murum jacentem, cum suis attinentiis, hac conditione delegavi, ut soror mea, Filiusque ipsius Gozwinus & Filia ejus, data in Anniversatio meo dimidia urna Vini & XV. Similis dum ipsi vixerint possideant. Hujus rei Testes sunt Libolf. Bernolf. Gozwin. Beringer. Gotebold. Lemphrit. Deceman. Ebbo. Adalbero. Wernheri. Gotefrid. Wienant. Liubbern. Adalbrat. Heinrich. Sigimunt. Wetinheri. Winizo. Rodolf. Razman. Gnanno. Alpuvin. Gerrizh. Acta sunt hæc Anno Incarnationis Domini MCV. Indict. XIII. HENRICO quarto Imperante. ERLUNGO Episcopo Wirciburgensi. GOTEBOLDO Præfecto.

XXI.

Traditio Liutfridi.

An. 1106. NOtum sit omnibus tam præsentibus quam subsecuturæ ætatis hominibus, qualiter Nos HEIZO & BECEMAN, vineam LIUTFRIDI, Fidei nostræ manibus traditam ad Altare Sancti Petri in Suburbio Wurciburc ex ipsius petitione post obitum ejus delegaverimus, ea conditione, ut relicta ejus Vidua, suique Filii hæredes existentes, quotannis in ejus Anniversatio XXIIII. Similas & urnam Vini Fratribus ejusdem Monasterii pro Remedio Animæ ipsius tributario Jure persolvant; quod si quemquam Hæredum pertæsum fuerit talem persolvere Censum, Abbas prædicti Loci delegatam sibi vineam in suam Fratrumque suorum redigat potestatem. Acta sunt hæc Anno Incarnationis Domini MCVI. Indict. XIIII. HEINRICO V. Regnante; Wurciburgensi Ecclesia tunc temporis Præsule destituta. GOTEBOLDO Urbis Præfecturam agente. Et hi Testes, qui viderunt & audierunt Arnold Vicarius Præfecti. Eppo. Alpuvin. Germunt. Richolf. Rudolf. Dangmud. Sieco. Razman. Alpuvin. Gnanno. Hartman. Wolfgang. Gerrich. Gotebold.

XXII.

XXII.

Traditio Egisperti & Mahtildis Conjugum, altera.

EGo Egispertus & Uxor mea Mahtildis, qui modicam pridem oblationem de An. 1107.
Donis Domini, ad Altare Sancti Petri Apostoli retulimus, quantum in præsenti Facultas mea concedit, adaugere curavimus, scilicet superaddentes quicquid Vineti possedimus apud Gerbrunnen, ea conditione ut post mortem amborum, ad usum Fratrum perpetualiter pertineat. Acta est hæc Anno Incarnationis Domini MCVII. Indict. XV. Heinrico V. Rege. Erlungo Episcopo. Gotebaldo Præfecto. Hujus rei Testes sunt Heinricus Comes. Deupertus. Marcuvardus. Ruppertus. Herold. Bernolf. Gotefrid. Eggihard. Ebbherhard. Richalm. Kerold. Waltprad. Gerrich. Winizzo. Rodolf. Danemut. Gotebold.

XXIII.

Traditio Gotifridi & Gisilæ Conjugum.

OMnibus CHRISTI Cultoribus, tam præsentis quàm subsecuturæ ætatis notum An. 1108.
facio, qualiter Ego Gotifridus, & Uxor mea Gisila, vineam ad Altare Sancti Petri & Stephani delegaverimus, ut annuatim V. solidis ad Altare Sanctæ MARIÆ DEI Genitricis Lucendum, quamdiu hac fungimur vita expensis, usibus nostris deserviat; nobis autem decedentibus, ut hæc conditio nostra in perpetuum firma perseveret, Custodis dominio & Ecclesiæ profectibus, absque ulla Heredum contradictione subjaceat. Facta sunt hæc Anno Domini MCVIII. sub Erlungo Episcopo. Gotiboldo Præfecto: Cujus rei Testes sunt. Libolf. Ebo. Udalrichc. Herolt. Bernolf. Kadelohc. Richalm. Heinrih. Hecil. Herolt. Reginhart. Kadelohc. Rutwik. Ebo. Wolfmar. Gotfrid. Adelbero. Ratolf. Rabenolt. Eincil. Cunrad. Eppo. Beceman. Ernust. Rudeger. Rudolf. Regil. Gotibold. Dangmud. Burkard.

XXIV.

Traditio Herivvicæ & Filii ejus Ebervvini.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum sit Omnibus tam præsentis An. 1108.
quàm succesluræ ætatis Christianis, qualiter Ego Heriwic, Liberis orta Natalibus, propriâ, Filiique mei Eberwini manu, ad Altare Sancti Petri in Suburbio Wurciburgensi situm, Possessiones nostras pro Remedio Animarum nostrarum & omnium Parentum nostrorum delegaverimus, scilicet X. mansos in Ergeresheim, & duos in Hirtenheim, omniaque Mancipia nostra, cum omnibus Justiciis & Rationibus, talique servitutis Lege, quali nos hactenus sine aliqua contradictione possedimus; quam Traditionem ea firmavimus Conditione ut Filio meo in Consortium Monachorum ibidem recepto, duo mansi in Hittenheim ipsorum Dominio cedant, X. verò in Ergeresheim meis quoad vixero, post mortem autem meam illorum usibus deserviant; insuper etiam ad cottidianos usus, unius Monachi prebenda mihi detur, & duæ Libræ Lini singulis annis, post duos annos Laneus Pannus in tunicam mihi conferatur; si qua ex mancipiis obierint, quicquid Vir in animalibus, Mulier in Vestibus propria manu textis, optimum possederit, Abbas ipsius Loci accipiat; ceterum dum vixerint, eadem servitutis Lege, qua mihi, etiam ipsi per omnia Pareant, quod si quis ex eis alterius Dominii Famulæ se in Matrimonio junxerit, duabus partibus Abbas sibi vendicatis, tertiam uxori possidendam relinquat; Muliebris Sexus nullo censui quoad vixerit subjaceat, post mortem autem, ut predixi, tantum quod in vestibus optimum habuerit persolvat, reliqua Hæredes possideant: Advocatiam tam Possessionis quàm mancipiorum Abbas Loci, cui optimum duxerit, commendet, & si unus displiceat, eo destituto, mox alteri meliori illa committere potestatem habeat. Acta sunt hæc, Anno Incarnationis Domini MCVIII. Indict. I. Heinrico V. Regnante. Erlungo Wirceburgensi Ec-

clesiæ Præsidente. GOTEBOLDO Urbis Præfecturam Agente. Hi sunt Testes, qui hæc viderunt & audierunt, HEINRICH Decanus S. Kyliani. Bruning Presbyter. Tuto Diaconus. Heinrich Præfect Vicarius. Emehard. Marcuvart. Bernolf. Heinrich. Gotefrid. Heinrich. Walpraht. Gozwin. Egilwuard. Bernhard. Rutwic. Reginhard. Radeloch. Burckard. Bern. Heinrich. Sconekin. Eppo. Volnant. Johannes. Berhtolf. Richolf. Winizo. Rudolf. Dangmud. Wolfgang. Regil. Gerrich. Razmarit. Folrad. Cunrad.

Et hæc Nomina Mancipiorum delegatorum. Dietrich. Offrilt. Liupprabt. Dietrich. quos quatuor nunc & in ævum Juri Fratrum dimisi, reliquos mihi quoad vivam retinui. Filii Dietrici quatuor. Rudolf & Richard & Gerbirc & Uta. Bodenolf, & Uxor ejus Engila, & Filii eorum quinque. Helmrich. Beringer. Sigefrid. Erchenbralt & Ludewic. Immikint. Willibirc. Mechtild. Irmburg. Reginhard.

XIXV.

Traditio Militis de Northeim. Confirmata ab Erlungo Episcopo.

An. 1108. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. ERLUNGUS DEI Gratia Sanctæ Wirciburgensis Ecclesiæ Minister Humilis, Auctoritate Ecclesiæ . . . Filii & Nominis Prelatione Populo presidemus & Clero DEI, decet, & congruum esse videtur, ut benignè pauperes CHRISTI Virosque Religiosos tueamur, eorumque Negotia vel - - - - - - Auctoritate studeamus adjuvare, ne pravorum dolis aliquando sauciati queant succumbere: Universis itaque CHRISTI & Ecclesiæ Fidelibus, veritatis preconio notum facimus - - - - - - - - - - - - - quidam Genere generosus, & Nobilis dictus de NORTHEIM, Divitiis præpotens, sed Domino DEO inspirante propter vitam æternam Omnia relinquens, universum Prædium suum in Agris - - - - - in Silvis, in Aquis, in Palude, in Marcha Northeim situm, coram Testibus idoneis Liberis ac Ministerialibus notis & cognatis, cum omni Justitia & Integritate, ob Remedium Animæ suæ suorumque Parentum Omnipotenti DEO, super Patrocinales Sanctorum DEI Reliquias, in Ecclesia Principum Apostolorum Petri & Pauli Sanctique Stephani Protho - Martiris, Legitima Donatione Jure perpetuo serviturum nostra Consiliosa Auctoritate mediante, una cum Uxore sua GERHILDA manu coadunata irrefragabiliter delegans donavit, ibique se ipsum Monachum fecit, Hominesque suæ proprietatis Rudolphum. Rudegerum. Adelberonem. Adalbertum. Regenhardum. Cunradum. Ynen. Luggardim. Richildem. Yrmengardim, Gerhildem cum Posteritate sua, tali rationis sub tenore, prædictæ Ecclesiæ contradidit, ut ubicumque Locorum habitarent, si Vir, XII. denarios. Si Mulier VI. denarios ad usus Ecclesiæ devotè persolveret, sed de hac vita sive Vir sive Mulier decedens optimam vestem Ecclesiæ deferendam relinqueret: sciendum quoque, quod nulli Mundiburdio, nullique Defensori, nisi soli Abbati, & ei quem Abbas Loci sapienter procuraverit, ipsa Plebs, ipsaque præfixa possessio in ævum subjaceat: Talem ergo donationem in Prædio & in hominibus celebratam, coram nobis probabiliter ordinatam pragmatica privilegiorum sanctione in præsenti pagina nostri Sigilli impressione inviolabiliter observatam, cunctis imposterum Clericis memoriter transmittimus conservandam. Testes Clerici. Cunradus. Gebehart. Meinhart. Beruger. Gerunc. Wolfram. Ludewic. Meginhart. Ministeriales Emehart. Libolf. Herold. Ebo. Engilger. Rychart. Hecil. Herold. De Familia verò Sancti Stephani Ezelin. Rudolf. Gerrich. Hemmo. Et alii plures.

Acta Anno Domini MCVIII. Indictione I. Imperante Domino HEINRICO quarto. ERLUNGO Wirciburgensis Ecclesiæ Episcopo. ETHZONE Abbate, & Gerboldo Urbis Præfecto.

XXVI.

XXVI.

Traditio Mechtildæ.

QUia Res per Fidem depositas retentari, non minimi esse Criminis, & magnæ indicium Infidelitatis; conservari verò honorificum apud Homines, & non parvæ apud DEUM Beatitudinis. Notum sit cunctis nostri, & subsecuturi Temporis Fidelibus qualiter nos HEROLD, & REGINHARD, & KADELOCH, MECHTILDÆ Uxoris Buthonis vineam, quatuor Perticarum Kerrenphedi sitam, Fidei nostræ depositam, sub Rogatu ipsius, consensuque Filiarum ejus, quibus Hæreditaris sorte debebatur, ad Altare Sancti Petri in Suburbio Wurciburgensi situm, manu potestativa delegaverimus, eo conditionis tenore, ut per totum præsentem annum singulis Ebdomadibus, una Missa communiter à Fratribus pro Remedio Animæ ejus persolvatur, similiter & à singulis Presbiteris ibidem consistentibus, insuper Anniversarius ipsius de Anno in Annum, ut moris est, celebretur, ipsaque Vinea continuo in Jus Fratrum absque ulla contradictione redigatur. Acta sunt hæc Anno Incarnationis Domini MCVIII. Indictione I. HEINRICO V. Regnante sub ERLUNGO Episcopo & GOTEBOLDO Urbis Præfecto, & hi Testes, qui viderunt & audierunt. Clerici de novo Monasterio Werinheri Decanus. Acelin Presbiter. Woffo Parrochiarius. Laicorum Nomina Heinrich Præfecti Vicarius. Bernolt. Herold. Wolfmar. Heinrich Filius Nozelonis. Gorefrid. Bern. Buto. Burkard. Wigman. Bernhard. Heinrich generi ejus. Rudolf. Winizo. Johannes. Gerrich. Dangmuod. Hartman. Gotebold. Alpuvin. An. 1108.

XXVII.

Traditio Sigilohi & Judithæ Conjugum.

IN Evangelicis Paginis Dominica voce commonemur dare Eleemosinam, & facere Nobis Sacculos, qui non veterascant, Thesaurum non deficientem in Cœlis quo Fur non appropiet, nec tinea corrumpat: quam admonitionem Ego SIGELOH, Liberæ Conditionis Vir, prout ipse Dominus in Corde meo dedit, sequi cupiens, omnibus nostræ & subsecuturæ Ætatis Hominibus notum facio, qualiter duos mansos Giezzen sitos, ad Altare Sancti Petri in Monasterio Wurciburgensis Territorii pro Remedio Animæ meæ absque ullius conditionis intercapedine delegaverim, excepto solius in Claustro, post obitum meum, sepulturæ Loco, similiter & Uxor mea JUDITHA eodem momento, duos mansos Zaffendorf sitos, ibidem contulit suis, quoad vixerit usibus deservituros, post ejus obitum, Fratrum Juri mancipandos. Acta sunt hæc Anno Incarnationis Domini MCVIII. Indictione I. sub HEINRICO V. Rege. ERLUNGO Episcopo. Goteboldo Præfecto. Hi Testes qui viderunt & audierunt. Diedold Clericus, & omnes ejusdem Monasterii Fratres. Laici Liebwin. Egisbreht. Winizo. Richolf. Johannes. Rudolf. Elpwin. Dangmud. Gotebold. Adelbero. Gebini. Razman. Gerrih. Gnanno. Hartman. Wolfgang. An. 1108.

XXVIII.

Traditio Ramvoldi & Gotalæ Conjugum.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum Omnibus tam præsentis quàm successuræ Ætatis Christianis, qualiter Ego RAMVOLD, cum Conjuge mea GOTALA, ad Altare Sancti Petri in Suburbio Wirciburgensi situm, possessionem nostram, quantulumcumque est in Munilrichstat, pro Remedio Animarum nostrarum delegaverimus, & novem mancipia, quibus omnem Justitiam & Rationem & talem servituris Legem, qualem *Laurensis* habet *Familia* pacti sumus: quam Traditionem ea firmavimus Conditione, ut nostris quamdiu vixerimus, post mortem autem nostram, Fratrum usibus deserviant; insuper etiam per singulos annos, quatuor quadrantes frumenti & alia qua- An. 1108.

 tuor

tuor Braccii, & Porcus mediocris æstimationis, nobis concedatur. Acta sunt hæc Anno Incarnationis Domini MCVIII. Indictione prima HEINRICO V. Regnante. ERLUNGO Episcopo. GOTEBOLDO Præfecto, cujus Rei Testes sunt. Gotefrid. Herolth. Heinrich. Arnolt. Bernolf. Rudolf. Winico. Dancmut. Gotebold.

XXIX.
Traditio Wolmundi.

An. 1112. CUjuslibet rei Traditionem sub multorum Testimonio non solum ratam fieri, sed etiam Scripturarum memoriæ commendatam, perhennem stabiliri, tametsi ante novimus, in subscriptæ tamen Testificationis Exemplo, evidentius edocti sumus; Vineam etenim, quondam sitam Blasenberc, quam EBO quidam cognomine *Junior*, manu propria ad Altare Sancti Petri Apostoli & S. Stephani Protho-Martyris delegavit, & ab ipsius Cenobii Abbate pro Annuali tributo V. solidorum recepit, receptam tributi paccione absolvit, clanculum tamen, etiam Uxore sua ignorante cuidam WOLMUNDO, cum adjacens illi esset, vendidit, quam Venditionem cum usque post Obitum ipsius latuisset, nisi tamen adhuc superstes, testimonium quam Scripturam infirmando, prepedisset, ipsa Traditio prima penitus infirmata & irrita exstitisset: Itaque idem VOLMUNDUS, quia nec peccuniam ab Heredibus recipere, nec Vineam dictante Justitia, obtinere valebat, consulto optimum facto visum est, ut aliam vineam suam propriam apud Habechsperch sitam pro eodem delegaret, & utraque pro Tributo IIII. unciarum recepta, sibi & Uxori suæ, nomine GISILA, Superstitibus & Liberis suis, non quos genuerant, sed si quos fortè simul genuerint, qui jam steriles per triennium commanserant, ita tamen, ut ad secundam Lineam Nepotum hæc Hereditas non procederet, obtineret, cujus rei iidem qui priores testes sunt. Otto Camerarius. Herolth. Bernolf. Gotefrid. Erpwin. Filius ejus Adelrich. Ludewic. Reginhart. Rudolf. Acta est hæc Traditio Anno Incarnationis Domini MCXII. Indictione V. HEINRICO V. Regnante. ERLUNGO Episcopo. GOTEBOLDO Præfecto.

XXX.
Traditio Dizmanni.

An. 1113. EGo DIEZMAN, & Uxor mea, vineas duas ad Altare Sancti Petri & Sancti Stephani Protho-Martyris, hac conditione delegavimus, ut quo utrique vixerimus annualem Censum, dimidii scilicet talenti quantitatem persolvamus, decedente verò uno nostrum, Fratres ejusdem Monasterii, Memoriam ipsius in Orationibus & vigiliis, ut cujuscumque in ipsorum consortio defuncti, faciant, vineamque ex supradictis unam possideant ex integro & obtineant; alteram verò qui Superstes fuerit, quinque solidis redimat annuatim quoad vixerit, post cujus Obitum, eadem etiam non tributo annuali ab Heredibus possideatur, sed absque omni contradictione in Jus Fratrum usu & fructu quemadmodum prædicta, Continuo vendicetur & Missarum quantitas pro ipsius Anima iteretur. Facta sunt hæc Anno Domini MCXIII. Indictione VI. cujus rei Testes sunt Herold. Bernolf. Gotifrid. Rabinold. Bern. Adalbero. Amolung. Diezman, Heinrich. Heinrich. Ludewic. Rudeger. Rudolf. Dangmud.

XXXI.
Traditio Heinrici Comitis.

An. 1115. NOtum sit omnibus tam presentibus, quàm successuræ Posteritatis Fidelibus, qualiter Nos BERN, & IRING, sub Rogatu Domini HEINRICI Comitis, Prædium quoddam in Gundresleibi situm, manibus Fidei nostræ traditum pro Remedio Animæ suæ, parentumque suorum ad Monasterium Sancti Petri Apostoli & Sancti Stephani Protho-Martyris, in Suburbio Wirciburgensi constitutum delegaverimus, hoc scilicet condi-

conditionis pacto, ut GUNDRAMMO, cui idem in Beneficium concessit, illo Superstite, usufructuario cum omnibus attinentiis suis potiri concedatur: Comite verò, totius carnis iter ingresso, pro agendis in sui Memoriam Missarum oblationibus, in ipsius Anniversario XV. Similis & dimidia vini urna annuatim expensis, ipse quoad vixerit obtineat, & si cui Filiorum post se conferendum disposuerit, eadem hereditario Jure persolvat, sin vero Fratrum Dominio subjaceat. Facta est hæc Traditio Anno Domini MCXIII. Indictione VI.

XXXII.
Traditio Adeloldi.

SÆpe evenire solet, ut quæ DEO servientibus pro Retributione perpetua quorundam contulerit Diligentia, hæc eis Avaritia instigante, aliorum auferre conetur insolentia; proinde notitiæ omnium tam præsentium quàm futurorum declarabo, qualiter Ego ADELOLDUS tres mansos, infra metas Husun sitos, ad Monasterium Sancti Petri Apostoli, in Suburbio Wirziburgensi constitutum, tali pactionis interjectu delegavi, ut meis, quoad vixero, deserviant usibus, meque iter universæ carnis ingresso UDALRICUS, natione Bawarius, datis annuatim in meo Anniversario duabus urnis vini cum XL. Similis Fratrum servitio, ipse cum uxore sua HILTHIBURGA & Filio HFITHUVOLGO, vel quisquis Heredum suorum, hoc idem persolvere voluerit, absque alicujus contradictionis impedimento obrineat; eo autem anno, quo ubertas vini minus provenerit, utrumque V. redimat ficlis: si verò quemquam eorum pertæsum fuerit quantitatem statuti reddere Census, Fratrum continuò cedant utilitatibus. Facta sunt hæc Anno ab Incarnatione Domini MCXIIII. cujus rei Testes sunt Ebo. Herolt. Cunrad. Hertnvik. Kadeloch. Reginhard. Ebo. Ruthwic. Richalm. Hemmo. Elpuvin. Werinheri. Lutheri. Wecil. Godebolt. Diezman. An. 1114.

XXXIII.
Traditio Hartungi.

EGo HARTUNGUS, Lucis Perpetuæ Famelicus, duas Vineas apud Villam Gerbrunnum sitas, unam in Loco, qui dicitur Hesclche, alteram in Loco Uttenwingartun nuncupato, ad Altare Sancti Petri in Suburbio Wirciburgensi propria manu delegavi, ea conditionis Lege interposita, ut Ego dum vixero, in VI. feria Paschæ singulis annis V. solidos Tributi ad idem Altare persolvam, ut ex eis per Fratrum Providentiam omni nocte in Cripta Sancti Stephani jugiter Lumen ardeat, & ut Sepulturæ meæ Locum cum Successoribus meis ibidem obtineam, post Obitum verò meum Frater meus GERMUNDUS, vel quicumque Heredum meorum proximus, in Anniversario meo idem persolvat, vel si intermiserint in usum Fratrum ipsæ Vineæ concedantur: Facta est hæc Traditio Anno Domini MCXIIII. Indict. VII. HEINRICO V. Regnante. sub ERLUNGO Episcopo. GOTIBOLDO Præfecto. Cujus Rei Testes sunt. Bernolf. Kadeloch. Richolf. Asmar. Eppo. Heriman. Dietolf. German. Germund. Rihpolt. Gerraht. Burkard. Burkard. Gerloch. Bruning. Gozpraht. Waltheun. Johan. Rudolf. Dangmud. Gebeno. Alpuwin. Volmar. An. 1114.

XXXIV.
Traditio Berthæ altera.

EGo GOTIFRID, vineam Fidei meæ traditam, petitione astantis in præsenti, Viduæ cujusdam BERTHÆ, ad Altare Sancti Petri & Sancti Stephani hac firmâ conditione & indiscutienda delego, ut hac quamdiu vixerit Vita, suis deserviat usibus, eique cottidiana Fratris unius prebenda, & Curtis Monasterii muro adjacens, concedatur: Filia verò ipsius, si se taliter, ut decet Virginem, sine Crimine, & Infamia continuerit, An. 1114.

S Vinca,

Vinea, & his omnibus post se sibi concessis, eadem Lege, qua & Mater utatur, sin autem, ea aliisque privetur, Fratrumque Utilitatibus continuò subjiciatur. Facta est hæc Traditio Anno Domini MCXIIII. Indict. VII. Cujus rei Testes sunt Udalrichc. Karl. Kunleih. Sigiboto. Rabenolt. Rutwih. Rudeger. Johan. Alberihc. Rudolf. Regil. Gotibolt. Dangmud. Bero.

XXXV.

Traditio Ottonis.

An. 1115. QUoniam ut Scriptura dicit, hoc tempore nostro, in quos fines sæculorum devenerunt superabundantem Iniquitatem in tantum Karitas refrigescit, ut per paucorum sit in firma Radice veræ Fidei cohærere, vel ejusdem mentis aliquamdiu subsistere; ita scilicet, ut quod modo quacumque Ratione firmaverint, idem rursùs infirmare desiderent; necessarium duxi causam meam multorum Testimonio definitam, quorum Nomina subsequentur commendanda Memoriæ: itaque Ego OTTO, cunctis Fidelibus notum esse cupio quam gravi & quam maximo Amicorum meorum Labore, Hereditariam portionem Matris meæ impetratam, absque omni Rationis interpositione, firma astipulatione receperim de manu SWIKGERI Avunculi Matris meæ, & de manu ERKINBERTI Filii Avunculi ejus EGINONIS, quam ipsa Matris meæ Mater IRMINGART, Soror ipsius, & Amita ipsius Erkinberti, & obtinendum & delegandum privatim præ ceteris Liberis suis Matri meæ, & Liberis ejus delegaverat; & hoc actum est & definitum in Conventiculo multorum Comprovincialium nostrorum Hominum Liberorum nostræ Societatis, & quorumlibet aliorum apud Villam Windesheim, quorum Omnium Nomina commemorare, nisi quantum ad mei testimonii necessitatem sufficit, ociosum duxi: Itaque hos primùm in Testimonium subscribendos curavi, quos præ ceteris in hac re Fautores habui; Pater meus OTTO. Dominus meus Gerung. Sigilohc. Sigiloch. Filii ejus, Heriman. Luduwik. Heinrih. Et Filii Welandi, Beringer. Arnolt. Heinrich. Adalbert. Suigger. Arnolt Frater ejus. Adalbero, Waltheri Frater ejus. Otto. Waltun. Adalhoh. Præter hos Friderih, Meginlah Frater ejus, Adalbero, Heinrich Frater ejus, Reginhart. Wicnant. Arnolt. Frater ejus. Marcolf. Dietmar. Adelbero. Sub quorum Testium Cautione idem Matrimonium meum, absque omni Rationis interpositione receptum, ut prædixi, pro Remedio Animæ meæ & Parentum meorum, quorum successione ad me devenit; ad Altare Sancti Petri Apostoli & Sancti Stephani Protho-Martiris firma Traditione delegavi cum Mancipiis XIII. quorum Nomina sunt hæc. Fridirun cum tribus Liberis suis. Hilta cum duobus Liberis suis. Mathilt cum tribus Liberis suis. Mathilt. Pernger. Sed ea tantùm Rationis interpositione, ut usumfructuarium Ego & Pater meus, quoad vixerimus obtineamus, Mancipia verò tres Numos Tributi, vel pretium tanti persolvant, & post Obitum cujusque meliora in Animalibus, virorum, vel si non habuerint meliora, vestium: Mulierum verò tantum meliora vestium ad Altare persolvant, reliqua ad Heredes ejusdem Juris transeant, quos si non habuerint, ad Jus Ecclesiæ, de cetero ab omni servili Jugo & Placito Advocati absoluti permaneant, nec aliquem Advocatum præter quem Abbas elegerit, hæc Traditio obtineat, alioquin ad Heredes meos paternos transeat, cujus rei Testes sunt GOTIBOLT Urbis Præfectus, Frater ejus POPPO. Udalrih. Reginhard, Cunrad Frater ejus. Embrico, Beringer Frater ejus. Cunrad. Ruprecht. Gumpret. Wortwin. Heriman. Suigger. & postquam sub horum firma astipulatione delegatio facta in Proprietatem Cenobii per Famulos ipsius possessum est, rursus in præsentia ipsius Episcopi ERLUNGI & eorundem Testium prædictorum, quoniam utroque die Concilium Colloquii sui habuit, ab ipso Abbate EZZONE & Urbis Præfecto GOTEBOLDO, sub Manuum mearum Traditione usufructuatium mihi & Patri in Beneficium recepi; hac quippe sententia ab Omnibus confirmata, ut nullus cohæredum meorum post hujus dispositionis Cautionem Locum supplantandi inveniret. Facta est hæc Traditio Anno MCXV. Regnante HEINRICO V. ERLUNGO Wirciburgensis Ecclesiæ Episcopo.

XXXVI.

XXXVI.

Traditio Engilhardi & Uxoris ejus Mathildis.

QUoniam Sapientis Cujusdam Sententia est: *Redemptio Animæ Viri, Divitiæ suæ*; An. 1117. Ego ENGILHARDUS & Uxor mea MATHILDIS de Bonis nostris, quibus in præsenti sustentamur, pro Animabus nostris, ad Altare Sancti Petri & Sancti Stephani delegavimus, Curtem scilicet cum ædificiis suis, ut quoad vixerimus XXX. denarios annuatim persolvamus, & uno nostrûm defuncto, alter V. solidos in Anniversario illius ad Capellam Sancti Gregorii lucendam, ad utrumque autem discessionis nostræ annualem Diem quicumque Heredum XXX. denarios rependat, & si noluerit Fratrum dominio subjaceat. Facta sunt hæc Anno Domini MCXVII. Indict. X. ERLUNGO Episcopo. GOTTBOLDO Urbis Præfecto. Cujus rei Testes sunt Gotifrid. Adalbero. Gotifrid. Erkenbolt. Liutpero. Gozuwin. Asmar. Cunrad. Ruprecht. Marohelt. Burkahrt. Hainrih. Mattin. Iring. Rudiger. Rudiger. Wikman. Saleman. Dieppolt. Regil. Rudolf. Razman. Gotibold. Dangmud. Bero.

XXXVII.

Traditio Wolframmi & Dietherici Ministerialium.

OMmnibus in CHRISTO piè viventibus certum esse volumus, qualiter duo Ministeriales Sancti Kiliani, WOLFRAMMUS de Onoltespach, & DITHERICUS, An. 1119. Avunculus ejus, Divina Inspiratione ammoniti, Dilectionem DEI & Proximi imitantes, tum pro honore DEI, tum etiam pro amore Fratris prædicti Wolframmi, scilicet GUMBERTI Monachi X. Marcas & Mansum unum in Gochesheim, insuper etiam Famulos & Famulas Waltherum & Uxorem ejus. Lutgardam & Filios eorum. Ditericum. Nendingum. Wolfonem. Giselam. Sebutgam & filios ejus. Gepam & Filios ejus, quæ omnia eidem Gumberto, Jure Hereditario ante Conversionem venerunt, ad Altare S. Petri & Sancti Stephani Protho-Martyris in Suburbio pia oblatione tradiderunt, ipsumque Gumbertum dicioni Abbatis, qui tunc Monasterio illi præerat ibidem DEO Militaturum, devotissimè commendaverunt, statuentes etiam de prænominata Familia, ut vir annuatim VI. denarios, femina III. ad Altare persolvant, qui autem viam universæ Carnis implentes, melius vestimentum quod habent, ab Heredibus, Custodi Altaris detur; Advocatum Altaris Defensorem habeant, & ita ab ipso Advocato, & ab omni Jugo servili Liberi existant: Hæc autem facta sunt Anno Dominicæ Incarnationis MCXVIIII. Indict. XII. Regnante HEINRICO Imperatore. ERLUNGO Episcopo. EZZONE Abbate. Goteboldo Comite. Testes autem qui huic Traditioni interfuerunt isti sunt. Udelrich Decanus. Cuno. Immo. Nendine. Ludewic. Friderih. Licci. Herolt. Bernolf. Kadelohc. Gotefrit. Rutquic. Wolfhere. Ingram. Eggebreht. Sachso. Hartman. Danemut. Regil. Gebeno. Sigefrit. & Monachi Lamprahr. Hartman. Burchart. Wecil. Si quis autem id attemperare præsumpserit indignatione DEI Omnipotentis, & anathemate succumbat: Censum autem, quem dare debent in Festo Beati Petri persolvant.

Sequitur ejusdem Traditionis Confirmatio.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. ERLUNGUS DEI Gratia Wirzeburgensis Ex Autographo. Ecclesiæ Minister humilis. Antecessorum Nostrorum Sanctissima Diligentia jugiter nos ammonet maximè Ecclesiis ac Pauperibus CHRISTI, piè providere, & eorum Negotia quasi propria deputando fideliter promovere, inde est, quod Notum esse volumus Universitati tam præsentium quàm subsequentium CHRISTI Fidelium, quod liberæ Conditionis Vir GUMBERTUS de Ekkeburgehoven cum Conjuge sua CHRISTINA, quoniam Liberos non habuerunt, CHRISTUM Regem Sæculorum in Cœlestibus Dominum & Heredem unanimiter elegerunt, propter cujus Amorem mutato sæculari habitu,

bitu, coram Testibus idoneis, Liberis ac Ministerialibus firmissima sub astipulatione Prædia sua in præsenti Karta subter notata, videlicet in his locis sita, Hartpach, Laxe Urenhoven, Gullichesheim, Hottingen, Rotelse, Kubrünnen, Boltheshalden, super Reliquias Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & B. Stephani Protho - Martyris in Suburbio Wirzeburgensi in Usum Fratrum ibidem DEO servientium delegaverunt: Præterea verò sciendum est, quod utriusque sexus Homines suos & Milites & Rusticolas, similiter cum omni Justitia super easdem prædictorum Sanctorum Reliquias ita sanè contradidit, qui Milites sunt, uti Milites Ecclesiæ, qui decenter ac devotè inviolabili, jure subserviant. Hi scilicet, Burkardus, Emmehardus & Regenboto, Hermannus, Glymo, & Uxor ejus Regelind, & eorum Filii Adelbertus, Walkaric, Marquardus. Optentu verò præfati Gumberti Hermanno, Glymo, & Filiis suis Adelbert & Margward tantummodò Prædium, quod est situm Hartpach dimittitur, ut quoadusque vivant absque molestiæ Tributo possideant, sed post Obitum eorum Abbati & Fratribus suis præcisè, & absque omni tergiversatione in omnem Usum & Potestatem redeat: item Tridhalmus. Dyemo Milites, Famuli; Rukkerus, Adelman, ejusque Filii Erkenbertus, Cuno & Adelbertus Frater ejus. Bertha cum Filiis suis. Hiltegunt, & Filii ejus: Mehtild. cum Filiis suis: Adelberone & Wigardo. Hi quoque Viri in omni sua posteritate circa ætatem censualem. V. denarios annuatim Ecclesiæ persolvant: sed si quos ex eis Abbas in aliquod sibi servitium subdere voluerit, potestatem plenissimam habebit; feminæ verò tres denarios ætate solita exsolvant. Hæc igitur Donatio nostra Authoritate mediante peracta, & hujus Sigilli nostri impressione firmata, si quis imposterum annullare temptaverit, Auctoritate nostra: & Beati Petri, & totius Sanctæ Ecclesiæ æterno Anathemati perpetuo igne cruciandus subjacebit: sub hujus etiam Sigilli nostri Testimonio in Verbo Domini testificamur omne præscriptum prædium à Liberæ Conditionis Viro Gumberto, & Conjuge sua Christina, mutato ibidem Sæculari habitu super Reliquias præfatorum Sanctorum, pro Remedio Animarum suarum Reverenter traditum, ab omni Advocato, & Exactione liberum esse, & in solius Abbatis & Fratrum suorum Manu & Potestate permanere debere, nec aliqua Venditione aut abrasione ab Ecclesia umquam alienari licere. Acta Anno Domini MCXVIIII. Indictione XII. Domino HEINRICO DEI Gratia Quinto Romanorum Imperatore Feliciter Imperante, Venerabili Wirzeburgensium ERLUNGO DEI Gratia Episcopo. Domino EZZONE Omni Religione & Sanctitate præsidente Abbate, Goteboldo Urbis Præfecto. Testes Cunimunt. Erkenbertus. Cunrad. Bernger. Volknand. Rudolf. Swiker. Heinrich. Ebwin. Hildebrant. Helmbolt. Alexander. Ekehardus Herolt. Bernolt. Rattwig. Gotefrid. Reginhardus. Wolfframmus. Bern. Burk. Adelricus. Richalmus. Ebbo. Rudegerus. Heinricus. Rudolfus. Udalricus. Ingram. Werherus. Gotebold. Merboto. Rudolfus. Hartmannus aliique plures.

XXXVIII.

Traditio Berengeri.

An. 1120. NOn minus recolatur pia Fidelium Memoria, qualiter Ego BERENGERUS Vir Liberæ Conditionis Ingenuus, æternæ Retributionis Gratiam exoptans, Prædium meum Sigeburgehusen situm, & Theivelr mansus videlicet . . . . & Silvam unam, cum viis & inviis, itibus & reditibus ad Altare S. Petri in Territorio Wirziburgensi situm, absque omni conditione, Monasticæ mihi me devovens Religioni, subdendum, Jure perpetuo contradidi. Acta sunt hæc Anno Domini MCXX. Indict. XIII. Rege HEINRICO. ERLUNGO Episcopo. GOTIBOLDO Comite. Hujus rei Testes sunt. Gotefrit. Erkenbolt. Regimmar. Rurpraht. Ercenbraht. Heinrich. Waltrich. Heinrich. Sigifrit. Eggebrat.

XXXIX.

Traditio Wimutæ Matronæ.

An. 1120. NOverint quique Fideles in Ecclesia, qualiter Ego WIMUTH Vidua, Rogatu Mariti mei EBERHARDI, Prædium nostrum, Loco qui dicitur Bonenlandeu situm, ad Altare

Altare Sancti Petri & Sancti Stephani hac conditione delegavi, ut annuatim ad Festum S. Nicolai pro memoria ipsius inibi celebranda dimidium Talentum persolvam: me verò vita decedente, Filius ejus E. ex me progenitus ipsum Prædium Jure Hereditario possideat, & prædictam Oblationem absque omni ambiguitate persolvat; quod si Liberos non genuerit, Fratres Monasterii, post obitum ejus, Prædium suæ Potestati subjiciant. Acta sunt hæc Anno Domini MCXX. Testes sunt, qui audierunt & viderunt hæc, Gotifrit. Egisprerh. Adelbreht. Berenger. Alegenolt. Heinrich. Herolt. Friderih. Werinhart. Gebehart. Reginhart. Kadeloch. Rutwik. Adelhun. Billung. Adelham. Walepreht. Ludewic. Diethrih.

XL.

Traditio Sigebotonis.

MEmoriæ omnium Fidelium commendamus, qualiter Ego RICHALMUS, vineam SIGEBOTONIS, quæ sita est in monte Habeschberg, Fidei meæ commissam, ad Altare Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & Sancti Stephani Protho-Martyris, ea conditione delegaverim, ut idem Sigeboto & Uxor ejus ADELBURG singulis annis quatuor Ceræ Talenta, ad augmentandum in Pascha Cereum, ad Censum persolvant, uni verò ex eis decedente, alter in Anniversario ejus XV. Similas & dimidiam urnam vini Fratribus ejusdem Loci persolvat: post obitum verò utriusque, Hæredes, qui possederint, prædictam Oblationem Fratribus dupliciter impendant, nihilominùs prædictis quatuor Ceræ Talentis adjunctis. Facta est hæc Traditio Anno Domini MCXXI. Indict. XIIII. Regnante HEINRICO Juniore Imperatore. ERLUNGO Episcopo. GOTIBOLDO Urbis Præfecto. Hujus rei Testes sunt Kadiloch & Reginhart Frater ejus, & Engilbraht Filius ejus. Wolfmar & Burkart Frater ejus. Gotibolt. Adelhun. Colman. Cuno. Dangmut. Gebino. Eber. Eggibreht. Hartmut. Hartman. Ernolt. Ludewic. An. 1121.

XLI.

Traditio Libolfi.

NOtitiæ cunctorum Fidelium manifestissimè sit declaratum, qualiter Ego LIBOLFUS Sancti Kyliani Famulus, Vineam cujusdam Presbiteri Heintici, Fidei meæ commendatam ipso præsente ad Altare Sancti Petri & Sancti Stephani hac conditione delegavi, ut si idem Presbiter H. iter quod proposuit, DEO volente, peregerit, eandem Vineam suis usibus deserviendam liberè detineat quoad vixerit; postquam verò finem vivendi fecerit, Soror ejus BERTHA, & Filia ipsius ELYSABETH si Maritum non duxerit, prædictam vineam ab Abbate ipsius Loci in Beneficium accipiant, & ad Anniversarium prædicti Heinrici Urnam Vini Integram persolvant; ipsis verò duabus, Matre scilicet & Filia debitum mortis persolventibus, Fratres ejusdem Loci prædictam vineam Potestati suæ subjiciant, & deinceps absque omni contradictione obtineant. Acta sunt hæc Anno Domini MCXXII. Indictione XV. Hujus rei Testes sunt Regenbreht. Cristan. Beceman. Ernost. Ratolf. Hemmo. Ebbo. Erbo. Eggibreht. Adelolt. Wernheri. Wezil. Rudeyer. Eber. Merboto. An. 1122.

XLII.

Traditio Adalberti.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum sit cunctis Matris Ecclesiæ Filiis per Divinam Adoptionem assumptis, qualiter Ego ADALBERTUS Vir liberæ Conditionis, Prædium meæ Potestatis, situm in Villa, quæ dicitur Svviebehim, manu potestativa ad Cenobium Sancti Petri, & Sancti Stephani Protho-Martiris, in Suburbio Herbipolensi, firma Traditione delegavi, ut ipsorum meritis pro Excessibus meis intercedenAn. 1122.

cedentibus, DEI misericordia favente, aliquod Refrigerium experiar in tempore Necessitatis: hanc autem Traditionem & Confirmationem sub hujusmodi pacti cautione distinxi, ut ipsum Predium meis deserviat Utilitatibus, ex Beneficio Domini Abbatis, ceterorumque Fratrum quoad vixero: quicquid verò interim, me vivente, ex eodem Prædio, vel de aliis meis Bonis aliquo modo contractum vel adauctum, per meam fuerit diligentiam, sive in Agris, sive in Pratis, sive in Pascuis, seu in Silvis, vel in aliqua Re domestica quandocumque mortis debitum persolvero, prædicti Loci subjiciatur dominio, Fratrumque utilitati cedat ex integro: tria quoque Mancipia mei Juris, ad præfatum Cenobium tradidi, ut inter servientes ipsius Ecclesiæ optimo Jure potiri permittantur, nullumque Advocatum præter specialem ac Legitimum Loci ipsius Defensorem habere compellantur, & ut hæc Traditio mea stabilis & inconvulsa permaneat, coram Episcopo & Præfecto Herbipolensis Ecclesiæ, hæc omnia absque Heredum meorum contradictione peregi, Testesque Idoneos, qui posttmodum hæc me decedente adstipularentur adhibui; hic subnotantur, qui ejusmodi testimonio interfuisse dinoscuntur.

Bernger. Ruprecht. Adelbreht. Arnolt. Marcolf. Cunrat. Adalhalm. Eberhart. Burkart. Engilhart. Rudolf. Gotebolt. Richolf. Eppo. Eggibreeht. Richalm. Billung. Eggihart. Wolcwart. Dimar. Acta sunt hæc Anno Domini MCXXII. Indictione XV.

XLIII.

Traditio Ernusti.

An. 1125. MEmoria omnium Fidelium recolat, ne qua Nebula Oblivionis impediat, qualiter Ego ERNOST, Carnali Herede privatus, Heredem autem habere Dominum cupiens; Mansum unum situm in villa Rotendorf, mei Juris, pro impetranda delictorum meorum venia, ad Altare Sancti Petri, Sanctique Stephani Protho-Martyris, delegaverim, ea videlicet Lege, ut quamdiu Corporalibus his Induviis vestiar, deserviat mihi sicut hactenus deservivit, pro censu solidi unius, qui per singulos annos me vivente persolvetur, me verò Onere Carnis depositio ERKENBERTUS quidam consanguinitatis propinquitate mihi conjunctus, ea conditione possideat, ut quotannis in Anniversario meo prædictum Censum solvat, quod si neglexerit semel, continuò Fratrum Utilitati deserviat: post Obitum verò ejus quicumque Heredum suorum prædictum censum persolvere voluerit, possideat. Acta sunt hæc Anno Domini MCXXIIII. Indictione III. Regnante LOTHARIO Rege. GOTIBOLDO Præfecto & HEINRICO ejusdem Cenobii Abbate. Testes Eberhardus Frater ejus Salman. Bernhard. Eggibraht. Dangmur. Gotifrid. Hartungus & alii quam plures.

XLIV.

Traditio Cunezæ.

An. 1131. REcolat quævis Posterorum Memoria, quod Ego CUNEZA mansum unum Gochesheim situm, ad Altare S. Petri tradiderim ea conditione, ut in Festo S. Martini XX. denarios annuatim persolvam; me verò Universæ carnis iter ingressa, Filius meus ADALBERTUS, eundem Censum persolvens mansum possideat, & ea Lege in Posteros suos transmittat; sin autem Liberis caruerit, aut Censum triennio subtraxerit, Fratrum confestim usui cedat. Acta sunt hæc Anno Domini MCXXXI. Indictione VIIII. LOTHARIO Rege. EMBRICONE Episcopo. BERENGERO Abbate. GOTIBOLDO Comite. Hujus rei Testes sunt Wolfram. Gotebolt. Adelbero. Hetiman. Berhtolt. Eggibraht. Otto. Ernost.

XLV.

Traditio Nantohi & Idekindæ Conjugum.

RΕcolat omnium Ætas in CHRISTO Fidelium, qualiter Ego Nantohc & Uxor mea Idtekint carentes Herede Carnali, CHRISTUM fubftantiæ noftræ fecimus Heredem. Anno itaque Domini MCXXXI. Indictione VIIII. Rege Lothario. Embricone Epifcopo. Berengero Abbate, ad Altare Sancti Petri Apoftoli Domum Curtemque noftram, & omnia quæ poffidebamus contradidimus, ea Lege videlicet, ut annuatim quoad vixerimus in Fefto Beati Mathiæ, quadrantem vini perfolvamus, alteri verò noftrûm, vinculis Carnis depofito, eadem quantitas, ejus in Anniverfario perfolvatur: Utrisque verò decedentibus quæcumque reliquerimus Fratrum cedant Ufui. Hujus rei Teftes funt Ottho. Gotfrit. Eggibraht. Ludewic. Dangmut. Adalbraht. An. 1131.

XLVI.

Traditio Reginbotonis Presbiteri.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Recolat omnium tam fubfequentium, quàm præfentium ætas, in CHRISTO Fidelium, qualiter nos Richalmus, & Billungus, Curtim quandam in Civitate fecus Portam Sancti Georii fitam, Rogatu videlicet Reginbotonis Sacerdotis, & Waltrici Fratris ejus, per quos Fidei noftræ tradita eft, ad Altare Apoftolorum Petri & Pauli, in Territorio ipfius Civitatis fitum, ea Conditione delegaverimus, ut in Fefto S. Prifcæ Virginis, quadrantem vini annuatim perfolvant, & abfque ulla contradictione ipfi ipforumque Heredes Curtim ipfam liberè poffideant. Acta funt hæc Anno Domini MCXXXII. Indict. X. Lothario Imperatore Regnante. Embricone Epifcopo. Goteboldo Præfecto. Hujus rei Teftes funt Gotefrid. Engilbraht. Richalm. Billung. Eppo. Sigefrit. Reginhart. Ernoft. An. 1132.

XLVII.

Traditio Ludgartæ Matronæ.

NOverit omnium ætas in CHRISTO Fidelium, qualiter Ego Lutgart, Ratispo-nenfis Ecclefiæ Minifterialium orta Natalibus, vineam unam trans Mogum pofitam ad Altare Sancti Petri in Territorio Herbipolenfi, per manus Burkardi & Hecilonis, quorum Fidei commiferam ea Lege tradiderim, ut quoad vixero Urnam vini, XXX. quoque Similas in Anniverfario Mariti mei Heinrici perfolvam, & annuali die Filii mei H. fimiliter: ipfa verò poftquam rebus humanis exceffero, in Anniverfario quoque meo, Urnam vini & XXX. Similas prædicti Viri B. & Hecil & infuper præfcriptam quantitatem in fingulis Anniverfariis exfolvant, ipfamque Vineam, quæ in VI. Jugera computatur poffideant, illis verò ambobus poft Obitum meum ex hac vita difcedentibus, vinea Fratrum ufui cedat, abfque omni contradictione & objectione. Facta eft hæc Traditio Anno Domini MCXXXIII. Indictione XI. II. Kal. Novemb. Regnante Lothario Rege. VII. Imperii ejus Anno. Embricone Epifcopo. Gottiboldo Comite. Berengero Abbate. Teftes funt hujus rei Gotfrit. Kadeloch. Cunrad. Richalm. Adelrich. Eggihart. Billung. Eggibraht. Bruning. Bezeman. Rutwik. Richolf. An. 1133.

XLVIII.

Traditio Wigmanni & Helmburgæ Conjugum.

QUamvis varios cafus in fe contineat humanum Genus, & licet fint aliqui Avaritiæ morbo inflati, perturbantibus inter fe Cogitationibus, modò profperis Re- An. 1134.

bus elati, suffulcientes, modò mœstis casibus deficientes, fit plerumque ut ipsum hominem ad Tartaricum deducant Interitum: sunt plerique tamen, qui qua deliberatione hæc devitare valeant meditantur, quorum Corda Divinum Amorem possidere haud dubium est; quod Ego WIGMANNUS ammonente Domino, Hierosolimam iturus cum Conjuge mea HELMBURG, intuens, & qua Arte hoc aufugere queam disponens, tandem salubriori consilio reperto, vineam unam Langenwegen jacentem, ad Altare Sancti Petri, Sanctique Stephani delegavimus, pro Remedio Animarum nostrarum, simulque Parentum nostrorum, ea pactione firmata, ut quamdiu gravedine Corporis hujus tegimur, singulis annis in agenda ad Vincula Sancti Petri dimidium Talentum Thuris persolvamus, uni verò nostrûm ab istius vitæ Ergastulo migrante, alter in ejus Anniversario XXX. Similas, urnamque vini persolvat, seu XV. Similas, singulis nummis comparatas, post utriusque verò obitum Superstites propinquitatis eorum Hereditariò Jure possideant, si tamen prædictam Oblationem impendere non neglegant, si verò uno anno supersederint, Fratrum cedat Dominio, aut si vendiderimus, eundem Tributum à possessoribus vineæ accipiant, qui possessores si neglexerint semel, Fratrum usui cedat. Acta sunt hæc Anno Domini MCXXXIIII. Indictione XII. Regnante Gloriosissimo Romanorum Rege LOTHARIO. EMBRICONE Episcopo. GOTIBOLDO Præfecto: sub his Testibus Gozwin. Adelrich. Engelhart. Waltpreht. Trutman. Wigiman. Bezeman. Ernost. Herman. Berhart. Arnolt. Cunrat. Eggebreht. Danemut. Ruthart. Adalbraht. Helmerich. Gebeni. Wolfram. Meriboto. Crafft. Herold. Woffo. Ludewic. Helmrich. Burkart.

XLIX.

Traditio Gozvvini & Juthæ Conjugum.

An. 1135. NOtitiæ Universorum, in Fide quærentium DEUM Altissimum, desidero patefieri, qualiter Ego GOZWIN cum Uxore sua JUTHA, vineam nostram apud Gerisberg sitam, pro impetranda venia delictorum nostrorum & pro Remedio Animæ Filii nostri RICHALMI ad Altare Sancti Petri & S. Stephani, ea conditione tradimus, ut quamdiu hac Luce fruimur in Anniversario ejus XXX. Similas XV. nummorum pretio comparatas, & quinque vini metretas Fratribus persolvamus: post obitum verò nostrum quicumque Heredum post nos proximus fuerit, prædictam vineam ab Abbate & Fratribus ipsius Loci suscipiat, & constitutam oblationem persolvere non renuat: si verò semel neglectum fuerit, Fratrum utilitati cedere manifestum sit. Cujus rei Testes sunt Gotefrit. Edelrich. Billunc. Rutwic. Wolfmar. Burkart. Engilbreht. Gotibold. Herolt. Henrich. Engilhart. Richolf. Richalm. Cuno. Heinrich. Gebo. Wolfram. Aceman. Acta sunt hæc Anno Domini MCXXXV. Indict. XIII.

L.

Traditio Wolvoldi de Heitingesfelt.

An. 1135. MEmoria Fidelium in Fide CHRISTI persistentium, tam præsentium quàm subsequentium noverit, qualiter Ego WOLVOLD timens futuræ discussionis Judicium, quandam vineam apud Gochesberg jacentem, ad pedes Apostolorum Petri & Pauli & Sancti Stephani delegaverim pro impetranda Delictorum meorum venia, eo pactionis Jure firmato, ut quamdiu Corporalibus istis Indumentis vestior, annuatim dimidiam Urnam Vini in Festo Sancti Martini, Fratribus illic DEO militantibus impendam: me vero hujus Carnis Onere deposito, Fratri meo RUTHARDO, cedat Jure Hereditario; ita tamen, si memoratam Oblationem impendere non distulerit; quod si semel neglexerit, sive per ignorantiam, sive temeritate aliqua, Fratres illic degentes eandem vineam, absque omni contradictionis Impedimento possideant. Facta est hæc Traditio Anno Domini MCXXXV.

LI.

LI.

Traditio Enciles & Willikindis Conjugum.

NOtitiæ tam præsentium quam subsequentium CHRISTI Fidelium commendo, qualiter Ego ENCIL & Uxor mea WILLIKINDIS vineam nostri Juris in Monte Blasenberg sitam, pro rependendis Missarum Vigiliarumque Oblationibus ad Altare Sancti Petri & Sancti Stephani in Suburbio Wirzeburgensi tradiderim, ut singulis annis quibus vixerimus V. solidos ad Altare S. Martini Lucendum persolvamus, postea verò necessitate diversorum Negotiorum imminente, permissione & consensu Fratrum, prædictam vendidi vineam Fratribus Haholdesbrunn, & pro ea multo preciosiorem restitui, ac potestativa manu delegavi, quæ sita est in Monte prædicto; & ut hoc perpetualiter ibidem permaneat post vitæ nostræ terminum, nec Heredum alicui, sed Ecclesiæ profectibus deserviendum, Custodi ex Integro permittimus: ad corroborationem autem Concambii hujus astipulatores in Carta conscribi statuimus, ut rei gestæ auctoritas postmodum probaretur evidentius. Hi sunt Testes Gotifrid. & Filii ejus. Engilbrecht. Gotibolt. Richalm. Billung. Burkard & Frater ejus Wolfmar. Adelhun. Senduvin & Frater ejus Azeman. Facta sunt hæc Anno Domini MCXXXVIIII Indictione II. Regnante CUNRADO Rege. EMBRICONE Episcopo tunc primò Romam proficiscente. Goteboldo Præfecto. An. 1138.

LII.

Traditio Heinrici Decani Majoris Ecclesiæ Herbipolensis.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum facimus Omnibus CHRISTI Cultoribus, quod Ego BERTHOLDUS, cum Conjuge mea Nomine EDELWIB, Vinetum unius Jugeris & dimidii in Oppido Ahusen jacens, in monte veteri ab Abbate RAFOLDO, primo Ordinationis ejus anno, in Beneficium suscepimus ea conditione; ut XL. denarios sub nomine census annuatim in Anniversario Domini HEINRICI quondam Decani in Majori Monasterio Sancti Kyliani persolvamus, quem & Gozwinus cognomento *Filo* pridem persolvit, cui Filia ipsius Gozwini, nomine Ellekind Hereditario Jure successit, & tandem inopia prævalente, permissione & Consensu Abbatis & Fratrum mihi distraxit; & quia senescente qualibet causa sæpius per occupationem Mundialis Avaritiæ, sive per Ignorantiam, scandala gravia contingit oriri, communicato consilio definitum est, ut Cartula scriberetur, & utraque parte reservaretur, ne posteri nostri sibi ipsis invicem succedentibus, vel in augmentatione census seu alieno Labore injurientur. Acta sunt hæc Anno Domini MCXLIIII. Indict. VII. Adalhun. Engilbreht. Cunrad. Gotescalg. Diterich. Gerhard. Erunning. Bezeman. Diemo. Diemar. Wicnant. Heriman & duo Heinrici. Richolf. Waltpreht. Regnante CUNRADO. EMBRICHONE Episcopo. An. 1144.

LIII.

Traditio Waltperthi.

ITem eodem Anno, Ego WALTPERTUS DEI permissione, Conjugali Thoro frustratus, notum facio omnibus piè viventibus, quod vineam mei Juris, tria scilicet Jugera Lemberberg jacentia, per manus HEROLDI Vice-Domini & RUTWICI Fidejussorum meorum, ad Altare Sancti Petri & Sancti Stephani firma delegatione stabilivi, ut singulis annis in Anniversario Conjugis meæ A. XXX. Similas totidemque mensuras vini Fratribus ejusdem Loci persolvam: me vero decedente propinquus successionis meæ prædictam Oblationem in Anniversario utriusque persolvat scilicet XL. Panes totidemque mensuras, nullaque hujus oblationis remissio debitoribus, sub testificatione Divina, tribuatur, quod si aliquis ex eis aliqua forte temeritatis occasione, semel aut An. 1144.

U bis

bis retinuerit, nisi Fratribus pro neglecta impensione satisfecerit, penitùs ex tunc & in perpetuum careat, Fratrumque Dominio subjaceat. Hujus rei Testes sunt Gotibold senior & Filius ejus. Gotifridus senior & Filius ejus. Engilbert & Gotibolt. Heinrich & Engilbert, Fratres. Cuno & Heinricus Fratres Adalbero & Eggihart Fratres. Dancmut. Rudeger.

LIV.

Traditio Cunradi Presbiteri.

An. 1144. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Sciat & Fideliter recolat universa tam futuri quàm præsentis ævi Fidelium Ecclesia, quod Ego CUNRADUS licet indignus Presbiter unà cum Nepote meo HEINRICO, Patrochiario de Stenalia, Curtem unam infra muros sitam, ad Altare S. Petri in antemurali Herbipolensi, per manus GOTIBOLDI & ENGILBERTI delegaverimus, ut nobis viventibus annuatim XXX. Similas cum dimidia urna vini tertia Feria in Ebdomada Sinodali, quæ est in autumno, Fratribus ejusdem Loci sub nomine Oblationis persolvamus: uni verò de nobis viam universæ carnis ingresso, prædicta Oblatio in Anniversario defuncti amministretur ab altero, quod si quemquam Heredum nostrorum pertæsum fuerit talem persolvere Censum, Abbas prædicti Loci, delegatam sibi Curtem, in suam Fratrumque suorum redigat Potestatem: Facta est hæc Traditio Anno Domini MCXLIIII. Indict. VII. CUNRADO Rege, EMBRICONE Episcopo. Gotiboldo Præfecto. Testes Berngerus, Ernost, Wimarius, Canonici. Gotibold. Engilbreht. Adalbero. Eggibraht. Dangmud. Adalbreht. Heinrih. Helmrih. Rudeger. Azeman. Burkard.

LV.

Traditio Mancipiorum comprobata coram Embricone Episcopo.

Ex Autographo. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Ego EMBRICO per gratiam DEI Wirziburgensis Episcopus. Notum esse cupio omnibus tam præsentibus quam postfuturis CHRISTI Fidelibus, qualiter Dominus Berengerus Abbas S. Stephani in Suburbio nostro Wirziburgensi ad nos venit conquerens, quosdam Mansuales suæ Ecclesiæ Civitatem nostram inhabitare, qui sibi nollent obedire, & super his Nos rogavit, ut debitam sibi Justitiam vellemus facere: cùm autem illi in præsentiam nostram vocati venissent, asserebant se Ministeriales esse Ecclesiæ S. Stephani, & hoc se comprobare velle probabili testimonio meliorum nostræ Ecclesiæ: sunt autem hæc Nomina ipsorum. Sasso & Soror ipsius Gerburc, & ipsius Liberi: Judicio igitur Ministerialium nostrorum per rectas eis inducias diem destinavimus, qua præsente Domino Abbate & suo Advocato, in nostra præsentia Conditionem suam ita comprobarent sicut condixerant: die itaque statuta venerunt, & præsente ipso Abbate & suo Advocato Godeboldo Comite, probabili multorum Testimonio asserebant se progenitos esse ex meliore & magis honorabili Clientela Ducis Ottonis de Svinfurde, & quod Neptis ipsius Ducis, Domina Adelheit Filia Comitis Bodonis, & Uxor Ducis Heinrici de Linburc, Matrem istorum, ad Justitiam Ministerialium sicut ipsa & tota ejus Cognatio de suis Ministerialibus processerat ad Reliquias Sancti Protho - Martyris Stephani tradiderit ac delegaverit, & hujus rei veritatem honesto & probabili multorum Testimonio in nostra præsentia comprobantes, etiam Juramento septima manu confirmaverunt; ne igitur hujus ita comprobatæ conditionis honestas, aliquam deinceps ignominiæ notam patiatur, nos ipsorum Honori providentes inposterum, hanc illis Cartam fieri jussimus, quam & eorum, qui huic comprobationi interfuerunt Testimonio, & Sigilli nostri impressione sub Anathemate confirmavimus.

Testes qui huic comprobationi interfuerunt. Clerici. Otto Præpositus. Gebehart. Berenger. Burchart. Adelbero. Wielmant.

Laici

Laici Liberi. GODEBOLT, Urbanus Comes, Rupreth de Kaftele, & duo ipsius Filii Rupreth & Heriman. Goczwin de Trimberg. Otto de Wiggereshusin. Cunrarh de Tungedin. Ministeriales Cunrar de Hillinsheim. Otto de Windeheim. Richolf. de Sranhem. Burchart de Bibilriht. Cunrat de Buzinishem; & sui Fratres Adelhalm & Irinc.

Urbani Cives Richalin, Edelrich, Wolfmar, Kadeloch, Godebolt, Regenhart, Rutrwich, Bihunc, Herthfolc, Godefrith & duo sui Filii Engelbret & Godebolt Cunradus Vicedomnus. Herolt, Heinrich Cuno & Frater suus Heinrich.

LVI.

Traditio Helmerici.

EGo HELMERICUS, sepulta ibidem Conjuge mea HILTEGARDA, ad Altare Sancti Petri, & Sancti Srephani Protho-Martyris, trado partem dimidii Jugeris in Rode, præsentibus Heredibus meis & Testibus subscripris, Fratrum usui absque omni contradictione perperuo deservituram. Acta sunt hæc Anno Domini MCLV. Indict. III. FRIDERICO Imperarore. GEBEHARDO Episcopo. Testes hujus rei sunt Adelbero. Saz. Eggehart. Gebeno. Aziman, & Frarres ejusdem Monasterii. An. 1155.

LVII.

Concambium Ditmari.

NOtum sit omnibus tam præsentis quàm futuri temporis Fidelibus, qua ratione Ego DIETMARUS & Conjux mea REGELKIND, quoddam Concambium cum Domno RAPHOLDO Abbate & Frarribus de Sancto Stephano fecimus, ne vel ex oblivionis negligentia, vel alterius cujuslibet rei materia, impostertum aliqua super hoc oriarur discordia, Curtem igitur in Gerbrunnen & mansum unum ibidem situm cum Vineto ad ipsum pertinente, Ecclesiæ Sancti Petri Sanctique Stephani Protho-Martiris absque ullius contradictione firma Tradirione delegavimus: XXX. quoque solidos ad redemptionem unius mansi in Erheleibe insuper addidimus: pro his autem omnibus à Domino Rapholdo Abbate cum Conventientia Fratrum, V. Jugera Vinearum in Lintelbah & ad Hunolresvar jacentia recepimus, nostris ac Successorum nostrorum perperuò servitura necessiratibus. Testes hujus rei sunt. Reginhard Canonicus. BILLUNGUS Vice-Dominus. Heinricus Sculrerus. Billungus Sultheiz Heinricus Weiso. Goriboldus, Gorifridus Fratres. Heroldus Camerarius. Colman. Herborr. Wolmar. Wernhart. Otto. Arn. Heinricus Vuzduch. Marcuvart. Berroldus. Cunradus Frick. Acta sunt hæc Anno Domini MCLV. Indictione IIII. GEBEHARDO Wirziburgeesi Episcopo FRIDERICO Romanorum Imperarore. BOBBONE Fratre Episcopi, Urbano Comite.

LVIII.

Traditio Rilindis Matronæ.

Ex Autographo.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. RAPHOLDUS DEI Gratia dictus Abbas Ecclesiæ Sancti ac Triumphalis Protho-Marryris Stephani: Prædecessores nostri, sanctè & piè CHRISTUM imitantes, Ecclesiam Principum Apostolorum Petri & Pauli, beatique Stephani Protho-Martyris piis actibus intus & foris laudabiliter exruleruni, quod & nos pro posse nostro sectantes, eidem Ecclesiæ, in suis quibusque Negotiis, contra Dolos malignantium prospicere debemus, ne vel metipsos, vel etiam ipsam Ecclesiam postmodum variis incommodis prægravari doleamus; qua de re Universis CHRISTI & Ecclesiæ Fidelibus notum esse cupimus, quod quædam Mulier RILINDIS nomine, unàcum Amicis suis & Civibus in die Sepulturæ dilecti Mariti sui BERNOLFI, à HEINRICO ULERE miserabiliter occiso, ad nos gemens ac lachrimans veniens, & post lugubres Exequias apud nos de more celebraras, ut solent Fideles, Vineam unam pro An. 1156.

tribus Jugeribus æstimatam, in Hocheim sitam, coram Testibus idoneis probabiliter nobis & Ecclesiæ pro salute Karissimi Mariti sui delegans, contradidit, velut etiam ipse vivus rogaverat, pro æterna Remuneratione diligenter ordinans, atque constituens hoc videlicet: quatenus ipsa, quoad hucusque viveret ex eadem Vinea certum Kanonem, id est Urnam vini in Anniversario die prædicti Bernolfi prompte ac devote Fratribus ibidem Domino DEO famulantibus exsolveret, post obitum vero ipsius, si quis Hæredum suorum hanc possideret Vineam, præscriptæ Oblationis Kanonem, ut dictum est, fideliter daret: veruntamen, si quis eorum ad unum annum, sive ad tres, talem Kanonem dare negligeret, mox omni contradictione cessante, jure perpetuo Ecclesiæ Vinea servitura subjaceret.

Testes qui hæc audierunt, & viderunt. Canonici Richolfus & Sigelohus Fratres. Regenhardus, Heinricus Caseus. Gerhardus. Engelbertus. Wortwinus. Wigoldus Parrochianus.

Laici BILLUNGUS Vicedomnus. Heinricus. Billungus Sculteti. Otto & Arn Fratres. Engelberdus. Goteboldus. Gotefridus. Wolfmarus. Wernehardus. Heinricus Lupillus. Rutwic. Helmwic. Heinric. Fratres. Marquardus Herbest. Manegoldus. Emehardus. Alberfale. Engelhart. Gotefrith, aliique plures, qui illa die ad Exequias ejusdem Bernolfi convenerunt.

Acta Anno Dominicæ Incarnationis MCLVI. Regnante FRIDERICO. GEBENHARDO Episcopo. POPPONE Præfecto.

LIX.

Traditio Emehardi Ministerialis.

An. 1156. NOtum sit cunctis CHRISTI Fidelibus tam futuris quam præsentibus, EMEHARDUM quendam, Augustensis Ecclesiæ Ministerialem, cum Uxore & Filio Monasterium Sancti Stephani Protho-Martiris, in Suburbio Wirziburgensi situm, deposita Coma intrasse, & quæ habere poterat tam in supellectile, quam in Possessionibus, illuc DEO & Sanctis ejus delegasse, videlicet III. mansos in Bleihphelt & XIII. Jugera, ac semissem Vineti in Wirziburg, & quoddam Prædium in Ungedankesheim, & duos mansos in Uzenesheim invadiatos, tribus Talentis, quandoque redimendos: reliquerat autem in Seculo Parvulum in Clericali habitu, quem Abbas ipsius Loci RAPHOLDUS cum Fratrum conniventia, rogatu ipsius E. ac Fratris ejus WIGOLDI Parrochiani Sacerdotis, inbeneficiavit tribus Jugeribus in Graz, & Predio in Ungedankesheim, hac Ratione ut annuatim illi quoad vixerit persolvatur Talentum à Monasterio, de prenominato Beneficio: si autem Fratres pertæsi fuerint reddere hunc annualem Censum, Beneficium hoc Usufructuario cedat Puero. Facta sunt hæc Anno Domini MCLVI. Indictione IIII. FRIDERICO Romanorum Imperatore. GEBEHARDO Wirziburgensi Episcopo. BERTHOLDO Fratre ejus Urbis Prefecto. Testes hujus rei sunt RAPHOLDUS Abbas ipsius Loci, cum Fratribus suis WIGOLDUS Urbis Parrochianus. Hermannus Adjutor ipsius, Dietricus de Novo-Monasterio. Cunradus During. Marcuvardus, Presbiter de Sancto Georgio.

LX.

Traditio Heinrici de Gestirne.

An. 1157. EGo HEINRICUS de Gestirne Liberæ Conditionis Vir, cum Conjuge mea HILTIGARDA, Filia Domini CUNRADI de Linteltal, Notitiæ tam præsentium quam futurorum commendamus, qualiter Prædium nostrum in Lurungun duos scilicet Mansos, & Agros XII. Fratrum usui in Cœnobio Sancti Stephani Protho-Martyris in Suburbio Wirzeburgensi subjicere decrevimus; eidem namque Ecclesiæ, jam ante annos aliquot Terræ mandato ibidem, prædicto Domino Cunrado, Bona quædam in Ippenesheim obvenerant, quæ ob illius memoriam, sed & nostram inibi peragendam augmentare studuimus: idem autem Prædiolum, ut absque ullius Advocati Dominio Liberum permaneat, non super Altare delegatum, sed coram VII. subscriptis Testibus id ipsum in

Fide

Fide sua eidem obtinendum recipientibus, Fratribus prædictis à nobis esse traditum, in Testamentis conscribi postulavimus. Facta sunt hæc Anno Domini MCLVII. Indictione V. Friderico Imperatore. Gebehardo Episcopo. Rapholdo Abbate. Testes Engilbertus, Gotibold, Gotifrid Fratres. Heinricus Sculteetus. Gotifridus de Lude, & Heinricus Frater ejus.

LXI.
Traditio Meginboldi.

HUmanæ Infirmitatis fragilitatem, morte ipsa universaliter præveniente, eorum quæ inter homines aguntur nulla, vel brevissima memoria perdurat, & in subitam labentia oblivionem, annichilantur, quæ ad succedentiam Notitiam scriptis non protelantur: quocircà Ego Meginboldus Universitati Fidelium per præsentia Scripta notifico, quod vineas quasdam in subnotatis Locis sitas, in Loco videlicet, qui Hegenechtlithe cognominatur, Jugera IIII. Risenlohe Jugerum & dimidium. Linthehe dimidium, à Domino Rapholdo Ecclesiæ S. Stephani Abbate Venerabili, in Beneficio stabiliter possidendas accepi, tali quidem conditionis tenore interposito, ut Ego & Uxor mea Wulfhild prædictum Vinetum quoad vixerimus quietè & liberè possideremus, de hac verò vita nobis utrisque decedentibus, in usum Monasterii sine omni Successorum nostrorum reclamatione absolutè redigeretur: Ego quoque, pro hujus Beneficii gratia mihi collata, ut nulla deinceps Bonorum meorum requisitione Fratres præfati Monasterii inquietarem, & ut ab omni impetitione & gravamine eorum in perpetuum cessarem; interposita Fide confirmavi; si verò contra hujus pacti confirmationem venire imposterum aliquando solita temeritate præsumerem jam dicti Beneficii possessione ab ipso memorato loci Abbate vel ejus Successore & Fratribus sine spe recuperationis tam Ego quàm mei Heredes, præcisè omninò privaremur. Hujus rei Testes sunt Rugger Monachus. Heinricus. Rudolf. Anno Domini MCLVIIII. Indictione VII. Friderico Imperatore. Primo Anno Ordinationis Heinrici II. Wirciburgensis Episcopi. An. 1159.

LXII.
Traditio Yrmintrudis.

ANno Incarnationis Dominì MCLVIIII. Indictione VII. Imperante Friderico Rege. Heinrico Wirciburgensi Episcopo nuper ordinato. Ego Yrmentrud, cum Heredibus meis Odelrico & Yringo duabusque Sororibus eorundem, post obitum Mariti mei Cunradi, vineas quasdam V. Jugerum juxta Kernepheid & ad Rudern sitas, à Domino Heinrico Presbitero Ecclesiæ Sancti Stephani, ante aliquot annos delegatas Domno R. * ejusdem Loci Abbate cum Fratribus annuente, sub tali conditione possidenda suscepi: post Festum Sancti Michahelis Archangeli in Anniversario Ruppoldi, & Filii ejus Cunradi Mariti mei, qui & hæc anteà ad vitæ suæ terminum in Beneficio acceperat, XL. Nummos, in vigilia verò Omnium Sanctorum IIII. Uncias persolvere debeo: prædictorum autem Hæredum meorum vel ex ipsis procreatorum, quicumque easdem vineas post excessum meum optinuerit, & jam dictum Censum VI. Unciarum reddere pertæsus fuerit, si, quod in uno anno neglexit, in sequenti non suppleverit & Domno Abbati inde non satisfecerit, Bonis ad se transmissis omnimodis Jure se privavit. Testes hujus rei sunt Gotbold. Lingo. Helwicus. Engilbertus & duo Filii ejus Engilbertus & Henricus. Erkenboldus. Bernoldus. Gernodus. Bernolphus. Wolframmus. Heinricus Filius ejus, Liutpertus. Cunradus. Emehardus. Morhard. Adelhard. Enwig Tapetarius. An. 1159. * Rapholdo.

LXIII.

Traditio Heinrici & Warmundi Fratrum.

An. 1160. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Nos HEINRICUS & WARMUNDUS notum esse cupimus, cunctis DEUM in Fide quærentibus, qua conditione Prædium nostrum in Hittenheim, Ecclesiæ Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Sanctique Stephani Protho-Martyris delegaverimus: defuncto etenim Patre nostro HEINRICO de Erlahe, in Wirciburg, & in Cenobio prædictorum Sanctorum sepulto, continuata manu Sororis nostræ, pro anima ipsius, & ob Anniversarium ejus inibi scribendum & peragendum, qui est *pridie Idus Februarii*, singulis Annis modium Tritici & urnam vini de eodem Prædio Fratribus dari constituimus: Nobis autem ex hac vita decedentibus, quicumque idem Prædium Hereditaria Successione optinuerit, & statutam oblationem quavis occasione, vel semel supersederit, si sequenti Anno duas non reddiderit, Abbas cum Fratribus illicò de rebus Ecclesiæ delegatis, sese per omnia intromittant. Testes hujus rei sunt Heinricus Scultheizo. Hermannus de Limfrur. Cuntat. Colman. Helwicus. Otto. Arn. Wimar. Gotefrit. Gebehardus. Acta sunt hæc Anno Domini MCLX. Indict. VIII. Imperante FRIDERICO Rege. HEINRICO Episcopo.

LXIV.

Traditio Adelberti Canonici.

An. 1160. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego ADELBERTUS Canonicus Sancti Johannis. Notum esse cupio cunctis tam præsentis, quàm futuri temporis Fidelibus, quali modo Oblationem quam Avia mea DIEZEKINT, Fratribus Ecclesiæ Sancti Stephani de Anniversario suo constituit, coram Domno RAPHOLDO Abbate & Monachis ejusdem adaugere curaverim: Vinea etenim in Graz unius & dimidii Jugeris, quam ad hoc ipsum delegaverat, cum ex incuria provisorum minus culta fuisset, ego duas ejusdem quantitatis partes in monte Scalkenberg sitas, eidem sub tali conditione addidi, ut Eispertus de Hoga cum Heredibus suis, id est, Vinetum quod in tria Jugera computatur, perpetualiter possideat, quod in Anniversario prædictæ Diezekint XV. Similas, dimidiam Urnam Fratribus ad Sanctum Stephanum persolvat: post obitum verò meum, ob Memoriam meam, cum pulsatione & Vigiliarum ac Missarum Celebratione diligentiùs ibidem agenda, item dimidiam Urnam & XV. Similas eisdem Fratribus singulis annis superaddat: quod si incumbente necessitate, ipse, vel Heredes ejus, prædictas Vineas vendere proposuerint, Abbati & Fratribus suggerant, ut si voluerint, redimant, si non, alias ubi velint vendant; semper tamen statutas Oblationes excipiant: si verò ipsi, vel quicumque earundem Vinearum possessores extiterint eas negligentius excolere vel oblationes exinde debitas, ausi fuerint supersedere, Abbas cum Fratribus, dictante justitia, de eisdem se intromittant, & ne mei memoria vel Matris meæ MECHTILDIS & DIEZEKINT aliquatinus Oblivioni tradantur idem disponant: Ego quoque ob Monimentum hujus rei in Anniversario Matris meæ, qui est in *Vigilia Apostolorum Petri & Pauli*, interim dum vixero, Candelam uno Nummo comparatam omni Anno illic offerre devovi. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCLX. Indictione VIII. Regnante FRIDERICO Romanorum Imperatore. Primo Anno Ordinationis HENRICI Secundi, Wirciburgensis Episcopi.

LXV.

Traditio Ruperti.

An. 1160. EGo RUPERTUS, DEI occulto Judicio, oculorum amissione cœcus, Notum fieri cupio omnibus Christianæ Fidei Cultoribus, quomodo per manus Domini mei SEFRIDI, dimidium mei Juris Mansum, & Agrum unum in Opherhem situm, Ecclesiæ Sancti

Sancti Stephani in Wirciburg, firma Traditione delegaverim: singulis igitur Annis, dum supervixero modium Tritici in Festo S. Michahelis inde persolvere devovi, post obitum verò meum, absque omnium hominum contradictione Ecclesia prædicta eum in sua debet recipere, & mei Memoriam omnibus annis exinde peragere: preterea agros quosdam apud eundem vicum pro XXX. solidis mihi in Vadimonio positos, tali conditione addidi, ut si me vivente non fuerint redempti, Fratres de S. Stephano de eis se intromittant, & quousque XXX. solidos accipiant, perpetualiter possideant. Testes hujus rei sunt Rudiger. Luduvic. Hotefrit. Wolfram. Bertold. Acta sunt hæc Anno Domini MCLX. Indictione VIII. Imperante Friderico Rege. Heinrico Episcopo.

LXVI.

Traditio Eberi de Urevelt.

IN Nomine Summæ Trinitatis ejusdemque Individuæ Unitatis. Non solùm instantis Evi, sed & futuri sciat, & rescitcat Ecclesia, quo Pacto, quave Devotione Ego Eber de Urevelt, defuncta *VIII. Kal. Martii*, & sepulta apud Sanctum Stephanum Conjuge mea Friderun, præsentibus & consentientibus Heredibus meis, ad Altare Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & prædicti Protho-Martiris, Traditione Legitima delegavi nostræ Proprietatis Vineam in Recistat sitam: igitur ipsa Hora delegationis hoc pactus sum, ut Ego Eber & Filii mei, quoad vixerimus eandem vineam libere teneamus & exinde XXX. Similas & Urnam vini in Anniversario prædictæ Conjugis meæ F. Fratribus annuatim persolvamus: nobis verò decedentibus, quicumque Hereditario Jure successerint & supratax atam oblatam Oblationem duabus vicibus supersederint, ad Altare prænominatorum Sanctorum, ex integro eadem Vinea pertineat, & in usum Fratrum inibi DEO servientium cedat. Acta sunt hæc Anno Domini MCLX. Indictione VIII. Regnante Friderico Rege. Heinrico Episcopo. Testes hujus rei sunt Helmericus. Dittricus. Eber & Wignandus. Gernotus de Tetelbach. Cunradus de Gundersleibe. An. 1160.

LXVII.

Traditio Cunradi Canonici Herbipolensis.

EVidentibus Judiciis sæpe probatum est, ea quæ Kartarum Testimoniis non commendantur Posteris, citius tradi negligentiæ oblivionis; ideóque Ego Cunradus Canonicus Sancti Kiliani, Scriptis præsentibus cunctis innotesco Fidelibus, qualiter Inspiratione Divina, Res, ipsius mihi largitas misericordia, ad honorem ejus & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & Sancti Stephani Protho-Martyris dispensare decrevi: sciens igitur omnia præsentis Evi, respectu futurorum pro nullis computanda, de Mammona Iniquitatis plures Amicos mihi facere, & inter hos aliquem specialiter mei meorumque memorem gestiens, Puerum meum Volknandum in Cenobio prædictorum Sanctorum CHRISTO nutriendum optuli, in cujus Oblatione, ad Emptionem Predii Oggeshusen, quæ nunc à Domino Rapholdo Abbate & à Fratribus tractabatur XXXVII. Talenta dedi; Novale autem ipsum tantum ad vitæ meæ terminum cum eis Agriculturæ studio proventuque fructuario retinere volebam, postea verò convenientius existimans, pro medietatis portione X. Jugera Vineti Kernephett siti, cum omni fructu & utilitate recepi. Curtem quoque & Domum in Urbe & Ortulo adjacente, quia Domui meæ contigua erat IIII. Talentis ab eis emi, de qua quid censuerim fieri subnotare . . . . . me . . . . vel debito mortis, Seculo decedente vel sponte eidem renuntiante . . . . cum omni auctoritate se debent . . . . Anniversario meo XXX. panes & dimidia Urna vini . . . . Patris mei Adelberti, qui est *in Festo SS. Primi & Feliciani* . . . . Berthæ sequenti die *post Octavam Epiphaniæ* de Predio Oggehusen . . . debent agere, ob cujus rei Memoriam me superstite in eisdem singulis XV. Similas & dimidiam Urnam vini ipsis dare decrevi. An. 1160.

 Acta

Acta sunt hæc Anno Domini MCLX. Indictione VIII. Testes hujus rei sunt Heroldus & Reginhardus Præpositi, Werinhardus & Gerhardus Decani. Richolfus Billungus. Gotibolt. Billung. & Fratres ejusdem Monasterii.

LXVIII.

Traditio Sigebotonis, altera.

An. 1161. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego SIGIBOTO metuens, ne post Obitum meum, inter Hæredes meos, sicut Secularibus moris est, dissensio forsitan orietur, in die Depositionis ac Sepulturæ Conjugis meæ ADELBURGIS, in Monasterio Sancti Stephani, cunctis Notum facere curavi, quid de Vinca Habesberg sita, quam tempore Domini ERLUNGI Episcopi eidem Ecclesiæ delegavi, denuo fieri optavi & disposui; hanc igitur, quia prædestinatione DEI tales Heredes habere merui, qui quibusdam Fratribus prædicti Monasterii consanguinitate conjuncti erant, per quos & mei ac Conjugis meæ Memoriam fidelius agi sperabam, à Domino RAPHOLDO Abbate & Fratribus id impetravi, ut Dominus BERTOLDUS de Grunungen & Filia mea ADELHEIT eandem Vineam de manibus ipsorum perpetuò possidendam susciperent; his itaque, si quid post Excessum meum adversitatis aut contrarietatis posthac exortum fuerit, Dominus Abbas cum Fratribus suis auctoritate Judicum potenter ac misericorditer avertere debebit. Acta sunt hæc Anno Domini MCLXI. Indictione VIIII. HEINRICO Wirciburgensi Episcopo. Testes Wigold & Marcuvart Presbiteri. Adelhardus & Filius ejus Orthlieb. Marcuvart. Emehart. Fridericus. Cummunt Fratres. Rudiger. Gotefrid. Luduvic.

LXIX.

Traditio Udalrici Canonici Herbipolensis.

An. 1162. QUia citius oblivioni tradunrur, quæ per Scripturam memoriæ non commendantur: ideò Ego UDALRICUS, Canonicus Sancti Kyliani de Domo, per hæc Scripta cunctis innotesco Fidelibus, quali conditione, Vineam V. Jugerum in monte Blasiberg à Domino RAPHOLDO Abbate, & Fratribus, datis V. Talentis comparaverim: igitur me vivente Talentum Ceræ in Festo Sancti Petri inde dare debeo, post Obitum verò meum quicumque eandem me tradente obtinuerit XXX. Similas & Urnam vini Fratribus in Anniversario meo persolvat, quod si tertia vice supersederit, Ecclesia quod suum est, potenter recipiat: de Nummis verò præscriptis, quia eadem Vinea ad Hospitale Pauperum pertinebat, hoc statutum est, ut aliud vinetum claustro magis contiguum coëmatur, ne Pauperes CHRISTI aliquod dampnum inde patiantur. Acta sunt hæc Anno Domini MCLXII. Indictione X. FRIDERICO Imperatore. HEINRICO Wirciburgensi Episcopo. Testes hujus rei sunt Heinricus. Weizil & Brun Canonici, & Fratres Monasterii S. Stephani.

LXX.

Traditio Dietmari Parrochiani.

An. 1163. NOs tres Fratres WERNHERUS, HEINRICUS, & HELUVICUS, notum facimus cunctis DEUM in Fide quærentibus, quia Rogatu Domini DIETMARI Presbiteri in Eltimoin, post Obitum ipsius, de rebus quas reliquerat comparavimus vineam quandam Randeresaccare sitam, unius & dimidii Jugeris, de qua memoriam ejus in Cenobio Sancti Stephani fieri statuimus: quibusdam autem Hereditatem prædicti Sacerdotis ad se magis, quam ad nos pertinere dicentibus, ne Ecclesia vel Successores nostri in futurum, aliquod super hoc paterentur incommodum, coram cunctis popularibus in Randeresaccare tale divortium pacificè dissolvimus, sicque tandem eandem vineam B. Petro & S. Stephano in Wirciburc sub Censu XX. denariorum perpetuò servituram delegavimus. Acta sunt hæc Anno Domini MCLXIII. Indict. XI.

LXXI.

LXXI.

Traditio Engelberti.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Memoriæ tam præsentium quàm futurorum notum fieri cupimus, quia cum Ecclesia Sancti Stephani, pro usura Vadimoniorum quæ HEINRICUS Wirceburgensis Episcopus, Judæis pro XX. marcis deposuit, quæ postea pro XXX. marcis vix redempta sunt, & pro aliis multis incommoditatibus Domino RAPHOLDO Abbate defuncto, laboraret: Dominus ENGELBERTUS cognomento HAKCO interventu Amicorum Domini HEINRICI Abbatis, concessit eidem Ecclesiæ & Fratribus XXX. Marcas argenti, sub tali conditione qualiter subnotatum est: XII. Jugera Vineti in monte Kernephen Jute Vadimonii ei posita sunt, ut hæc per X. annos diligenter excolat & fructum eorundem per omnia pleniter recipiat; omni autem anno Dominus Abbas & Fratres, quantum de eodem Vineto potuerint redimere in eorum erit potestate; si autem Domino tribuente & annuente infra spacium unius anni idem Vinetum ex integro redemerint prædictus Engilbertus vel Heredes ipsius, medietatem Fructuum eis de decima & reliquis per omnia persolvent & diligentiam suam eidem Vineto impensam non amittent: Interim autem dum hæc non contigerint duos optimos Porcos de villa Wlfricheshusun in Epiphania Domini per X. annos accipient, & post eosdem X. annos usque dum argentum suum recipiant, medietatem de sæpe dicto Vineto persolvent. Acta sunt hæc Anno Domini MCLXVIII. Indictione I. Ante tempus Quadragesimæ. FRIDERICO Imperante. HEROLDO Wirciburgensi Episcopo. An. 1168.

LXXII.

Traditio Ventilmudis Matronæ.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego HEINRICUS DEI Gratia, Beati Stephani vocatus Abbas. Notum esse desidero omnibus CHRISTI Fidelibus tam futuris quàm præsentibus, quod quædam Matrona WENTELMUDIS Nomine de æterno cogitans præmio, Domum suam in Suburbio Sande sitam, super Altare Sancti Stephani, pro Remedio Animæ suæ, suorumque Parentum pia mentis devotione contradidit, eo videlicet pacto, ut annuatim in Anniversario ipsius XV. panes & dimidia Vini Urna Fratribus nostris persolvantur, ejusdem quoque domus suæ, Fratris sui Filios WIEGERUM & BERTHAM Heredes esse instituit ut ipsi & omnes eorum Posteri, Kanonem prædictum in prædictæ Matronæ Anniversario annuatim Fratribus nostris persolvere non negligant.

LXXIII.

Traditio Ezelini Presbiteri.

NOtum omnibus in CHRISTO piè viventibus desidero, qualiter Ego Presbiter Ezelinus, tria Juris mei Vineta Morsberc & Leimgruba Montibus sita, ad Altare Sancti Petri & Sancti Stephani hujusmodi conditionis pacto tradiderim, ut Genet mihi HEINRICUS, & DEMMO Frater ejus servato sibi usufructuario, tribus anni temporibus Matris scilicet, Sororis, & memoria Fratris XXX. quoad vixero denarios persolvant, cumque mortis persolvero debitum, dimidio annuatim redimant Talento, cujus quantitatem persolvat Oblationis, heredum si quis fructum sibi vendicet utilitatis: sin aliquantulum ademerit statuti, aut quam susceperit, vineis abuteretur negligentius, ex Integro Monasterii cedant usibus. Cujus rei Testes sunt Heinrich Clericus. Diemo. Ebo. Gunderam. Utho. Rudolf. Dangmuth. Gerrich. Franco. Heinrich. Arnolf. Altun. Richolf. Adalhun. Herolt.

LXXIV.

Traditio Erkenberti & Richpurgis Conjugum.

EGo Erkenbertus notum facio omnibus Fidelibus quod Ego, & Uxor mea nomine Richpurg, Curtem cum ædificiis suis, ad Altare Sancti Petri & Protho-Martyris Stephani, in Antemurali jacentem delegavimus, ea determinatione, ut qui prius ex nobis obierit, superstes de eodem ædificio quadrale vini persolvat; si verò paupertatis inopia ingravescente, vendita fuerit, accepta priùs ab Abbate & Fratribus Licentia, vendat cui voluerit, ita tamen ut Emptor prædictam Oblationem duplicitet post utriusque obitum persolvat: si verò ambo adhuc viventes non vendiderimus, quicumque Heredum nostrorum Hereditario Jure sibi vendicaverit in Anniversario utriusque nostrum quadrantem Vini, id est, dimidiam urnam vini persolvat. Hujus rei Testes sunt Fratres ejusdem Loci. Laici Bezeman. Eggibrecht. Gotefrit. Waltrich. Rudeger. Azeman.

LXXV.

Traditio Werltmanni Presbiteri.

NOtitiæ Fidelium omnium declaramus, quod Ego Werltmannus Presbiter, quinque Vinearum Jugera, tria quidem in monte, qui Slesiberc dicitur, duo verò in eo, qui Brunniberc vocatur jacentia, ad Monasterium S. Petri in Suburbio Wirciburgensi situm, Remedio Animæ meæ profutura delegavi sub hac conditione, ut postquam vivendi finem fecero, stirpis meæ quicumque proximus, his sed & Curti, ædificiisque in ea constructis, quæ addidimus Successor exstiterit, X. Similis cum Urna dimidia vini, in annuali discessionis meæ die, ejusdemque Numeri panum, vinique in Comparis meæ Sigeburge die memoriali in usum Fratrum destinatis, sub ratiocinio præscripto, quoadusque libuerit, possideat: cùm verò Legi huic subjacere rennuerit, usus quicumque de rebus prædictis provenire queit, Fratribus ex Integro cedat.

LXXVI.

Traditio Acelini.

QUamvis sciam duorum hominum veritate fulciri Testimonium, nec in aliqua sui parte nutare debeat, quod Pietas Fraterna commendat, testificor tamen omnibus audientibus, Ego Acelinus, quod Frater quidem meus Willibertus duo Vinearum Jugera Moresberc jacentia, Aviæ, Matrisque suæ Animarum Remedio profutura, ad Monasterium Sancti Petri in Pomerio Wirciburgensi situm, ea ratione delegavit ut in earum utriusque Anniversario XXX. Denarii quotannis Fratribus Loci ipsius, ab Heredibus eadem possidentibus, donentur: Ego verò Acelinus, tantundem Vineti Leimeruba jacentis pro ipso meque tradidi, ut nihilominus pro amborum nostrûm memoria post obitum meum supradictæ partitionis pecunia ab utentibus persolvatur. Cujus rei Testes sunt Libolf. Kadeloch. Heinrich. Herold. Bernolf. Rutwic. Gozuvin. Wicnant. Walbrun. Udalrich. Richalm. Eggihart. Gerrich. Rudolf. Razman. Hemmo. Alpuvin.

LXXVII.

Traditio Hemmonis.

NOtum sit omnibus Fidelibus tam præsentibus quàm successuris, qualiter Ego Hemmo, Servus Sancti Kyliani, omne Prædium meum, quod habere potui, tam in agris quàm in Vineis, ad Altare S. Petri pro Remedio animæ meæ, propria manu dele-

delegavi: sed quia sustentaculo præsentis vitæ non aliunde sufficiebam, ab ipso Abbate Ezzone & à Fratribus in Beneficium suscepi, ea Conditione ut si vel afflicto infirmitate, vel deficienti senectute necessaria vitæ deficerent, à Claustro victum & vestitum, quoadusque viverem, reciperem, & hi sunt Testes Adalrih. Roppolt. Suippoto. Richalm. Walpraht. Alpuvin. Humbraht. Rutuvic. Reginhart. Eggihart. Burchart. Herold. Wecil. Otho. Liephart. Eppo. Ebo. Heinrich. Hecil. Botho. Wolfhart. Richart. Bucco. Ecelin. Veginolt. Wolfheri. Adelhart. Sicco. Wolfhart. Eppo. Regil. Wimzo. Bernhart.

LXXVIII.

Traditio Sigebotonis.

UNiversis in CHRISTO piè viventibus notum esse desidero qualiter Ego Sigiboto, qualiscumque Famulus Sanctæ MARIÆ, Vineam mei Juris ad Altare Sancti Petri & Sancti Stephani Protho-Martyris delegaverim hac scilicet Justitia, ut quoad vixero Uxoris meæ, quæ nuper obiit, in Anniversario peragenda ibidem Memoria ipsius, annuatim XV. Similas & dimidiam Urnam vini Fratribus persolvam, post me verò Heredum meorum quicumque in annuali die obitus mei & prædictæ Uxoris meæ Huzikindæ eandem quantitatem XXX. scilicet Similas & Integram Urnam vini æqua portione tribuant quod si noluerint, aut Statuti quicquam denegaverint Fratrum continuo cedat Dominio. Cujus rei Testes sunt Herold. Gorifrid. Waltpreht. Ratolt. Bern. Rabenold. Reginbreht. Chrispan. Rudeger. Eppo. Bezeman. Ratolf. Johan. Rudolf. Dangmuod. Godifrid. Wazo. Wolfram. Elpwin.

LXXIX.

Traditio Heinrici.

NOverint omnes Fideles qualiter Nos Richolf, Gozwin, Rutheri, Vineam Heinrici cujusdam manibus Fidei nostræ traditam, hoc pacto, quo ipse Jherosolimam pergens nos rogaverat, ad Altare Sancti Petri Apostolorum Principis delegaverimus, ut Filius ipsius annuatim XV. Similis & dimidia Urna vini in Anniversario ejusdem Loci Fratribus in servitium oblatis obtineat, & si hac vita sine Liberis decesserit, Avus ejus Gerungus, pro vinea obtinenda præscriptam quantitatem: Amita verò ejus Soror Gerungi, pro Ædificiis sibi obtinendis XV. Similas persolvat, sin Fratrum Dominio cedat. Testes Gotefrid. Adelbero. Engilhart. Gotibold. Irinc. Walpreht. Asmar. Gozwin. Luppern. Richolf. Wicman. Wecil.

LXXX.

Traditio Wicmanni.

EGo Wicmannus iturus Jherosolimam, ad Altare Sancti Petri & Sancti Stephani hoc pacto IIII. Jugera Ruris Monasterio adjacentis, & vineam unam delego, ut uxor mea post me, Filiusque meus Senior, Filiique ejus si procreaverit & adulti fuerint, Urnam vini Integram & XX. Similas in Anniversario meo singulis annis tribuant, & idem per me delegatum optineant usufructuario, sin Fratrum Dominio absque ulla contradictione subjaceat & hoc scilicet adjecto, ut si ipse Filius meus vel aliquis Heredum meorum, necessitate aliqua vendere hæc quæ prædixi, coactus fuerit, eandem quantitatem qui emerit, persolvat, sin Fratrum usui subjaceat. Cuno. Becemer. Ernolst. Ratolf. Wicman. Egino. Wicger. Cumbreht. Heriman.

LXXXI.

Traditio Albrahti.

EGo ALBRAHT, qui ad videndum Domini Salvatoris noſtri Sepulchrum, Jheroſolimam iturus, vineam mei Juris, ad Altare Sancti Petri in Suburbio Wirciburgenſi hac conditione delegavi, quatinus, ſi ibidem vivendi munus exceſſero, Uxor mea quoad vixerit, & Heredes mei, quicumque poſt eam, dimidiam Urnam vini pro annuali cenſu in Anniverſario meo Fratribus perpetualiter tribuant, ut eorum uſui, quemadmodum meo deſerviat: ſi verò rediero pro obtinenda mihi eadem vinea ex Beneficio Domini Abbatis Fratrumque ſuorum, idem tributum ex aliis Bonis meis in tantum adaugeam, ut ſingulis noctibus Altare Sancti Martini ex hoc perpetuò illuminetur. Teſtes Ludewicus. Cuno. Rudolf. Ottho. Burkart. Dangmud. Volcuant.

LXXXII.

Traditio Truthmanni.

UNiverſorum in CHRISTO piè viventium memoriæ commendamus qualiter Ego TRUTHMAN diſponente DEO, Hieroſolimam aggreſſurus cum Conjuge mea BERTHA, Vineam unam Tifendingen jacentem, ad Altare Sancti Petri Sanctique Stephani tradiderimus, ſub poſita hac conditione, ut quoad hujus Lucis regmine fungimur, annuali tempore ſemper in Feſto Sancti Petri quo de ad Vinculis ejus agitur, Ferhonem Thuris præſentemus, Uni verò è nobis univerſæ Carnis iter ingreſſo, amminiſtretur dimidia Urna Vini, XXX. quoque Similæ ab altero, poſt finem verò illius, quicumque Heredum ſupradictam Oblationem impendere curaverit, absque omni contradictione poſſideat; ſi autem ſemel neglexerint, denuo non tranſeant per eam, ſed continuo fructuario uſui Fratrum cedat.

LXXXIII.

Traditio Adelberti.

NOtum ſit cunctis Eccleſiæ Filiis, quod Ego ADELBERTUS qualiscumque Famelicus Domini G. Eiſtatenſis Epiſcopi Vineam mei Juris ad Ahnſun jacentem, pro Remedio animæ meæ & Uxoris BERTHÆ, ad Altare Sancti Petri, & Sancti Stephani, in Territorio Herbipolenſi, hoc Pacto delegavi, ut annuatim ad Feſtum Sancti Burkardi, urnam vini Fratribus ſub Nomine Oblationis perſolvam: poſtquàm verò finem vivendi fecero, vinea ipſa Fratrum Dominio absque omni Impedimento ſubjiciatur, ut ex hoc mihi perpetua merces à Domino in futura vita conferatur: huic Traditioni aſtipulantur Teſtes præſcripti. Engelscalc. Otgoz. Berngoz. Ditwin. Goteſrit. Richalm. Bern. Udescalc. Dancrat. Friderih. Rihmunt. Hiltibolt. Gotibolt. Eggibreht.

LXXXIV.

Traditio Heinrici & Fratrum ſuorum.

NOtum eſſe cupimus cunctis CHRISTI Fidelibus tam ſubſequentibus quàm præſentibus qualiter Ego HEINRICUS cum duobus Fratribus meis EMEHARDO videlicet & CUNRADO, una cum Socero noſtro DIMONE, vineam unam jacentem ad Altradesroden delegaverimus ad Altare Sancti Petri Sanctique Stephani, in Suburbio Wirziburgenſi, pro Remedio Animæ Matris noſtræ ALBRADÆ, eo ſcilicet pacto ut Urna vini Fratribus illic habitantibus ſemper in Anniverſario ejus perſolvatur: ſi quis autem Heredum noſtrorum hanc Oblationem impendere non renuat, absque omni contradictio-

dictione possideat, quod si semel neglexerit continuo Potestati Fratrum subjaceat. Testes hujus rei sunt Gozwin. Erkenbolt & alii.

LXXXV.

Traditio Engilhardi & Giselæ Conjugum.

NOtum sit omnium Fidelium Turbis, qualiter Ego ENGELHARDUS, & Uxor mea GISILA, vineam nostram in confinio Gerbrunnen sitam, ad Altare Sanctorum Petri & Pauli Sanctique Stephani ea conditione delegavimus, ut cum unus nostrûm de præsenti Sæculo migraverit, alter in ejus Anniversario XXX. Situlas, urnamque vini Fratribus persolvat, utrisque autem decedentibus, ipsa vinea usui Fratrum subjaceat & orario inter cos specialiter constituta, pro nobis ad Dominum fiat. Hujus traditionis Testes sunt hi: Herolt. Reginart. Kadeloch. Henric. Rutwic. Elpuvin. Heinrich. Gerrich.

LXXXVI.

Traditio Cunradi Ministerialis Herbipolensis Ecclesiæ.

TAm futurorum quàm præsentium CHRISTI Fidelium Memoriæ fideliter commendari & inculcari desidero, qualiter Ego CUNRADUS Wirziburgensis Ecclesiæ ministerialis, Celestis vitæ accensus desidero, pro Animæ meæ vigilare curaverim Remedio; cum enim memetipsum DEO Hostiam vivam offerre proposuissem, prius Exteriora mea ad Laudem Nominis ipsius hoc modo offerenda disposui: Tres mansos in Maspach sitos, & Curtem ibidem, cum ædificiis necessariis ad Monasterium Beati Stephani in Territorio Wirziburgensis Ecclesiæ situm contuli, insuper & quosdam ex Familia mea ad ejusdem Protho-Martyris Altare, Censum annuum reddituros delegavi, quorum Nomina subter notata sunt: Arnolt. Cuno. & Soror ejus Merigarth, Herman ejusdem Mulieris Filius. Erkenbreht & Filius ejus. Rudeger; hi ergo cum omni sua Posteritate, per me sibi statutæ hujusmodi subjacebunt Justitiæ, Masculi V. Denarios, Feminæ verò III. in Festivitate Beati Martini annuatim persolvant, de Cetero ab omni servitutis Angaria Liberi, sub defensione Advocati, quem Abbas Monasterii eis proposuerit, permanebunt, defuncto quolibet ex his sive masculo sive Femina, quod melius in vestitu cotidiano habuerit, in usum Monasterii cedat: si quis verò ex masculis imparem sibi Conjugem, id est, alienæ Potestatis, præter ejusdem Monasterii Familiam ducere præsumpserit, duæ partes substantiæ ejus, Fratrum inibi DEO servientium Dominio subjacebunt: Tertia verò eo defuncto Viduæ superstiti remanebit. Testes horum sunt SIGEFRIDUS Advocatus. Wignant. Werenherus. Berthold. Helmerich. Egino. Waltheric. Rudeger. Dirmat. Sinpoto. Gebeno. Burchart. Herman. Udalrich. Othinc. Werinhere. Helmerihc.

LXXXVII.

Traditio Wignandi.

ITem aliud ejus diei opus sub eorundem Testium præsentia gestum, devota Fidelium recolat Pietas, muniat Auctoritas, ne quando perversorum Temeritate irritum fiat, quod suo Mater Ecclesia testimonio confirmat: cùm enim Ego WIGNANDUS arduam Redemptoris viam perfectè sequi non possem, ut videlicet relictis omnibus, Nudus & expeditus post Eum venirem, statui mecum, ipso Inspirante & adjuvante, ita quodammodo uti meis tanquam alienis, ut quæ meæ fuerant Proprietatis, Juri alterius subderem Potestatis: ipsius ergo Pauperes Hereditatis meæ adoptans Heredes, tres mansos in Maspache, duos in Ezhleibe, & prætetea quicquid Prædii VII. Talentis comparari poterit, consentiente Uxore mea, per manum Legatarii mei CUNRADI ad Altare Protho-Martyris Stephani delegavi, ea videlicet conditione, ut annuum exinde Tribu-

 tum

tum id est XII. Denarios, sive urnam vini ad servitium Fratrum ejusdem Monasterii, in Festivitate Beati Burchardi, quoad vixero persolvam; cùm verò, DEO prosperante, aucta fuerit possessio, consequens erit etiam Majoris Census exspectatio.

LXXXVIII.

Traditio Henrici.

NOtum sit cunctis CHRISTI Fidelibus, Domnum HEINRICUM Curtem suam, quam delegaverat ad Altare Sancti Petri in Suburbio Wirciburgensi cum Fratre suo GERNODO ejusdem Loci Monacho, postea permissu Abbatis vendidisse, ac eodem prætio vinetum quoddam in Kurneberg XII. Jugerum comparasse, Locoque eidem contradidisse, hac conditione, ut quoad viveret, ipse & Uxor ejus eis serviret, dehinc absque omni contradictione in utilitatem Monasterii ex integro cederet: præterea Beneficium Emehardi V. Talentis redemit, pro quo ei vinea in Habesberg simili ratione præstita est: Cartulam autem hanc conscribi fecit & reponi: ne quis Heredum ejus post excessum vitæ suæ, occasione qualibet Monasterium possit inquietare.

LXXXIX.

Traditio Diterici.

EGo DITERICUS, qualiscumque Sancti Kiliani Famulus, Notum esse cupio omnibus Fidelibus tam futuris quàm præsentibus qua ratione pro salute Animæ propriæ, Matrisque meæ HILTÆ, mansum unum in Gunderesleibe situm, Ecclesiæ Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & Sancti Stephani Protho-Martyris delegaverim: Ego itaque, si DEI Ordinatione sine Liberis defunctus fuero, idem mansus absque ullius hominis contradictione, Ecclesiæ prædictæ Liber erit: sin autem, dum in hac vita supervixero pro Anniversario Matris meæ Hiltæ XV. Similas & Quadrale Vini & insuper Talentum Ceræ singulis annis debeo persolvere: me verò decedente, si quis Heredum meorum ex me progenitorum mansum voluerit obtinere, præscriptum Censum simili pacto non negligat reddere, quod si facere pertæsus fuerit, quod Justitia dictante Abbati & Fratribus visum fuerit exinde fit, tantum ne memoria Matris meæ, in septentrionali parte Ecclesiæ Claustri sepultæ, aliquo modo oblivioni tradatur.

XC.

Traditio Irminfridi.

NOverint omnes Fideles, qualiter Ego LOBARAHT vineam in Loco, qui Steinbahc dicitur sitam, ad Altare Sancti Petri, pro mea & Mariti mei YRMINFRIDI ex hac vita subtracti æterna Requie delegaverim, ut annuatim ejus in Anniversario, Urna vini & XXX. Similæ, tam per me quàm per Posteros meos quoscumque persolvantur: quod si quis dare neglexerit, aut statuti aliquantulum subtraxerit, Fratrum cedat dominio: cujus rei testes sunt Herolt. Bernolt. Karl. Ebo. Bern. Gotifrid. Rutwik. Rutwick. Wolfmar. Adelhun. Reginhart. Herwik. Gotifrid. Dietman. Coloman. Rabenolt. Ludewik. Liepger. Adalbert. Eppo. Beceman.

XCI.

Traditio Ruppoldi.

EGo RUPPOLDUS omnibus in CHRISTO piè viventibus manifestum esse cupio, quia hac conditione Vineam & Curtem meam cum Ædificiis, ad Altare Sancti Petri Sanctique Stephani Protho-Martiris tradidi, ut eas quoad vixero, annualem nullum

lum pro his persolvendo Tributum, obtineam: me verò decedente Uxor mea Acela, si superstes fuerit XV. Similis & dimidia urna vini, in Anniversario meo annuatim oblatis possideat, Filia verò ipsius Libista, non ex me Genita, cum Fratre meo Wolfgiso Curtem tantum perpetuo Hereditatis Jure post nos patiter obtineant, pro qua XXX. Similas & urnam vini, medietatem scilicet in Anniversario meo, reliquam verò quantitatem in Anniversario Uxoris meæ Fratribus . . . . . Vinetum verò post Uxorem meam Frater meus ex Integro solus possideat. Cujus rei Testes sunt Godifrid. Rutwic. Gozwin. Ratolf. Adalbero. Arnolt. Hecil. Hetiman. Otnant. Dieppolt. Hiltibrand. Rudiger. Ahmus. Dietheri. Anno. Sigiboto. Quicumque hoc Pactum Infirmaverit Vindictam DEI, & omnium Sanctorum non in Anima, sed in Corpore quoad vixerit, paciatur.

XCII.

Traditio Richiltæ.

EGo Billungus, DEI Gratia, Vice-Dominatus agens Officium, Notum facio cunctis, qua Conditione Curtem cujusdam Feminæ nomine Richilt propè Capellam Sancti Georii sitam, rogatu ejusdem, ad Altare Sancti Petri, Sanctique Stephani, delegaverim, in Anniversario ipsius Dominæ, quicumque Heredum suorum eandem ab Abbate & Fratribus obtinuerit XXX. Similas exinde persolvere debet, quod si temeritate aliqua neglexerit rationis æquitate dictante Prælatus Ecclesiæ, Curtem in usus ipsius debet recipere.

XCIII.

Traditio Viduæ Bernolphi Militis.

EGo H. Conjux Bernolphi de Hocheim, qui occisus est in Witceburg, ob Memoriam ipsius in Cœnobio Sancti Stephani peragendam, per manus delegatoris mei Heluvici tradidi & delegavi vineam unam, in Hocheim sitam, tali conditione: quicumque Heredum nostrorum eandem vineam post obitum meum possederit, si urnam vini in servitium Fratrum in prædicto Anniversario non dederit sicut Legibus statutum est Ecclesiæ, post tertium annum in supra memotata vinea nil Juris vel Proprietatis debet habere.



VIII.

ANONYMI CHRONICON ERFORDIENSE.

ANno Domini MCCXXIII. Sifridus Moguntinus Archi-Episcopus habuit Concilium Erphordiæ in Ecclesia B. MARIÆ.

Hoc Anno in Vigilia Paschæ celebrati sunt Ordines in Hospitali à Willehelmo Episcopo.

Hoc Anno, Heinricus Filius Imperatoris in Frankenevurt Kalendis Maii à Principibus in Regem Electus est.

Hoc Anno in Festo Martini, Minores Fratres Erphordiam venerunt.

Anno Domini MCCXXVI. Inundatio maxima fuit in Thuringia VI. Kalend. Septembris.

Hoc etiam Anno, Nornberc in Nuptiis Heinrici Regis rupta Crepa XXX. Milites & XX. Servi cadentes interierunt.

ANNO DOMINI MCCXXVII. Generale Passagium ad Terram Sanctam factum est; qua Expeditione etiam Imperator Fidericus transfretavit, sed Ludewicus Landgravius in eadem expeditione VI. Idus Septembris decessit in Apulia in Civitate Otrant.

Hoc etiam Anno III. Kal. Augusti maxima Tempestas juxta Cœnobium Sychen fuit, quæ magnam Cladem proximæ villæ quæ Ysleiben dicitur intulit, & per Torrentem Domos ipsorum abducendo, ac plurimos Homines submergendo.

ANNO DOMINI MCCXXVII. XV. Kal. Januarii Erphordiæ tripartitos celebraverunt Ordines hi Episcopi: Moguntinus ad S. Petrum. Halverstatensis ad S. MARIAM. Livoniensis ad Capellam S. Mariæ Magdalenæ in Claustro S. Petri, qui sequenti Dominica pariter Pragensem Electum in Episcopum consecraverunt.

ANNO DOMINI MCCXXVIII. Prædicatores venerunt Erphordiam ac Cœnobium ibidem ædificare cœperunt.

Anno MCCXXX. V. Idus Septemb. Erphordiæ obiit Siffridus Moguntinæ Sedis Archi-Episcopus, ac honorificè sepultus est in Ecclesia B. Virginis ab Engelhardo Nuwenburgense Episcopo, cui successit Siffridus patruelis ipsius, qui eodem Anno cuidam Fratri, Divi Ordinis Prædicatorum Auctoritatem, Clerum suum visitandi in Præpositutis Sanctæ MARIÆ Erphord & Giecheburg commisit, qui Negotium strenuè peragens, & ut plerisque videbatur districtius exequens, quosdam Clericos suspensos, disciplina corporali misericorditer punivit: quosdam verò Officiis & Beneficiis privavit, aliquos etiam Episcoparum exire compellebat.

Hoc Anno circa Festum Palmarum Giselbertus Cantor S. MARIÆ Erphord transtulit se ad vallem B. Georgii.

ANNO DOMINI MCCXXXI. II. Kal. Junii in Thuringia in tribus Castris scilicet Gleichen, Wassenberc, & Muhlberc, Turres & Propugnacula uno Fulmine pariter succensa succendebantur.

Hoc etiam Anno V. Kal. Septemb. Comes Albertus de Wie Prædam innumerabilem in Jumentis & Gregibus abstulit Erfordiensibus.

Hoc Anno Capitulum Provinciale Prædicatorum fuit Erfordiæ.

ANNO DOMINI MCCXXXII. In Alemannia perfida Hæresis, quæ ibidem diu occultè pullulaverat est manifestata: quapropter circa Rhenum nonnulli, & alibi innumerabiles Hæretici per Magistrum Cunradum de Marburc, Auctoritate Apostolica examinati ac per Sententiam Sæcularem damnati, combusti sunt igne, fueruntque etiam præsente eodem Cunrado Erphordiæ III. Non. Maii, quatuor combusti.

Hoc Anno discordantibus Archi-Episcopo Moguntino & Cunrado Fratre Landgravii, pro Monte Helegenberc in Hassia sito, & Bella moventibus idem Cunradus XVII. Kal. Octobris Civitatem Fritislariensem contra multorum Opinionem incendio cœpit, secum Captivos abducens Episcopum Wormatiensem, ac Gumbertum ejusdem Loci Præpositum, Heinricum Heiligenstadiensem Præpositum & quosdam Canonicos cum aliis ferè CC. militibus. Fridericus itaque de Drivordia ac sui complices, ruptis violenter Armarii ostiis, magnam inde Pecuniam à Civibus ibidem depositam, manu sacrilega auferentes, Libros, Calices, ac Ecclesiæ Ornatum, cum Sanctorum Reliquiis distraxerunt: fertur etiam à quibusdam, quod dictu est horrendum, ipsum Sacrosanctum Corpus Dominicum à maleficis ibidem in Terram ignominiosè dejectum; quot autem ibi occisi vel quot igne consumpti novit DEUS Arbiter . . . . . qui eidem Loco per suam modicam præsentis iræ stillam, æternum Tonitru in sui comminatus est corruscationem.

Hoc etiam Anno Fratres Minores infra Muros Erphordienses Cœnobium ædificare cœperunt, dum extra muros ibidem post IX. annos resedissent.

Hoc

Hoc Anno XII. Kalend. Junii ſupra Stetingos Inſulanos plaga Judicii conſummata eſt, de quibus dicitur, quod in ipſorum Terra Comes Otto de Aldenbers Caſtrum habuerit cum ſui Habitatores, Incolas Terræ taliter ſæpius offenderunt, ſiquidem in eadem Terra paucæ ſunt Eccleſiæ, & ex hoc diffuſæ atque diſtentæ Parrochiæ, quapropter Matronæ cum Filiabus ſuis ad Eccleſiam in Feſtivis diebus Curribus advectæ veniebant, quod Famuli de Caſtro videntes, petita à Domino ſuo Licentia & obtenta, violenter ſibi in Uxores rapiebant; hac de cauſa Incolæ, Caſtrenſes Comitis expugnantes, de Terra ejecerunt, quapropter Epiſcopus Bremenſis Fratrem ſuum Comitem de Lippia ad impugnandum ipſos tranſmiſit, qui incerto . . . . Judicio ibidem occubuit, unde cum Epiſcopus illos denuntiaſſet, illique denuntiatores de Terra ſua expuliſſent, Hæreſis crimen impoſitum eſt eiſdem, ſicque dictus Epiſcopus accepta à Domino Papa licentia, ſuper illos multum Populum Cruce ſignavit, tandem Dux Brabantinus & Comes Hollandiæ cum magno Exercitu Terram illam intrantes omnes cum Uxoribus & Liberis peremerunt.

Hoc Anno Idus Februarii Validiſſimus Ventus & juxta . . . . audita ſunt Tonitrua & Fulgura viſa.

Hoc Anno IIII. Kal. Martii Erphord in Eccleſia Sancti Petri, Moguntinus Ordines celebravit.

Hoc etiam Anno Idus Aprilis Erphord obiit Frater Gerhardus de Ordine Prædicatorum.

Anno Domini MCCXXXIII. VIII. Kal. Auguſti. Rex & Moguntinus & Magiſter Cunradus de Marburc Moguntiæ Conventum Epiſcoporum & Comitum atque Clericorum fecerunt; pro quibuſdam infamatis ab Hæreſi, inter quos Comes de Seine accuſatus inducias Expurgationis ulteriores obtinuit, ſuper reliquos verò qui non comparuerant, nec ſe legitimè excuſaverant prædictus Cunradus de Marburc ibidem Populum Cruce ſignavit, quapropter ipſi felle amaritudinis commoti, jam dicto Cunrado in reditu inſidias ponentes juxta Marburc ipſum una cum Gerhardo Minoris Ordinis Fratre, probatæ vitæ Viro III. Kal. Auguſti crudeliter occiderunt, cui poſt hunc Hildesheimenſis Epiſcopus fideliter . . . . ſuper perfidos Hæreticos eodem Anno in Thuringia atque Saxonia Populum Cruce ſignavit.

Poſt hæc autem II. Kal. Decemb. Hi quos Magiſter Cunradus, bonæ memoriæ, pro Hereticis totonderat fere quinquaginta Viri, omnes pari Animo ſine qualibet contradictione ſubjecerunt ſe, ac omnia ſua tam ſpirituali quàm ſeculari Poteſtati; ſex enim ex ipſis, qui occiſioni ſupradicti Cunradi interfuerunt; quantum ad cauſam Hæreſeos, Eccleſiaſtico, quantum verò ad cauſam interfectionis, ſæculari ſe Judicio ſimiliter ſpontaneè tradiderunt, præſentandos etiam ipſos publico Examini in Curia ſolenni Franckenevurt in Purificatione celebrandâ, proponentes firmiter omnes eos, qui pro Hæreticis tonſi, poſtmodum confeſſi ſunt injuriam ſibi factam.

Hoc etiam Anno Siffridus Moguntinus habito Conſilio cum Canonicis Moguntinis pro ſui Prædeceſſoris debitis, quibus Epiſcopatus jam dudum Romæ fuerat obligatus in tota ſua Diœceſi, Redituum viceſimam partem à Perſonis Eccleſiaſticis colligi mandavit, ac ſuper hoc dato Privilegio, ſe nunquam à Clero ſuo diebus ſuis quicquam amplius petiturum; Canonici etiam Matricis Eccleſiæ Moguntinæ Fide Juratoria confirmaverunt, ſe de cœtero nullum Pontificem Electuros, niſi in idem Privilegium conſenſurum.

Hoc Anno III. Idus Martii Siffridus Moguntinæ Sedis Archi-Epiſcopus Moguntiæ Concilium celebravit Pontificatus ſui Anno III.

Hoc Anno maxima fuit Inundatio, quæ magnum Intulit damnum Erphordienſibus.

Anno Domini MCCXXXIIII. Rex Heinricus Curiam ſolennem Frankenevurt in Purificatione celebravit, multis ibidem Principibus & Epiſcopis Congregatis ac multorum Ordinum Fratribus, ſcilicet Ciſtercienſibus, Prædicatoribus atque Minoribus & cœteris Religioſis Perſonis; itaque multis Conſiliis ſuper Fidei Negotio præha-

bitis, tandem de Litteris D. Papæ nuper ad Curiam delatis, Disceptatio non modica fuit: siquidem plerisque per Teutoniam Prælatis ac Clericis seu etiam Laicis Magistri Cunradi visitandi Hæreticos seu examinandi Forma displicuerat, videlicet ut aliquis infamatus ab Hæresi, publico Examini præsentaretur, & confessus Errorem ac reverti volens tonderetur, suam verò Innocentiam Fide Juratoria defendens, postea convictus per Hereticum, cremaretur: quapropter post Concilium Anno præterito Moguntiæ celebratum, Rex & Moguntinus ac Trevirensis Archi-Episcopi, Cunradum Scholasticum Spirensem ad Curiam Romanam destinantes, Domini Papæ Consilium super hujusmodi Forma sciscitati sunt; super quibus Papa valde turbatus, & à Cardinalibus, quibus Negocium per jam dictum Conradum Scholasticum innotuerat, inductus, Magistri Cunradi de Marburc Formam novis Litteris irritam judicaverat; sed antequam Nuncius Cunradi, redeundi Licentiam assumptis Litteris accepisset, ecce quidam Ordinis Prædicatorum, Torso Agnomine, veniens, mortem Magistri Cunradi de Marburc Papæ nuntiavit, quo audito Papa nimis conturbatus, Litteras contra Formam Magistri Cunradi nuper scriptas, discerpens, Regis Nuncium Beneficiis Ecclesiasticis privare disponebat, sed per Cardinalium & Prædicatorum interventum adjutus, acceptis aliis supradictis litteris reversus est; nunc itaque ad supradicta revertamur.

Igitur Rex in Conventu Principum Hildensheimensem Episcopum accusare cœpit, pro eo quod supra Hæreticos Populum Cruce signavit, qui se probabiliter excusans, exhortatione competenti facta pro Crucis Negotio, omnibus poscentibus se . . . . . constanter exsolvebat, ac cum Fratre Ottone Ordinis Prædicatorum, partem Magistri Cunradi defuncti diligenter tuebatur; tandem absente Rege, & Laicis Personis, soli Episcopi cum cæteris quibusdam Prælatis in Loco speciali, de Fidei Negotiis tractare cœperunt, cumque multa contra defuncti Cunradi partem, & aliqua pro ipso fuissent allegata, unus ex Prælatis, in hæc prorupit verba dicens: Magistrum Cunradum de Marburc dignum fore extumulandum, ac velut Hæreticum concremandum: post hæc autem Intervenientibus illis infamatis, qui anno præterito, ut supradictum est, se Ecclesiæ Examini dediderant, atque crucem ante se ferentibus, insuper de defuncti Cunradi Factis, clamosis vocibus miserabiliter querelantibus, tantus subito cœpit oriri Tumultus & Turbatio, ut hi, qui ex parte Magistri Cunradi exstiterant, se manus Adversariorum desperarent evadere.

* Deinde Feria II. Rex cum omnibus Principibus ac Prælatis, qui aderant, Civitatem egrediens, in campo præsedit Judicio, ibique Comes de Seyne, se cum VIII. Episcopis & XII. Grisei Ordinis Abbatibus, ac totidem Minoribus Fratribus, & tribus Prædicatoribus, ac etiam Nigrorum Abbatibus, & Clericis seu Nobilibus Laicis Personis non paucis, publicè & confidenter expurgavit, idemque Comes de Solmis cum suis fecit, obortis Lacrimis publicè fatendo, se tantùm mortis metu Hæresim fuisse professum: & quoniam Legitimi Accusatores non aderant, ad Infamiæ expurgationem admitti jure debuerant.

Hoc Anno Erphordienses, ingratitudinem Domini sui Moguntini & offensam graviter incurrebant, quem anno præterito, dum in Regis quadam fuisset expeditione, ab ipsis in Curribus & Militibus Juvamen petierat & subsidium, quod dum ipsi renuerent, Dominum suum graviter exacerbaverunt: postea verò ipsum in Adventu Domini per compositionem, Erfordiam invitantes, concordare non poterant, quapropter Mogontinus Erfordia, cum gravi Indignatione egressus, ipsos coram Rege in Franckenevurt proxima Curia convenit in pluribus eos accusans: Erphordienses autem ad eandem curiam à Rege citati, Nuntios illuc direxerunt, ratum habituri quicquid cum Rege ac Domino suo de Forma compositionis obtinuissent, quid plura? Nuntii, Regis arbitrio Negocium committunt, sed Rex compositionis Formam arbitratus, Nuntios Fide constrinxit Juratoria, quod si Cives eandem reservarent Formam, revertentes se Moguntino præsentarent, qui domum reversi civibus suis conceptam à Rege compositionis Formam litteris & verbis referebant, quam Formam dum Erphordenses recusassent, nec iidem Nuntii statuto Termino reversi fuissent, Archi-Episcopus in ipsos Excommunicationis tulit sententiam, quos & Rex proxima Curia, circa Festum Udalrici in Aldenburc habita, suo Banno ac Regiæ Proscriptioni sententialiter innodavit; quapropter illi de Erfordia, IIII. Feria ante Palmas usque in Kalend. Augusti Divinis

carue-

caruerunt, quo die mediantibus Lantgravio atque Prælatis Erphotdiensibus compositio statuebatur, & satisfactione Pecuniaria confirmabatur, sicque Divina resumpta sunt.

Hoc Anno Hiems asperrima fuit, adeò ut in mediterraneo mari, Institores Venetiam oneratis summariis pedestri Itinere per Glaciem transirent, quæ nempè Hiems non parvam per totam Italiam in Vineis & Olivetis intulit Cladem.

Hoc Anno XV. Kal. Junii. Lantgravius cœpit Castrum Comitis Heinrici de Glychen, ac ibidem XXIII. captos decollari præcepit.

Hoc Anno Heinricus Lantgravius pertæsus malorum, quæ passus est ab Heinrico Comite de Glychen, ipsum tandom Legitimè citatum ac postea proscriptum, novissimè & omni suo Jure Feodali privavit: quapropter Moguntinus Erphordensem Advocatiam à Lantgravio solvendo commutans, Episcopales Reditus in Guetern videlicet LX. Talenta eidem Jure Feodali porrexit, tamdiu, quousque per alia Bona Advocatiæ restaurari faciat & hæc Pacta VIII. Kal. Augusti facta sunt.

Hoc Anno II. Kal. Octobris obiit Ludovicus Scriptor, Canonicus Sancti Severi Erfordiæ.

Hoc Anno Regia villa Northusen in parte majori cum Conventualibus Ecclesiis Sanctæ Crucis, & Minorum Fratrum incendio consumpta est, quem etiam ignem dum ferè XX. Homines in quodam Cellario evadere niterentur, ex ejusdem domus Ruina pariter oppressi sunt.

Hoc etiam Anno XIIII. Kalend. Decembris Cunradus Saxoniæ Comes Palatinus cum duobus Clericis & IX. Militibus contulit se Ordini Domus Theutonicæ in Marburc, cum annuis Redditibus M. & C. maldrorum Annonæ, & . . . . argenti.

Hoc etiam Anno orta est discordia inter Imperatorem & Filium suum Heinricum Regem, quem Consiliis Paternis acquiescere nolens, manifestè se ei opponere attentavit, quibusdam Principibus & Baronibus ad se per pecuniam inclinatis.

Hoc etiam Anno circa Festum Michahelis, Gregorius Papa, Corpus Novorum Decretalium autenticavit, Veteribus reprobatis.

ANNO DOMINI MCCXXXV. Dominus Papa directis in Alemanniam Nuntiis, ab omnibus Episcopis atque Regalibus Abbatiis, Milites ac subsidium ad Romanos Impugnandos postulavit.

Hoc Anno Moguntini majoris Ecclesiæ Canonici, Archi - Episcopi Auctoritate freti, per totam Moguntinam Diœcesin Edictum promulgaverunt, videlicet, ut in omni Ecclesia Conventuali una extingueretur Prebenda, hoc prætio debita Episcopatus solvendo.

Hoc Anno Mense Majo Imperator egressus ab Italia, partes Teutoniæ aggreditur, quam ferè inXVI. Annis non visitaverat, transiens verò Austriam, Discordiam, quæ inter Regem Boemiæ, ac Ducem Austriæ fuerat exorta conabatur sopire, non valebat propter intollerabilem superbiam Ducis ac stultitiam, Rege tamen parato ad compositionem, sed dum flecti non valuisset, Rex idem Boemorum Regem Ungariæ cum ceteris quatuor Regibus in auxilium advocans, Terram Ducis ingressus est, cum eodem committens in Mense Julio, in quo conflictu strages maxima Pugnatorum, atque in Danubio submersorum facta est, Rege Triumphum obtinente.

Imperatore in Alemanniam veniente Fautores Filii sui Heinrici Regis valdè turbati, ferè omnes ipsum deserentes Patri adhærere cœperunt; quapropter sæpe dictus Rex Heinricus, Veniam à Patre ipsius in Wimphe postulans, Gratiæ suæ se suaque omnia contradidit, sed Patre compositionis & satisfactionis formam in Wormaciam differente: Itaque XVII. Kalend. Augusti Imperator Sororem Regis Angliæ ibidem Wormatiæ Imperiali Matrimonio sibi solenniter copulavit; ubi Rex Heinricus audita compositionis forma à Patre promulgata, Fugam inire paravit, quem Pater captivum

ſtro Heidelberc cuſtodiendum tradidit, & poſt hunc ipſum in Rethia Caſtro Alreheim ſervandum commiſit; tandem Imperator adhuc timens per ipſum ab Æmulis ſuis Imperii Turbationem moliri, per Epiſcopos Salzburgenſem & Babenbergenſem, eundem in Apuliam tranſmittens Caſtro Balerne recipi mandavit.

Eodem Anno, Imperator ſolennem Curiam circa Aſſumptionem Mogontiæ celebravit, ibidem coronatus incedendo.

Hoc etiam Anno Dominus Papa Gregorius, miſſis per Univerſam Eccleſiam Litteris, Crucem conſtituit prædicari, per Biennium ad Terram Sanctam Expeditionem protelans.

Hoc Anno Erphordiæ in Vigilia Paſchæ, Willehelmus Havelbergenſis Epiſcopus in Eccleſia Sanctorum, Ordines celebravit.

Hoc Anno VIII. Kal. Martii obiit Ulricus miles de Tulleſtein.

Eodem Anno Menſe Majo, Canonicus quidam quendam ſuum Confratrem in Dormitorio dormientem, cultello miſerabiliter peremit.

Hoc etiam Anno in die Pentecoſtes magna Tempeſtas Pluviæ & grandinis in Thuringia non modicam ovibus & ſegetibus intulit cladem.

Hoc Anno Moguntinus, Erphordiæ à Feſto Martini usque ad Natalem Domini moram faciens, Fructum Prebendarum ſuarum in Thuringia ibidem collectum, ad Rhenum traduci mandavit, celebravit & idem Pontifex ibidem Ordines ſolennes, in Eccleſia Sancti Petri XI. Kal. Januarii.

Hoc etiam Anno circa Kalend. Decembris in villa Wolffesheim numero XVIII. ut dicitur ſunt occiſi propter quendam Chriſtianum, quem miſerabiliter interemerunt, quia dignum videtur, ut qui ſanguinem ſitit, ſanguis ipſius fundatur ſecundum hoc Propheticum: *Cum Sanguinem oderis, ſanguis perſequitur te.*

Hoc Anno Epiſcopus Mantuanus à ſuis Civibus occiſus eſt.

Hoc etiam Anno in die Pentecoſtes, Papa cum maxima Solennitate Beatam Eliſabeth Filiam Regis Ungariæ ac Ludovici Landgravii Uxorem canonizavit.

Hoc Anno Kalend. Novemb. Meinhardus Comes de Mylberc, quendam Civem Erphordenſem cognomine Legatum, in Sancta Nocte ad Matutinas euntem, captivum deduxit, quapropter Moguntinus apud Imperatorem querimoniam deponens ipſum Meinhardum Imperatoris præſcriptioni, ac ſuæ Excommunicationis ſententia innodari procuravit.

ANNO DOMINI MCCXXXVI. IIII. Non. Februarii obiit Cunradus Præpoſitus S. MARIÆ in Erphord.

Hoc etiam Anno X. Kal. Martii obiit Heinricus Comes de Schwarzburc.

Hoc etiam Anno VI. Nonis Maii obiit Erphordiæ Ludewicus Canonicus & Cuſtos Nuwenburgenſis; Cunrado Erphordienſium Præpoſito, Arnoldus Major Præpoſitus Trevirenſis ſucceſſit, qui veniens Erphordiam IIII. Nonas Octobris, à Clero ejusdem Civitatis in Proceſſione fuit receptus, & à Decano in Loco ſuo inſtallatus, cantando interim, *Alma Redemptoris* & *Te DEUM Laudamus.*

Hoc Anno Kal. Maii. Marburc Translatio ſollennis facta eſt Sanctæ Eliſabeth.

Hoc Anno V. Kal. Januarii in Fulda, Judæi utriusque ſexus XXXIIII. à Cruce ſignatis Chriſtianis ſunt perempti; quoniam duo ex iisdem Judæis in Sancto die Chriſti, cujusdam Molendinarii extra muros habitantis, & interim in Eccleſia cum Uxore ſua manentis V. pueros miſerabiliter interemerant, ac ipſorum ſanguinem in ſaccis cera linitis ſuſceperant, igneque domui ſuppoſito recedentes, cujus rei Veritate comperta, & ab ipſis Reis Judæis confeſſa, puniti ſunt ut ſupra dictum eſt.

Hoe

Hoc Anno adeò calida fuit Hiems, ut vix sedecim dies glaciales in ea computari potuerint, in qua & audita sunt Tonitrua VI. Idus Martii.

Hoc Anno Pragensis Episcopus in Mense Augusto obiit, cui Scholasticus ejusdem Ecclesiæ succedens, Electus Domini Moguntini Auctoritate, Erphordiæ in Ecclesia Sanctæ MARIÆ ab his tribus Personis Abbate S. Petri, Decano & Scholastico supradictæ Ecclesiæ confirmatus est.

ANNO DOMINI MCCXXXVII. Imperator Longobardorum pertinacem videns contumaciam, iterum ipsis magnum superinduxit Exercitum, in qua Expeditione Paduanos in deditionem recepit, cum Mediolanensibus verò confligens X. millia prostravit, ac mille de melioribus captivos abduxit, victoriaque potitus, Carrochium ipsorum Romanis transmisit.

Hoc Anno pridiè Nonas Maii in Babenberc dedicatum est Monasterium ab his Episcopis, Erbipolense, Eystatense, Nuwenburgense, Merseburgense, Domino Papa ibidem magnam faciente Indulgentiam.

Eodem die Moguntinus ab Imperatore Erphordiam veniens sollenniter à Clero susceptus est, qui proxima sequenti Dominica in Ecclesia Sancti Petri Lutolfum in Halberstadensem, & Bernhardum in Pragensem consecravit Episcopum, cooperantibus sibi istis Præsulibus, Mysenburgense, Havelburgense, ac Peregrino antiquo Pragense, adetant & eidem Consecrationi Lantgravius, & Comes de Hennenberc cum cæteris Comitibus ac innumera Plebe.

Hoc Anno Frater Jordanus Magister Ordinis Prædicatorum pridie Idus Februarii in mediterraneo Mari submersus, in Terra Sancta honorificè sepultus est.

Hoc etiam Anno Erphordiæ consummata est Aquilonaris Turris Ecclesiæ B. Virginis, ferè post consummationem Australis, interjectis XXXVI. annis.

Hoc Anno VI. Idus Julii obiit Sophia Mater Heinrici Lantgravii in Isenach, ac in Ecclesia Beatæ Catharinæ sepulta est.

Hoc Anno Mense Februario in Marcha Stirensi nova Civitate, Heinricus Thuringiæ Lantgravius Sororem Ducis Austriæ sibi junxit Matrimonialiter.

Hoc Anno, adhuc Electis illis duobus Præpositis Magdenburgensibus Alberto videlicet, & Brunone inter se confligentibus, nec ullo consilio vel arbitrio cedentibus, contigit Servos Brunonis in Magdeburc manentes, ad Castrum vicinum, in quo prædictus morabatur, insidias ponere ac prædam venari, quos ipse fugando persecutus usque ad muros Civitatis, unum ex eis graviter vulneravit, quod videns quidam Partis adversæ, stans in muro sagittam direxit, ac Albertum lethaliter vulneravit, qui mox accito Confessore confessus ac defunctus est V. Idus Martii.

Hoc Anno circa Dominicam Lætare Moguntinus ex parte Imperii, Principes Teutoniæ quosdam Erphordiam citaverat, quo dum nullus Laicorum Principum pervenisset nec Episcoporum, exceptis Halberstanse & Hildesheimense Episcopis, suspecta quorundam Principum conspiratio contra Imperatorem declarata fuit: ibidem etiam in Ecclesia B. Petri supradictus Hildesheimensis ex Mandato Maguntini XIII. Kalend. Aprilis Ordines celebravit; post hunc idem Moguntinus Dominico Palmarum Moguntiæ Curiensem consecravit Episcopum.

ANNO DOMINI MCCXXXVIII. Imperator Curiam suam quam Principibus Teutonicis indixerat, Civitate Veronensi Kal. Maii celebravit, quo tamen dum nulli pervenissent, per Internuntios à conspirationis Infamia excusabant se diligenter. Post hæc Imperator totam hanc Æstatem in Longobardia Peragens, ac ipsos Rebelles, Bellicis Exercitiis infestans, Civitatem Brixiensem in Deditionem recepit, dein Filiam suam Hermanno Lantgravio per manum Moguntinensis Episcopi in Aschaffenburc desponsavit.

Hoc Anno III. Kal. Septembris dedicata est Ecclesia Fratrum Prædicatorum Erphordiensium ab Engelhardo Nuwenburgense Episcopo.

Hoc Anno Frater Cunradus Domus Teutonicæ, Germanus scilicet Heinrici Lantgravii, reminiscens malorum, quæ in Oppido Frizlariensi perpetrata sunt & maximè Corporis Domini, ut dicitur, in pavimentum dispersi, nec non etiam Ecclesiarum incendii, tactus dolore intrinsecùs, ac super his Dominum placare cogitavit, quapropter magnâ Hominum multitudine in Festo Apostolorum Petri & Pauli, in prædicta Civitate congregata, dictus Conradus, cum aliis duobus sui Ordinis Confratribus, in Loco Prædicarionis se exuens, ac vilissimos saccos circa Femoralia sibi circumdans, ex ore Prædicatoris, ab omnibus in hoc Loco per eum Læsis, veniam petivit; post hæc autem præfati tres Viri Nobiles, Nudi in Processione incedentes, tribus Sacerdotibus, cum Scopis Ipsos sequentibus, & disciplinaliter corrigentibus, Monasterium usque pervenerunt, ibique Misericordiam Divinam humiliter cum Lacrymis exorantes, Frater Cunradus pro posse Munera devotus obtulit, alias Ecclesias incensas eodem modo visitans, honestis muneribus honoravit, sicque revertentes ad Stationem, in ipsius Fratris Cunradi Corpore, non signa verberum Sacerdotum, sed Carnificum comparuerunt; quantum autem Lacrymarum ipso die ibidem à Populo fusum sit, solus ille novit, qui Corda contritorum ponderat.

Hoc Anno XVII. Kal. Decembris Moguntinus Damnum ferè irrecuperabile & jacturam gravissimam Episcopatus, in Castri Rustenberc amissione fuisset passus, si merita B. Martini non intervenissent; nam Heinricus Præpositus Heiligenstadensis, Henricum Comitem de Glychen, dicti Castri fraudulentum Invasorem, favente Divina Gratia cœpit, ac Castrum recuperans, eundem in eodem, Vinculis injecit.

Hoc Anno in Episcopatu Meydenburgensi per . . . . . . Præpositi Interfectionem male seminatum fuerat, adeò pessimè pullulavit, ut Cives Meydenburgenses Pontifici ac Domino suo se contumaciter opponerent, ipsum armis Bellicis impugnando, nec hac pertinacia contenti, omnes Religiosos ac Clericos, nonnullos etiam Pauperes ab Urbe propellentes, iram Summi Judicis sibi graviùs accumulaverunt, hanc tamen eodem anno contumaciam grandi Pecunia, cum Domino suo componendo, sopiverunt.

Hoc Anno Imperator Filium suum Heinricum à Captivitate liberans, Gratiæ suæ restituit, quo eodem anno in Autumno defuncto, alteri Filio suo Cunrado Regni Gubernacula in Teutonia commisit.

Hoc Anno in die Palmarum D. Papa Imperatorem denunciavit, quapropter ab ipso Imperatore circa Kalend. Junii in Eger Principum Conventus procuratus est, quo ipse Imperator manens in Longobardia Nuncios dirigens, illaram sibi à Papa sententiam ipsis significavit, Principes autem præsente Cunrado Rege cautione Juratoria se Imperatori obligantes Papam ipsi reconciliare promiserunt, huic tamen Curiæ Rex Boemiæ & Marchio Brandenburgensis non interessentes, ipsi non sunt obligati.

Anno Domini MCCXXXIX. adeò lenis exstitit Hiems, ut à Festo Thomæ ferè usque ad Purificationem exceptis Montanis, Nix visa non fuit, non Glacies.

Hoc etiam Anno Principes, qui Anno præterito contra Imperatorem conspiraverant, eidem Reconciliantur, Austriæque insuper Dux Honori, satisfactione taxata, restituitur.

Hoc Anno Mense Majo in Compania Franciæ juxta Civitatem Pervisina Hæretici combusti sunt Numero CC. minus XVI. qui ut ipsi confessi fuerant, ex eorum Progenie erant, quos Imperator Theodosius Temporibus Augustini de Africa expulerat, qui etiam de secta Manichæorum fuisse creduntur.

Eodem Tempore Theobaldus Rex Græcorum de Francia veniens, Jussu Cunradi Nigri Regis, ab Siffrido Moguntino in Loco qui dicitur Wisebad benignè ac honorificè susceptus est, siquidem Constantinopolitani ac quidam alii ipsorum, Fautores Catholicæ atque Romanæ Ecclesiæ nec non ipsi Regi Græciæ contradicentes per Scismatis vitium manifestè se opponere non verentur; quapropter D. Papa à prædicto Græcorum Rege interpellatus, duo Millia Peregrinorum in Francia ad Terram Sanctam signarorum,

ſorum, ipſi in Auxilium aſſignari mandavit, Iter Terræ Sanctæ circa eosdem diſpenſativè commutans.

Hoc Anno Moguntinus in Thuringia ad Annonam Moguntiam deferendam, à Cœnobiis vecturam exegit.

Hoc Anno VI. Nonas Julii Civitate Moguntina celebratum eſt Concilium, Præſidente Cunrado Rege, Imperatoris Filio, ac ejusdem Sedis Archi-Epiſcopo cum IX. cæteris Epiſcopis, in quo ſcilicet Concilio, Epiſcopus Eiſtatenſis querelando miſerabiles exhibuit Litteras, in quibus continebatur quoniam ſui Miniſteriales ac Cives Eiſtatenſes, jam ferè per Annum in Excommunicatione manentes, diabolica atque Hæretica præſumptione ipſum Epiſcopum cum Clero ſibi favente crudeliter expellendo abjeciſſent, & Laicas Perſonas in Epiſcopum ac Præpoſitum & Decanum elegiſſent, ac ejusdem Matricis Eccleſiæ Sacriſtiam infringendo ſpoliaverint, & ipſorum Errorem Magnates & Potentes quædam foventes, perniciosè in malitia confortaverint, ac qualiter ſuos Fautores ſi deceſſerint, cum Muſicis Inſtrumentis ad Sepulturam conducendo, lætanter ſepeliant.

Hoc Anno Meydenbergenſis & Halberſtadenſis Epiſcopi à Warthone Miſnenſe, contra Ordinis ſui dignitatem Salario conducti contra Marchionem Brandeburgenſem Bella moverunt, ubi alter ipſorum in Meydenburc, ut dicitur vulneratus, alter captus fuiſſe memoratur.

Hoc Anno Tempore Autumnali Moguntinus in qualibet Eccleſia Erphordenſi unam Campanam . . . . . . Redemptionem accepit.

Eodem Anno III. Non. Decembris, Siboldus Sacerdos & Canonicus Eccleſiæ S. Mariæ in Erphord Mundo verè mortuus, Prædicatorum Ordini ſe tradidit.

Anno Domini MCCXXXX. perniciosâ adhuc Eccleſiæ inter Papam & Imperatorem diſcordia, cunctis Fidelibus non modicum incuſſit timorem, maximè cùm Frater Cunradus Magiſter Domus Teutonicæ, qui Principum Alemanniæ Conſilio, ad ipſos concordandos miſſus, occulto DEI Judicio Romæ VI. Kal. Auguſti diem clauſerit extremum.

Hoc Anno Rimundo Magiſtro Ordinis Prædicatorum abſoluto, Frater Joannes Epiſcopus quondam Ungarorum ſucceſſit.

Anno Domini MCCXLI. die ſcilicet III. Aprilis obiit Rex Daciæ.

Eodem Anno in villa Regia Franckenevurt cujusdam Judæi Filius, Chriſtianæ Fidei Baptismum ſuſcipere deſiderans, à Parentibus & Amicis prohibitus eſt, quapropter altercatione inter Chriſtianos atque Judæos exorta XI. Kal. Junii validè inter ipſos dimicatum eſt; tandem paucis Chriſtianis occiſis Judæorum circiter CLXXX. gladio & igne quem propriis domibus impoſuerant, conſumpti ſunt, ipſoque igne poſt hæc invaleſcente media fere pars ejusdem Civitatis eſt concremata; videntes itaque reliqui Judæorum ſibi mortis imminere periculum baptizati ſunt numero XXIIII. & poſtea ipſorum quidam, Epiſcopus creditur exſtitiſſe.

Anno Domini MCCXLII. circa Feſtum Michahelis Rex Franciæ propter . . . . nimiam ſtudii ſui Jactantiam XXIIII. Carratas Librorum ſuorum Pariſiis Incendio juſſit cremari.

Hoc Anno Moguntinus Erphordienſibus offenſus, ibidem à Feſto Pentecoſtes usque ad Aſſumptionem tertii Anni, Divina ſuſpendit.

Anno Domini MCCXLII. IIII. Nonas Januarii Obiit Lantgravius Haſſiæ, Filius S. Eliſabeth in Cruceburc, ſepultusque eſt Reinhartsburn.

Eodem Anno in Vigilia Paſcæ, Wilhelmus Epiſcopus Havelbergenſis Erphordiæ apud Prædicatores, Ordines celebravit.

Eodem Anno Tartari in Ungaria.

ANNO DOMINI MCCXLIII. VII. Kal. Julii Innocentius Papa Electus est, cùm Sedes vacasset Anno & VIII. Mensibus, qui statim Fridericum Imperatorem denuntiavit.

Hoc Anno VIII. Idus Junii Rudolphus Mersburgensis Episcopus Ordines celebravit.

Eodem Anno obiit Marchionissa.

ANNO DOMINI MCCXLIIII. Moguntinus, ut Erphordienses adhuc durius arceret in Octava Epiphaniæ omnem Clerum cum Religiosis Civitate exire compulsit; qui postmodum in proxima sequenti Dominica Lætare in villa Wimaria Cleri ac Populi Conventum statuens, Fridericum Imperatorem cum Erphordiensibus denuntiavit, & post hunc III. Kal. Junii in Vrizlaria Concilium faciens eadem confirmavit.

Hoc etiam Anno Dominus Papa Innocentius Lugdunum Galliæ Urbem veniens, ibidem VII. Annos continuavit usque ad mortem Friderici quondam Imperatoris.

Hoc Anno Capitulum Provinciale Ordinis Prædicatorum in Hildensheim celebratum est, præsidente eidem Magistro Ordinis.

Eodem Anno in Villa Regia Muhlhusen magnum fuit incendium, maximam eidem Civitati inferens Cladem.

Hoc Anno III. Non. Septembris obiit Sophia Comitissa.

ANNO DOMINI MCCXLV. in mense Julio, Lugduno Galliæ celebratum est Concilium, præsidente Papa Innocentio cum CCL. Episcopis, ubi per sententiam Friderico quondam Imperatori omne Jus Regni ac Regnandi abjudicatum est, & eadem sententia Prædicatoribus atque Minoribus denuncianda commissa.

Hoc Anno in Adventu Domini captus est Episcopus Babenbergensis à G. Comite de Kevernbere.

ANNO DOMINI MCCXLVI. Dux Austriæ in Bello quod inter Regem Bohemiæ & Imperatorem fuerat, occisus est.

Eodem Anno XI. Kal. Junii Erphordiæ magnum fuit incendium, incomparabilem eidem Civitati inferens Cladem, eadem etiam Nocte, Magdeburgensis non dissimili damno per incendium punita fuisse credebatur.

Hoc Anno XI. Kal. Junii dum ille Fridericus quondam dictus Imperator, adhuc in sua perduraret pertinacia, Heinricus Landgravius juxta Herbipolim in villa dicta Hoheim Domini Papæ Auctoritate à Moguntino & pluribus Episcopis & Principibus in Romanum Principem fuit electus.

Eodem Anno in Cœna Domini, Castrum Kevembere Incendio consumptum est, Turrisque magna & fortis corruens quosdam suos oppressit, illæso tamen Episcopo ibidem detento.

ANNO DOMINI MCCXLVII. Heinricus Rex dum secundam in Bavariam atque Sueviam fecisset Expeditionem, ex nimio motu passus . . . . in Thuringiam ad Castrum Warberc revertebatur, ubi morbo invalescente XIII. Kalend. Martii diem clausit extremum, sepultusque est in Monasterio Sanctimonialium S. Katharinæ, in quo nimirum sine Herede defuncto, Nobilis illa Principalis Prosapia terminata est, quam à Primo Ludovico per CXVII. Annos in Thuringia tenuerat Principatum; post cujus Obitum mox in eadem Terra multiplicata sunt mala, nam vicini quidam Principes Jure Propinquitatis Hæredes fieri cupientes ipsam invaserunt, quorum Marchio Misnensis Castrum Eckehardelbere & Oppidum Wizense sibi valenter usurpans, non modicam hujus Terræ partem sibi subjugavit: Comes etiam de Anhalt suæ partis non immemor, Montem, qui Claustro Odelsleiben imminet, occupans potenter incastellavit, adjacentem vastando Viciniam.

Hoc etiam Anno Willehelmus Dux Hollandiæ in Regem Electus est, Virtuteque Pacificus ac Modestia & Continentia, ut dicitur, insignitus.

Anno Domini MCCXLVII. II. Non. Februarii. Obiit Richmondis Mater Fratrum.

Hoc Anno Erphordiæ celebratum est Capitulum Provinciale Prædicatorum.

Post mortem Principis, Intestinum Thuringiæ Bellum quod jam ferè Biennio inter H. Comitem de Glychen & . . . . . de Mulhusen & Fratrem suum R. Pincernam duraverat, ad Pauperum probationem durius inflamatur, quare dum superbiunt ipsi, Pauperes incenduntur.

Hoc Anno VI. Kal. Januarii obiit Heinricus Comes de Orlamunde.

Anno Domini MCCXLVIII. Rex Willehelmus in Octava Paschæ Aquisgranum Regiam scilicet villam obsedit ad cujus Auxilium multitudo Fresonum Cruce signatorum veniens Navali Bello ipsum Oppidum impugnabat, tandem XIIII. Kal. Novembris Civitatem ingressus à duobus Cardinalibus I. Kal. ejusdem Mensis Regalem Coronatus accepit Benedictionem

Eodem Anno circa Pentecosten obiit Dux Meranniæ & Burgundiæ immatura morte, dum vicesimum vix complevisset Annum, & apud Cœnobium Lancheim sepultus est.

Hoc Anno quidam Pestilentes de Castro Harmanstein, Hermannus videlicet . . . . Heinricus de Balstede in die Ascensionis Domini nefaria Temeritate ingressi quoddam Allodium Monachorum de Valle B. Gregorii, omni suppellectili cum pecoribus spoliaverunt, Cunradum ipsorum Cellerarium, devotum Sacerdotem cum aliis Conversis ac Famulis circiter XVIII. graviter vulnerantes, adeò ut etiam unus Conversorum extremum exhalaret Spiritum, quorum Cladem totus Erfordiensis Clerus miserans, illisque compatiens proxima IIII. sequenti Feria Generalem per Civitatem fecerunt Processionem, in qua ad Sceleris Ostensionem dicti Fratris occisi Tunica, Sanguine cruentata, pro Lamentabili vexillo deferebatur.

Hoc Anno in Septimana Pentecostes Rex Franciæ cum Uxore sua Fratribusque ipsius, cum Uxoribus suis ad Terram Sanctam cum magna Devotione iter de Parisio arripuerunt, nam in Capitulis Fratrum Prædicatorum atque Minorum, flexis Genibus ipsorum Orationibus humiliter se commendaverunt, habebant etiam in Comitatu, Romanæ Sedis Legatum cum quibusdam Episcopis, nec non Magistrum Ordinis Prædicatorum.

Eodem Anno VII. Idus Julii Albilaci Oppidum à Saxonibus expugnatum est, sed illi de Castro, ne ipsorum Adversarii ibidem tutum haberent Receptaculum ejusdem Civitatis furtivum procurarunt Incendium se satis viriliter defendentes, undecimo tandem post hæc die, Marchio veniens, dictum Oppidum obsedit, quod videntes Saxones, latenter egressi, residuum Civitatis incenderunt, dein Marchio plurimis Comitum villis vastatis incendio, X. Kalend. Augusti juxta Erphordiam Castra metatus est; indeque tertia die recedens, quoddam Castellum Heinrici Militis de Baldestete in villa Husen continuo expugnando destruxit, ipsumque Castelli Dominum cum aliis XXIIII. captivavit, sicque complurium Viduarum Pupiliorumque Maledictionibus in Terram suam ingressus est.

Hoc etiam Anno X. Kalend. Septembris Moguntinus Archi-Episcopus Herbipoli prædicans, plures supra Sanctæ Fidei Invasores Cruce signavit, pronuntians ibidem, quod Fridericus quondam Imperator, in Longobardia quendam Religiosum Pontificem tam ignominiosè atque Crudeliter Caudæ Caballi alligari præcepit, ut ejusdem Jumenti stercora, ipsius Ori inciderent, vel incidere potuissent, sicque miserabiliter destructum suspendio interire mandavit, cujus Corpus dum quidam Minorum Ordinis Fratres Sepulturæ, sicut dicitur, tradidissent, eosdem Tyrannus ille confestim vivos sepeliri mandavit.

Item Anno eodem in Thuringia sub tanta Bellorum Clade, maxima Mortalitas exstitit, adeò ut in quadam Rutensi villa, Gunnenstete dicta, multi brevi tempore morerentur; in alia verò quadam Villa dum Sacerdos duo Funera sepeliret, nunciatur illi jam XI. vitam finivisse, quo audito stupefactus vix Officium complens, è villa, fuga elapsus est.

Hoc Anno in Thuringia post Bellum Principale ad Plagam cumulandam, particulares discordiæ sunt in ipsa multiplicatæ, adeò ut Ministeriales suis etiam Dominis & Nobilibus contumaciter rebellare præsumpserint, nam Berengerus de Meldingen adjuncto sibi Giselhero de Tullestete cum LXX. armatis, Burgravium de Kirchberc & illos Nobiles de Lobede impugnans, dum magnam Gregum Prædam V. Kal. Octobris juxta Villam Geue dictam videnter abegisset, dictus Burgravius, in Domino confisus cum paucis insecutus est illum juxta Villam Madala, ubi viriliter cum eo committens Victoriam adeptus est, pluribus ibidem vulneratis ipsumque Belli Auctorem graviter vulneratum cum aliis XX. captivavit.

Hoc Anno VIII. Kalend. Martii obiit Albertus miles Nobilis de Vipperh.

Hoc etiam Anno III. Idus Februarii dum Pincerna . . . . . cooperantibus sibi Marchionis Militibus plures villas incendio vastasset . . . Comes de Glychen adjunctis sibi quibusdam Comitibus, juxta Villam Muhlhusen cum eo infeliciter conflixit, ubi dum jam dictus Heinricus Comes pene victoriam adeptus fuisset, Burcgravius superveniens ipsius gaudium convertit in Luctum, nam occulto sed non injusto DEI Judicio quatuor ibi Comites G. videlicet de Revenberc cum B. Filio suo & G. de Blanckenberc cum Fratre suo H. de Swarzeberc, cum aliis XX. Militibus & suis, Captivi deducti sunt; hanc itaque Vindictam ille de Kirchberg non immerito passus creditur, qui ausu temerario Babenbergensem Episcopum Captivare non verebatur.

Hoc Anno Auctoritate Legati mutatum est Festum Dedicationis Ecclesiæ Fratrum Prædicatorum Erphordiensium, & transpositum in proximam Dominicam post Ascensionem; eodem Anno ac die dedicatum est ibidem Altare B. Virginis à L. Nuvenbergensi Episcopo.

Hoc Anno VII. Kalend. Februarii Villa Novum-Forum dicta, à Fautoribus Marchionis capta est & Incensa, qui tertiâ die iterum reversi ibidem Ecclesiam videntes intrantes spoliaverunt ac ipsum Plebanum Dominicum Corpus ferentem graviter vulneraverunt, insuper idem supradictus XI. Kal. Martii Castellum Eckenstede dictum cœperunt.

Anno Domini MCCXLIX. Siffridus Archi-Episcopus Moguntinus postquam per universam Diœcesim suam, omnes Præposituras ac meliores Parrochias vacantes, Auctoritate Domini Papæ per Biennium sibi usurpandi recepisset, dictus Papa non his contentus apposuit adhuc ipsum sublimare, ac Legatum Germaniæ constituere, sed Terribilis DEUS in Consiliis super Filios Hominum, cujus Judicia Abyssus multa, qui humilia respicit, & alta à Longè cognoscit, hujus immensæ Dignitatis Gloriam intercidit, nam cum esset in Expeditione cum Rege, ante Curtem Regiam Ingelheim dictam cœpit infirmari, venitque Pinguiam ubi VII. Idus Martii diem clausit extremum, cui Cristanus Major Præpositus Moguntinus successit.

Hoc etiam Anno in die Palmarum supradicta Regalis Curia à Rege W. viriliter expugnata est.

Hoc etiam Anno circa partes Burgundiæ in Comitia Savoya, quidam Mons Lapidosus & altus scopulatim scissus est & corruens unius ferè Leucæ Spatium occupavit ac duo Cœnobia, Nigrorum videlicet Monachorum ac Præmonstratensium cum X. Villis oppressit, occisis ut dicitur ibidem ferè mille Hominum, ipseque etiam ejusdem Terræ Comes dictam Ruinam vix effugiens, milites & servos ibidem amisit.

Hoc etiam Anno cum hi qui de parte Marchionis erant ante Erphordiam VII. Idus Septembris venissent, Cives quidam de Pauperioribus, & inermes egressi, dum, veluti Artis Bellandi ignari, Hostes propellere niterentur, XLVI. ex eis Captivi abducti sunt, quidam occisi, non pauci vulnerati.

Hoc

Hoc etiam Anno V. Kal. Januarii ſtante Aquilonari vento, Mare minoris Oceani, tanta violentia maritimis Terris appulſum eſt, ut citra Villam Hamburc CCC. periclitatæ referantur, quot autem in Hollandia vel Freſia ſeu cæteris maritimis Regionibus perierint novit DEUS, qui per tales Eventus, Terrorem Hominibus incutere ſolet.

Hoc Anno Cœnobium Sanctimonialium in Regia Villa . . . . ; . . . . . . à Gunthero de Arnſperg, quia Cives hujus Villæ voluerant ſe Marchioni tradidiſſe, ſicque illa Nobilis Eccleſia . . . . exigentibus eſt humiliata.

Anno Domini MCCL. Criſtanus Moguntinus Archi-Epiſcopus in Vigilia Natalis Domini Erphordiam veniens honorificè à Clero ſuſceptus eſt, & à Civibus in Eccleſiis S. Petri & S. Severi & in Eccleſia B. Virginis, præter Lambertum ejuſdem Eccleſiæ Præpoſitum, cui Clerus Erphordienſis ac totius Præpoſituræ fecerat Obedientiam, quem præterito Anno defuncto Sifrido Moguntino, D. Papa eodem inveſtiverat Beneficio, tandem hujuſmodi Controverſia ſopita, dictus Præſul Heinricum S. Petri Abbatem jam valetudinarium abſolvit, Volmarum ejuſdem Eccleſiæ quondam Monachum, & Burſfeldenſis Abbatem ſubrogans eidem; poſt hæc Divina favente Clementia Dominici Corporis Sacramentum quod in Anni præteriti Autumno in Eccleſia B. Martini Hoſpitalis à quodam malefico, Furto ſublatum fuerat, ac in Piſcina quadam diabolico Inſtinctu ſubmerſum, eodem malefico per Confeſſionem prodente, repertum eſt, quapropter dictus Pontifex XIX. convocato toto Civitatis Clero, ad Locum, ubi hoc Terrificum Sacramentum reconditum fuerat, perrexit, ac inde ſumptum ſolenni cum Proceſſione in Eccleſia B. Mariæ devotè collocavit.

Hoc etiam Anno II. Kal. Martii. Marchio Miſnenſis in Mulhuſen, Provinciali præſedit Judicio, ubi præſentibus multis Terræ Baronibus, Pacem firmiter atque ſtabiliter Juramento confirmavit, ſicque Terræ ejuſdem Principatum licet à Friderico quondam Imperatore, nunc autem depoſito, Feſtiva Vexillorum exhibitione ſibi contraditum, violenter ac injuſtè occupavit: dein tertia die veniens Yſenacum à Duciſſa Brabantiæ ſub nomine Tutoris ipſius Filii, Nobile illud Caſtrum Wartberc cum tota Haſſiæ Terra ad annos X. commodatum ſuſcepit.

Hoc Anno novum Belli Genus imo doloſæ Traditionis auditum eſt, nam cum Bremenſis Præſul & Comes Holſaciæ contra Regem Daciæ Bella moverent; ipſius Germanum Nomine Abel, Ducem videlicet Tuſciæ ſibi quoquo modo aſſociaverunt, qui Fratri ſuo in Dolo confœderatus, dum in Regia Villa Sleſvic pacificè conveniſſent, non ſicut Abel, ſed ſicut maledictus Cain Fratricida, dictum Regem in Vincula jecit, ac Navi impoſitum atque deductum non longè à Civitate in quodam Loco decollari præcepit, qui Fratrem quendam Ordinis Prædicatorum advocans, ubi melius potuit confeſſus, deinde Lictorem rogavit, ut ſe primum membratim truncaret ac ſic decollaret, quod factum eſt; Corpus ipſius armis involutum fluvio immerſerunt V. Idus Auguſti, poſt hæc Nutu DEI idem Corpus quæſitum & inventum in prædicta Civitate in Eccleſia Fratrum Prædicatorum honorificè ſepultum eſt.

Hoc Anno pernicioſa diſcordia inter Regnum & Sacerdotium jam XIII. annis habita, ex parte fuit ſedata, nam Fridericus quondam Imperator; Idibus Decembris in Sicilia eſt defunctus, ac in Palerma ſepultus.

Hoc Anno cunctis ab Exercitu Fidelium in Damiata ut ſibi videbatur diſpoſitis, fecerat enim Rex Franciæ in illa Epiſcopatum, Præbendas & Canonicos ob Cultum Divinum, ſed quia nemo poteſt Dominis ſervire diverſis DEO ſcilicet & Carni, nam Rex Franciæ inani Gloria Elatus ſolus excluſis cœteris Peregrinis, Bellorum Victoriam ſibi ſuiſque voluerat adſcribi, nec Pugnantium Prædam æqualiter diſpertiri, quapropter dum in quarta Feria poſt Octavam Paſchæ Exercitus Domini cum Sarracenis fiducialiter committeret, occulto DEI Judicio victus eſt, capto Rege Franciæ, & occiſo quoque Fratre ipſius Ruberto, ac ſicut narravit Eberhardus Magiſter Allemanniæ Fratrum Domus Teutoniæ, qui huic præſens interfuit conflictui, cæſis XXXVI. Millibus & XV. millibus captivatis, dixit inſuper IIII. millia ad Perfidos propter Victus penu-

riam transfugisse per Apostasiam, sic itaque reddita Damiata, Rex centum millibus Millionum suam redemit Captivitatem, addens insuper Fide data, se non amplius suis diebus Sarracenos impugnaturum.

ANNO DOMINI MCCLI. Dominus Papa comperta Friderici quondam Imperatoris morte, de Regni Negotiis diligenter deliberans quendam H. Cardinalem Ordinis Fratrum Prædicatorum de suo Latere Legatum misit in Alamanniam ad Wilhelmi Regis confirmationem, qui veniens Moguntiam ejus Ecclesiæ Præsulem Cristanum, Cessionem à Papa noviter petentem, deposuit, assignans eidem per totam Moguntinam Diœcesim in qualibet Ecclesia Conventuali præbendam, subrogando nihilominus ipsi Gerhardum Sylvestris Comitis Filium.

Hoc etiam Anno sicut olim contigit circa Tempora Salvatoris, ut tangitur in Actibus Apostolorum de Theoda Mago falso . . . . qui magno Judæorum Exercitu ad Jordanem congregato inani spe promisit illos post triduum se per Jordanem sicco Vestigio transducturum, quem Præses Syriæ insecutus ibidem cum multis interimitur.

Hoc Anno IIII. Idus Septembris Erphordiæ magnum fuit Incendium à Novo-Opere usque ad Hospitale.

Hoc Anno in Jejunio Autumnali sollennes celebrati sunt Ordines Erfordiæ in Ecclesia S. Petri ab Heinrico Hildesheimensi Episcopo.

Hoc Anno IIII. Kal. Januarii Regia Villa Esschenewege fuit expugnata à Duce Brunswicense expulsis his de Monte, qui Dominarum Claustrum incastellaverant, Turrim unam cum Ecclesia præter Sanctuarium destruentes, earumque Lapides ad munimen Civitatis distrahentes.

ANNO DOMINI MCCLII. Willehelmus Rex Consilio & Auxilio Legati, ut creditur, Filiam Ducis Brunswicensis duxit Uxorem, cum igitur ipsas Nuptias VIII. Kal. Februarii, in quo B. Pauli Conversio contingit . . . . fortuito candelæ casu ipsa Thalami Caminata fuit incensa, multoque ibidem apparatu Regio vel Ornatu consumpto, Sponsus cum Sponsa, Domino auxiliante, qui nudi Periculum mortis vix evaserunt, his denique Nuptiis dictus Legatus & Magontinus Electus cum quibusdam aliis Episcopis interfuerunt, sicque Rex magnum hujus Terræ Principum sibi conquisivit Favorem.

Hoc Anno Magontinæ Sedis Electus in Dominica *Exurge* Erphordiam veniens ab hujus Civitatis Clero honorificè susceptus est, qui ibidem Jejunio Vernali Diaconatum & Sabbatho Sacerdotium adeptus, Prædecessorum suorum Sententiam in Marchionem Mysnensem, & Brabantiæ Ducissam pro Feudis ex Obitu H. Regis Episcopatui solutis, & à jam dictis injuriosè detentis promulgatam confirmavit, omnes Civitates & Villas ipsorum Jurisdictioni per Hassiam atque Thuringiam subjectas sub interdicto ponens, qui postea vocatus à Legato Megdeburc pervenit, ac dein Brunswic cum Rege veniens, in die Palmarum ab Eboracense Archi-Episcopo in Pontificalem sublimatus est Auctoritatem, ubi & sequenti die Rex W. à Marchione Brandenburgense ac Duce Saxoniæ cœterisque hujus Terræ Magnatibus in Romanum sollenniter Electus est Principem, eodemque Tempore Cives Goslarienses fecerunt similiter, itaque præfatus Rex W. de die in diem tam coram Domino, quàm coram Hominibus crescens, in die Parasceves magnum Devotionis & Humilitatis præbuit Exemplum, ita ut per Civitatem supradictam Brunswicensem Laneus ac nudis incedens pedibus Sanctorum visitaret Ecclesias, largasque erogaret Eleemosynas, multa denique de eo prædicabantur virtutum Insignia, nam Pacis Amator justus atque districtus Judex, moribus maturus, pius ac mitis apparebat & humilis: quapropter cooperante sibi DEI Gratia per Romanæ Sedis Legatum, omnium ferè Principum sibi conciliavit Favorem, excepto Duce Bavariæ, qui Genero suo C. Filio quondam Imperatoris, in sui Honoris ac Ditionis Periculum pertinaciter adhærebat, Rex etiam Boemiæ pretiosis atque Regalibus . . . . in signum Electionis ipsum honoravit; post hæc jam sæpe dictus Rex W. in Septimana post *Abbas* Merseburc venit, ubi Megdenburgensis Archi-

chi-Epiſcopus & Marchio Miſnenſis, manus ei dantes, ſua ab ipſo Feuda receperunt. Poſt hæc ſollennem Rex induxit Curiam Kalendis Julii Frankenewurt celebrandam, in qua tamen, eodem ferè Tempore defunctum ſuum graviter Lugebat Socerum: eidem itaque Curiæ iſti Principes interfuiſſe referuntur, Epiſcopi Maguntinus & Colonienſis, & Leodienſis, Spirenſis, Argentinus; Dux Brunſwicenſis Imperatoris defuncti Filius, præter Abbates plures & Comites & Barones, ubi Rex Ducem Bavariæ Sententia Proſcriptionis innodaſſet, ſi per quoſdam interceptum non fuiſſet.

Hoc etiam Anno pridie Kalendas Julii Abel Rex Daciæ juſto DEI Judicio à Friſonibus occiſus eſt, qui non ſolum Germanum Fratrem, ſed multos Lubecenſium Civium noviter in Dolo peremerat.

Hoc Anno III. Non. Novembris obiit in Argentina Magiſter Ordinis Fratrum Prædicatorum Frater Joannes Epiſcopus.

Hoc Anno Erfordiæ inſtaurata & autenticata fuit ab Electo Moguntino Eccleſia ſuper Piſcinam ſita, in qua Dominicum Corpus inventum fuerat & aſſignata duobus Clericis ad procurandum ibidem Obſequium Divinum.

Hoc etiam Anno Moguntinus à Clero ſuo Viceſimam exegit.

Hoc Anno XVIIII. Kalend. Aprilis, quidam Viri militares ac præſumptuoſi contra Regiam villam Muhlhuſen conſpirantes, quoſdam Armatos Curribus impoſitos occultè circa Solis Ortum eidem villæ inducendos procuraverunt, Annonam ſuper ſe poſitam oſtendentes, quibus ingreſſis ipſas Civitatis Portas tamdiu nitebantur occupare, donec ipſorum complices introiſſent, quod ut Cives percautè cognoverunt, ſonantibus Campanis ad Arma conclamabant, & viriliter ſe defendentes XIII. ex Adverſariis trucidabant, eoſdem in una Foſſa ſimul ſubterrantes pluresque ex aliis in Fuga vulnerantes.

Hoc Anno infra Sexageſimam Soror Margareta, Regis Heinrici, Filii Friderici Imperatoris Relicta, relicto Summo Sponſo ſuo JESU CHRISTO, quem in Facie Eccleſiæ publico voto emiſſo, habituque Relligionis aſſumpto fideliter elegerat, Filio Regis Boemiæ F. Duci videlicet Auſtriæ nupſit, cum tamen affinitate forent conjuncti.

Hoc etiam Anno Marchio Miſnenſis Thuringiam veniens VII. Kal. Septembris in Mittelhuſen, Provinciali præſedit Judicio, Pacemque cum Terræ Baronibus confirmavit, dein tertia die . . . . . Caſtrum obſedit, ac in deditionem ſuſcepit, ipſiusque Caſtri Dominum captivum abducens.

Hoc Anno in Cœna Domini ſunt inventæ Reliquiæ B. Wicberti Abbatis, ac poſtea in Vigiliis B. Joannis Baptiſtæ Auctoritate D. Legati atque Maguntini ſub Translationis titulo, eadem Translatio Populo ſollenniter eſt manifeſtata.

Eodem Anno IIII. Kal. Octobris obiit Frater Helwicus Lector Minorum Fratrum.

Anno Domini MCCLIII. dum ſupradictus Legatus pro quodam Theloneo ferè per Annum Excommunicationis Sententia Moguntinum innodaſſet, ac illius Sententiam contra Marchionem latam caſſaſſet citra Paſcha Reconciliati ſunt.

Hoc etiam Anno Non. Aprilis obiit Wildebrandus Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus.

Hoc etiam Anno Chriſtianus Moguntinus Archi-Epiſcopus Hoſpitaliorum Ordini ſe tradidit.

Hoc etiam Anno Moguntinus cuidam Theodorico Epiſcopo de Minorum Fratrum Ordine vices ſuas in Thuringia commiſit, qui Erphordiæ Septimana Pentecoſtes, Ordines celebravit, ac in Feſto Apoſtolorum ad Fratres Prædicatores Sacras Virgines velavit.

Hoc Anno Flandrenſis Comitiſſa coadunato Copioſo Exercitu Francorum atque Flandrenſium, ſcilicet CL. millium Pugnatorum direxit contra Regem Willehelmum, qui IIII. Nonis Julii Navigio ex mari velut Locuſtæ prodeuntes ſuo Infortunio ad Ter-

ram Zelandiam venerunt ac ipſorum aliqui quandam villam vaſtabant Incendiis & Rapinis, quibus Frater Regis Florentius cum Ipſius Conſanguineo dicto . . . . qui eodem die dictum F. Gladio accinxerat militari potenter accurrens, poſt multos & diverſos Conflictus, contra eos victoriosum obtinuit Triumphum, ita quod de tanta multitudine nullus evaderet, innumeris in Mari ſubmerſis, ac quibusdam ad V. trucidatis, inter quos Guidonem Flandriæ Comitem, Johannem Fratrem ipſius, Comitem Barenſem & Fratrem ejus Comitem de Gines & quam plurimos Nobiliores Flandriæ, nec non Burgenſes ditiſſimos Captivos, Rex duris mancipari mandavit Vinculis, magnam inſuper Plebis multitudinem Regia Liberalitate, Terræ ſuæ miſericorditer remiſit: ſunt autem in eodem Bello, quæ in Poteſtatem Regis conceſſerunt, ex Scyphis & Scutellis argenteis CCC. Marcarum æſtimata, præter Naves.

Hoc Anno in Oppido Miſnenſi, quoddam valde commendabile contigit Miraculum, nam Plebanus dictæ Villæ dum ad viſitandum in Vicinia infirmum cum Corpore Domini de Eccleſia procederet, comitante Populo, Aſinus quidam ad viam depaſcens inter plures more ſolito ſtabat, qui Populo ſpectante atque Geniculante, velut Animal Rationale toto Corpore proſtratus ſuum venerabatur Creatorem, & ne Caſus hic etiam non miraculosè contigiſſe videatur, in reverſione Sacerdotis idem Factum protinus iteravit: hujus rei Teſtes ipſum Factum videntes ſunt Abbas Cellenſis, Lector Fratrum Prædicatorum in Uriberc & Magiſter Chriſtophorus Proto-Notarius.

Hoc Anno III. Idus Aprilis obiit Fridericus dictus de Tuna.

Eodem Anno Theodoricus dictus Epiſcopus IIII. Idus Julii in Clauſtro B. MARIÆ V. Capellam, ſequentique die cum ſollenni Proceſſione Cleri juxta Fontem, in quo Dominicum Corpus fuerat inventum, ad Eccleſiam conſtruendam primarium poſuit Lapidem.

Hoc Anno III. Non. Octobris dedicata eſt Baſilica B. Virginis Erphordiæ ab Epiſcopo Theodorico tribus aliis Epiſcopis cooperantibus, quorum unus erat de Ordine Ciſtercienſium, alter de Ordine Minorum, tertius de Ordine Domus Teutonicæ.

Eodem Anno Chriſtanus Mogontinus quondam Epiſcopus, Pariſiis defunctus eſt, ac in Domo Hoſpitaliorum ſepultus.

ANNO DOMINI MCCLIIII. Illam periculoſam Diſcordiam inter Epiſcopum Ratiſponenſem & Bavariæ Ducem Divina volens Clementia conſopire, cuidam Viro plebejo mandavit, ut eidem Duci conſtanter intimaret, quod ſi cum dicto Epiſcopo infra Octavum Diem non componeret, mortis diſcrimen non evaderet, quod vir ille dum intrepidus dicto Duci enarraſſet, & ille hæc Verba quaſi deliramenta ridendo parvi pendiſſet, præfato die idem Tyrannus in ſuo ſtratu quieſceret ſecurus, Divinæ Sententiæ Vindicta contactus, Voce Terribili Clamans, exſpiravit.

(c)

IX.
CHARTARIUM REINHARTSBORNENSE.

I.

Diploma Heinrici IV. Imp. quo Fundationem & Privilegia Reinhartsbornenſis Cœnobii confirmat.

An. 1086. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HEINRICUS, Divinâ Clementiâ Romanorum Imperator Auguſtus, omnibus tam præſentibus quàm futuri Temporis Fidelibus notum eſſe volumus, quod in Regno noſtro Regulare quoddam Monaſterium ſitum eſt in Confinio Loibæ Silvæ Reginherisbrunno nuncupatum, in honore Sanctæ DEI Genitricis & Virginis MARIÆ, Sanctique Joannis Evangeliſtæ conſtru-

structum honorificè à LUDOVICO, Religioso Comite, ejusque Conjuge ADELHEIDA primum ob spem & premium vitæ æternæ, ob remissionem omnium peccatorum, ob salutem corporum, & sempiternam Requiem Animarum, ob Memoriam quottidianam sui suorumque omnium, Regum quoque & Episcoporum, Principum & omnium ejusdem Loci statum & honorem diligentium & defendentium, Cunctorumque CHRISTI Fidelium, & ut cunctis CHRISTI Pauperibus Beneficum illic semper pro posse patefiat Receptaculum. Igitur ex propriis Prædiorum Impensis, Idem Monasterium Centum Quinquaginta Mansis inde circumquaque adjacentibus cum Mancipiis utriusque Sexûs quamplurimis dorando ditavit, prænominata Conjuge, ipsius Filiis & Filiabus in hoc sibi omninò consentaneis, & ne unquam à Posteris suis DEI Servitium deinceps illic deserui possit, constituit, eandem Cellam cum omnibus suis pertinentiis, non subdi, nec subesse jugo alicujus terrenæ Personæ vel Potestatis, sed Liberam à Nobis Sanctæ Romanæ adscribi Ecclesiæ, Sanctorumque Petri & Pauli habere Gubernationem, nec non Romani Pontificis Defensionem, Romæ quoque per quintennium Lateranensi Palatio ad Luminaria concinnanda, decem solidos persolvere, sicque eam totius Libertatis Jure & Privilegio adaugens omni Proprietate & Servitio, cum Conjuge, Filiis & Filiabus omninò & fideliter abdicavit, & Abbati Gisilberto ejusque Successoribus in dispositionem Liberam Fratribus DEO sub Regula Monastica inibi servientibus contradidit ad utilitatem: Adhæc etiam, ut Fratres Cœnobii ipsius nunc inibi congregati, & adhuc in CHRISTO congregandi, tutius ac liberius Domino DEO servire possint, hujusmodi eos Libertatis Munere donavit, ut quandocunque Patre suo spirituali orbati fuerint, ipsi habeant liberam Potestatem secundum Regulam Sancti Benedicti inter se, & undecunque opus fuerit, Abbatem sui Ordinis sibi non solum eligendi, sed etiam constituendi, Advocati tutela quando & ipsa videtur eis necessaria, prædictus Comes sicut ab eisdem Fratribus est electus Advocatus, quamdiu vixerit, permanebit, & ex Posteris ejus, qui idoneus huic Dignitati fuerit; nullus tamen unquam Advocatus esse præsumat, nisi quem Fratres Communi Consilio providerint eligendum, Qui si illorum & Monasterii per omnia studeat Commoditatibus, diligatur ab omnibus. Sin autem Avarus, nec illorum commoda, sed sua quærens Lucra, habeant Potestatem alium sibi eligere, & hunc ex Auctoritate Petri & Pauli reprobare: hic itaque Abbate petente à Rege accipiat Bannum legitimum, & ter in Anno, si necesse fuerit, ubicunque vel quando Abbati placuerit invitatus ab illo veniat, & ibi Placitum justum pro necessitatibus & causis Monasterii ritè peragat, nullum verò aliud Servitium, Jus aut Beneficium sibi per hoc concedi cognoscat, nisi tertium Bannum & consuetudinariam Justitiam videlicet super Fures, Proterviam & cætera talia, magisque inde, quod præcipuum est, æternam Omnipotentiam DEI speret Retributionem, nullo modo nisi Abbate volente & advocante Bona & Loca Monasterii suis Frequentiis temerariis & sine causa adeat vel attingat, nec præsumptuosus in eis Placitum quodlibet vel pernoctandi Licentiam habeat, nec Sub-Advocatum pro se faciat nec omnino aliquam calumniam seu persuasionem Monasterio aut Familiæ faciat. Nos quoque petitioni præfati Comitis & Abbatis Giselberti, qui nunc eidem Cellæ Reginherisbrunn præest, annuentes, firmiter statuimus, quodsi quispiam Posterorum suorum, vel quacumcunque homo personarum unam vineam, unum Mansum, vel saltem unum Mancipium sive tale aliquid à supradicta Cella temerarius injustè abstulerit, Regiâ Auctoritate coactus tria Auri Talenta ad Ærarium nostrum persolvat, primitus reddito Ecclesiæ, quod invaserat; si verò quilibet eorum (quod absit) Curtim vel aliquam villam inde idem violentus quocunque ingenio abalienaverit, vel hoc Testamentum pervertere vel infringere attemptaverit, decem Auri Libras ad Regiam Idem persolvat Cameram, primitus reddito, quod ablatum fuerat. Super hæc omnia Comes sæpe dictus Apostolicum Privilegium acquisivit, ut Libertatis istius & Traditionis Statuta tanto firmiora permaneant. Ut autem prædictæ Traditionis & Libertatis status & omnia prædicta statuta eâ Ratione, quâ DEO & Sanctis ejus destinata sint, ab hac die & omni ævo in CHRISTO Rata & inconvulsa permaneant, hanc chartam Testamentariam, prædicti Comitis, Abbatisque Rogatu inde conscribi, manuque propriâ corroborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

HUNBERTUS Cancellarius, Vice RUDHARDI Archi-Cancellarii Recognovi. Data V. Idus August. Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXVI. Indict. XII. Anno Domini HENRICI III. Imperat. Imperii VI. Regni autem XXIII. Actum MAGONTIÆ in CHRISTO feliciter. Amen.

II.

Præceptum ejusdem Henrici Imperatoris, quo Traditionem quorundam Bonorum Cœnobio Reinartsbornensi factam confirmat.

An. 1089. IN Nomine Summæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS Divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus omnibus Fidelibus præsentis Temporis & futuri Nótum esse volumus, qualiter Vir quidam Liber, RUPERTUS Nomine, Curtim ad XX. Mansos dinumeratam, in villa quæ Topfstet dicitur, Hereditario Jure possidens, pro dote dedit cuidam GISLÆ, quam Uxorem acceperat, eoque defuncto, Viduam illam duxit RUTHARDUS Vir æquè Liber, qui Jerosolimam tendente, prædicta Gisela coadunata manu, & voluntate Viri sui, pro Remedio Animæ suæ, & utriusque Mariti, tradidit Curtim prænominatam, solempni Delegatione sub multorum Audientia Generalis Placiti in Colle Trecheberg, ad Monasterium Reinartsborn dictum, in confinio Loibæ Silvæ situm, in Honore B. MARIÆ, Sanctique Joannis Evangelistæ constructum, quam Curtim cum Capella, quæ illic est, ceterisque omnibus appenditiis, hoc est areis, agris, Domibus, Ædificiis, Mancipiis, pratis pascuis, vineis, pomeriis, aquis, aquarumque Decursibus, Piscationibus, Molendinis, viis & inviis exitibus & redditibus, cum omni Utilitate quæ quocumque modo nominari possit; nos petitione GISILBERTI Venerabilis Abbatis, nec non Ludovici Comitis interventione, Regia Auctoritate prædicto Monasterio Reinartsborn, stabilitam esse, perpetualiter ac liberè sine alicujus infestatione possidendam volumus, hoc Imperiali censura statuentes, ut nullus omninò Hominum audeat quippiam temerè de hac, seu per violentiam auferre, minuere vel retinere, sed soli Abbati ejusque Successoribus & Monachis, quorum victui destinata est, uti, possidere, dare, commutare potestativè in sempiternum liceat, quo tutius ac liberius pro Imperio, ac totius Regni statu DEO & Sanctis ejus supplicare valeant, & ut hæc nostræ Donationis Auctoritas, nunc & in futuro firma & inconvulsa permaneat, hoc præceptum inde conscribi & Sigilli nostri Impressione signari jussimus. Datum IV. Nonas Januarii Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXIX. Indict. XII. Anno Domni HENRICI Regni ejus XXXIII. Actum BAMBERG.

III.

Privilegium Urbani II. Pont. Max. Quo Cœnobium Reinartsbornense sub Protectione Apostolicæ Sedis recipit.

An. 1092. URBANUS Episcopus Servus Servorum DEI Dilecto in CHRISTO Filio GISILBERTO Abbati Venerabilis Monasterii Sanctæ DEI Genitricis & Virginis MARIÆ, Sanctique Joannis Evangelistæ, quod in Loco situm est, quod *Reinartsborn* dicitur, ejusque Successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Justis votis assensum prebere, justisque petitionibus aures accommodare Nos convenit, qui licet indigni justitiæ Custodes atque Precones in Excelsa Apostolorum Principum Petri & Pauli specula positi, Domino disponente videmur existere: Tuis igitur Fili in CHRISTO Venerabilis atque Carissime, justis Petitionibus annuentes, Monasterium in Reinartsborn, cui Auctore DEO Præsides, ad honorem Sanctæ DEI Genitricis & Virginis MARIÆ, Sanctique Johannis Evangelistæ, quorum Nomini dedicatum est, sub tutela Sedis Apostolicæ specialiter confovendum, protegendumque suscipimus: quod nimirum Monasterium LUDEWICUS Comes, infra Silvam, quæ vocatur Loiba, propriis sumptibus ædificans, & propriatum Possessionum collatione ditans, pro Animæ suæ, ac Parentum suorum salute, Beatis Apostolis Petro & Paulo, noscitur obtulisse, & in Romani Pontificis defensionem, Jure perpetuo delegasse; ejus ergo votum assertionis nostræ Favore firmantes, per hujus nostri Privilegii Paginam Apostolica Auctoritate statuimus, ut quicquid idem Religiosus Comes in Mancipiis, in Campis, Silvis, Pratis, aquis, aquarumve decursibus, in molendinis, & mansis, circa Silvam Loibæ prædictam, prefato Cœnobio con-

contulit, quicquid preterea hodie juste possidet, sive in crastinum, concessione Pontificis, Liberalitate Principum, vel Oblatione Fidelium juste atque canonicè poterit adipisci, firma Tibi, tuisque Successoribus, & illibata permaneant: decernimus ergo, ut Nulli omninò hominum liceat idem Cœnobium temerè perturbare, aut ei subditas Possessiones auferre vel ablata retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salvo Episcoporum Jure Canonico: sanè predictum Comitem, vestri Cenobii Advocatum, sicut à vobis est electus, permanere quamdiu vixerit, ejusque Posteros, si idonei fuerint statuentes, de cetero sancimus, ut Nullus unquam vestri Monasterii Advocatus esse præsumat, nisi quem Fratres communi Consensu providerint eligendum: ad Indicium autem perceptæ hujus à Romana Ecclesia Libertatis, secundum jam dicti Comitis Constitutionem, per Annos singulos, duos Monetæ vestræ solidos Lateranensi Palatio persolvetis: si quis autem in crastinum Archi-Episcopus, aut Episcopus, Imperator, aut Rex, Princeps aut Dux, Comes aut Vice-Comes, Judex aut Persona quælibet, potens aut Impotens, hujus nostri Privilegii Paginam sciens contra eam temptaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, cum Honoris sui & Officii periculo subjacere decernimus, & à CHRISTI atque Ecclesiæ corpore Auctoritate Potestatis Apostolicæ segregamus; conservantibus autem, Pax à DEO & Misericordia præsentibus, & futuris Seculis conservetur, Amen. Data ANAGNIÆ per Manus JOANNIS S. R. Ecclesiæ Diaconi Cardinalis X. Kal. April. Indict. XV. Anno Dominicæ Incarnationis MXCII. Pontificatus autem Domini URBANI Papæ II. quinto.

IV.

Henrici IV. Regis Præceptum, quo Prædium quoddam Reinhartsbornensi Cœnobio donat.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Divina annuente Clementiâ HEINRICUS, Romanorum Imperator Augustus, omnium Fidelium tam præsentium, quàm futurorum notitiæ commendamus, qualiter Nos LUDOVICO Comite supplicante, Prædium unum, quod vulgari linguá dicitur Bivang, infra Marcham Villæ Mechtirstedi situm, primitus illic comprehensum ab Ernesto Reginherisbrunnensis Cœnobii Abbate, seu Licentia Comitum, quorum Comitatui subjacet, seu Justitia Civium illic habitantium, seu hæreditario Jure ceterarum inibi possessionum suarum, eidem Loco Reginherisbrunnon Regiâ nostrâ Auctoritate concedentes, stabilitum liberè ad perfruendum fecimus, quod his Lachis concluditur à Loco, qui dicitur Crummilbacheshеibit juxta Hurfilgerichart usque ad Steininrüne, inde per Summitatem Montis illius juxta Occidentalem Partem alterius Montis, qui vocatur Nutich in Fischbach, perque descensum Rivi nominati, usque quo se colligit in Emisam, idémque per decursum ipsius Emisæ usque ad Radices Montis Putars, hinc sursum ad Wichacheshеibit, hinc per vallem Habichisdal usque ad Locum, qui dicitur Phanna, deinde ad Racisrot in Sultzbach, inde super Hurmibuhel juxta Tierboccum in Crummilbach, hinc sursum ad suprà dictum Locum Crummilbacheshеibit cumque his terminis cingitur Villula scilicet Meginboldesfelden cum omnibus suis appendiciis, hoc est, Areis, Pratis, Pascuis, Sylvis, Venationibus, Piscationibus, Viis & Inviis, Cultis & Incultis, Aquis Aquarúmve decursibus, reditibus & exitibus, quæsitis & inquirendis, cum omnibus utilitatibus ad hæc pertinentibus, his Imperialibus Edictis prædictum Cœnobium possidere perpetuo Proprietatis Jure absque ullius infestatione vel direptione volumus, jubemus, sancimus, ob interventum scilicet Beatæ & Gloriosæ semperque Virginis DEI Genitricis MARIÆ, Sanctique Johannis Apostoli & Evangelistæ, cunctorumque Sanctorum, quorum illic honor & memoria percelebratur; & ut hæc nostræ Concessionis Auctoritas magis ab omnibus semper credatur, stabilisque jugiter & inconvulsa perduret, Cyrographum hoc inde in testimonium conscriptum, manúque propriâ corroboratum Sigilli nostri Impressione signari jussimus. Data VI. Kal. Octobr. Anno ab Incarnatione Domini MCIII. Indictione XI. Anno Domini HENRICI Regni XLVII. Actum Moguntiæ feliciter. An. 1103.

V.

Traditio Ruthardi Archi-Episcopi Moguntini.

An. 1105. IN Nomine Summæ & Individuæ Trinitatis. RUTHARDUS DEI Gratia Maguntinus Archi-Episcopus. Quoniam Apostolica exhortatione, Misericordiæ Operibus studere jubemur, ad omnes, maximè autem ad Domesticos Fidei; notum esse volumus omnibus tam præsentis quàm futuri Temporis Fidelibus, qualiter Nos LUDOVICO Comite interveniente, compassi inopiæ indigentium Monachorum, DEO devotè famulantium in Monasterio, quod dicitur Reinartsborn, sub ipso nostro Episcopio, in suæ Proprietatis Gleba, juxta Loibam Silvam ædificato, ob Respectum Divini Amoris & Sanctæ MARIÆ perpetuæ Virginis, Sanctique Joannis Evangelistæ quorum Nomini dedicatum est, nec non pro Gratia & Voluntate Domini nostri PASCHALIS Romanæ Sedis Pontificis, qui Nos super hoc deprecari dignatus est, eo quod ipsius Tutelæ specialiter confovendus Locus ille subjaceat, tradidimus prænominatis Monachis ad Supplementum Victûs sui, omnium Dominicalium suorum cunctorumque sibi adhærentem Decimationem quam DEO & Nobis primitùs recognoverunt, & ex eadem Decimatione de unoquoque Dominicali suo, id quod vulgari Linguà dicitur Gevimutte pro Antiqua Turingorum Justitia reddant eis, quibus hoc Jure debetur; hanc autem Traditionem firmam & inconvulsam cunctis permanendam Temporibus, Rogante ERNESTO Venerabili Abbate, Banno DEI & nostro, predicto Monasterio quiete in sempiternum & potestativè perfruendum firmavimus, eamque Scripto hoc Memoriæ commendantes, Sigilli nostri Impressione signavimus, ut si quis fortè imposterum, quod absit, irritam facere præsumpserit hujus Nostri Privilegii Auctoritate, Divinæ Majestatis Reus & Banni nostri Anathemate perpetuo, nisi resipiscat, damnatus facilè convincatur. Dat. II. Kal. Maii Anno Incarnationis Dominicæ MCV. Indict. XIII. Actum ERFFURT.

VI.

Ejusdem Rutardi Archi-Episcopi Concambium.

An. 1108. IN Nomiue Summæ & Individuæ Trinitatis. RUDHARDUS DEI Gratia Moguntiensis Archi-Episcopus, universorum Fidelium, præsentium & futurorum Notitiæ commendamus, & intimamus, qualiter Nos, pro adipiscendo Consortio Laboris & Orationis Monachorum, die Noctúque DEI Servitio devotè insistentium, in Monasterio, quod dicitur Reginherisbrunno, juxta Loybam Silvam situm, constructum in honore S. DEI Genitricis & Virginis MARIÆ, Sanctíque Johannis Apostoli & Evangelistæ, eorundem Fratrum Spirituali Patri & Abbati ERNESTO Venerabili, pro Pecunia & Curti una, quam in nostram Potestatem idem Abbas contradidit, Curtim aliam in Erphesfurt, super Ripam Gerahæ propè Pontem, qui dicitur Lieptvinisbrucha, eâ Libertate & justitiâ concessimus, quâ unicuique Libero Viro quævis Curtis ibidem perfruenda conceditur: scilicet ut tres solidos pro censu, Villico villæ illius, ad usum Ministerii nostri, quotannis ad Missam S. Martini persolvat, & de cætero quicquid sui commodi ex ea ædificando, præstando, mercando, inhabitando consequi valuerit, liberam potestatem in sempiternum habeat. Et quia indignum & incongruum omninò videretur, ut, quod Secularibus Viris, cujuscunque Nationis aut Conditionis, si, ut in illa villa de hac re conceditur, hoc Spiritualibus & Ecclesiasticis Viris denegaretur, hujus nostræ Devotionis concessionem Monasterio supra dicto, Monachis, præsenti Abbati, sibique succedendis, in perpetuum firmam & inconvulsam cunctis permanere temporibus decernimus: ut & veriùs ab omnibus semper credatur, Scripto hoc Memoriæ eam commendantes, Sigilli nostri Impressione signari jussimus, si quis autem in futurum, quod absit, hæc nostra Statuta irrita facere præsumpserit, hujus nostri Privilegii & Episcopalis Officii Auctoritate Anathematis & Banni Vinculis sit innodatus, & æternâ, nisi resipiscat,

sit

sit Maledictione Damnatus. Data Anno Dominicæ Incarnationis MCVIII. Indictione II. Actum Helinginstat.

VII.

Reinfridi Donatio Villæ Ditenborn.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Divina favente Clementia, si quis DEO suisque servientibus aliquod de Rebus suis adjutorium impendere studuerit Domino devotus id suæ Felicitati suæque Animæ saluti prodesse minimè dubitamus; Quapropter Notum sit omnibus CHRISTI Fidelibus qualiter Ego Reinfridus pro Amore DEI & ob Respectum Divinæ Retributionis, & pro Anima Uxoris meæ Wigelæ, omniumque Dilectorum meorum Vivorum ac Defunctorum præcipuè eorum, quorum hic Nomina scripta videntur. Walpurgæ. Gotescalci. Ludegeri. Wendelæ. Berchtæ. Efichi. Adelgeri. Cristani. Sinehildis. Tradidi ad Monasterium Sanctæ DEI Genitricis Mariæ, Sanctique Joannis Evangelistæ, quod situm est in Loco Reinhartsborn, de propria mea Hereditate villam Dittenborn cum Capella ibidem constructa, suisque appendiciis, cumque omnibus Rebus ad eundem Locum pertinentibus, Mancipiis siquidem utriusque sexus Hadewardo, Humberto cum Filiabus ac Filiis, Campis, Silvis, Pratis, Aquis, Exitibus atque Aditibus; Filia mea Walpurga, ejusque Marito cum Filiis suis Hermanno, Henrico, assensum devotè præbentibus: dedi etiam ad præfatum Locum scilicet Dittenborn, Prædium quod me Hereditario contingit in villa Bergeriden & in alia Struffart cum Mancipiis & aliarum rerum utilitatibus ad id pertinentibus ea Conditione, quatenus à prædicti Loci id est Reinartsbornensis Abbate ejusque Fratribus secundum quod possibilitas permittit Monasticæ Vitæ Vestigia serventur: placuit autem adhuc me vivente ipsius Loci Advocatum nullum præter me existere, ac post in Abbatis Fratrumque, quem voluerint, sit Potestate Eligere: deprecor autem & contestor per DEUM ejusque piissimam Genitricem, cujus Honori & Nomini isdem Locus adtitulatur, omnesque Sanctos ejus, ut nec Parentum nostrorum, nec cujuslibet Terrenæ Potestatis Jugo subjiciatur, sed præfatæ Reinartsbornensi Ecclesiæ ab omnibus liberè rescribatur; ita tamen ut res quæ à Nobis Domino illic servientibus collatæ fuerint in præsenti, sive inposterum, non Abbas, non Advocatus, non Persona qualibet potens distrahat, non alicui beneficiet, sed ut dictum est, Fratribus DEO servientibus illæsa permaneat; hujus Traditionis sunt Testes Dominus Hermannus de Gota; Anshel & Frater ejus Huc de Sunthusen. Richard de Eschenberg. Magdalos & Helmbold de Ailsleben. Bruman de Wartza, Wimar de Bernstet. Wizel & Ortuwin Filius ejus. Adelbero de Lina, Sigibreht de Thanfort. An. 1109.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCIX. Indictione II. VI. Idus Septembr. Pontificatus Domini Paschalis Papæ II. Anno Decimo, Regni verò Quinti Heinrici Regis, Quinto. Sub Archi-Præsule Moguntino Adelberto, Reinartsbornensi autem Domino Ernesto Abbate.

VIII.

Charta Ludovici Comitis, qua Reinartsbornensi Cœnobio Ecclesiam Sangershusen confert.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Omnibus in Unitate Fidei viventibus, CHRISTIque Misericordiam præstolantibus Notum sit, quod Comes Ludowicus cum Nepote suo Conrado, Comitis scilicet Bernceri Filio, unà cum uxore ejusdem Domini Ludowici Adilheida, ac Filiis eorundem, Hermanno, Ludowico, Heinrico, Conrado, Dominâque Berchtrada, Comitis Conradi Matre, ob Amorem Domini & Salvatoris Nostri JESU CHRISTI tradiderunt Monasterio Sanctissimæ DEI Genitricis Mariæ Sanctique Johannis Evangelistæ in Reinherisbronno, Ecclesiam cum omnibus suis appendiciis in villa, quæ dicitur Sangershusen constructam, eâ videlicet Conditione, quatinus pro se suisque Debitoribus vivis An. 1110.

 & de-

& defunctis omnibus, nec non & pro Parentibus suis in eodem Loco Sangerhusen sepultis,. Orationes sedulò Domino dirigantur, útque secundum quod possibilitas & ordinatio dictaverit Abbatis, jugè DEI Servitium à Monachis secundùm Regulam S. Benedicti viventibus ibidem frequentetur, ita tamen, ut Res, quæ nunc in præsenti collatæ videntur, sive inposterum oblatione Fidelium conferuntur, non Abbas, non Advocatus, non Persona quælibet potens aut impotens distrahat, non alicui beneficiet, sed Fratribus inibi DEO servientibus illæsa permaneant. Acta sunt hæc in Erpsfurt in Capella S. Ægidii Confessoris Anno Dominicæ Incarnationis MCX. Indict. III. VIII. Kal. Augusti, Feriâ tertiâ præsentibus Abbatibus Venerabilibus, Domino Ernesto Reinherisbronnensi, Domino Burkardo de Monte S. Petri, hisque Astantibus Testibus, Erwino scilicet Comite de Thonna, Domino Henselmo de Balnhusin, Domino Gerhardo Fratre Domini Theodorici, Domino Hermanno de Wondesberg, Domino Gerhardo de Erpsfurt. Ex Clientibus autem Domini Ludewici Adalberto de Heligen, Gerhardo de Molverstet aliisque pluribus.

IX.

Præceptum Henrici IV. Imp. quo Commutationem quorundam Bonorum Ratam habet.

An. 1111. IN Nomine Summæ & Individuæ Trinitatis. Henricus Divina favente Clementiâ Romanorum Imperator Augustus, Notum esse volumus, tam præsentis quàm futuri Temporis Fidelibus, qualiter Nos petitione Ernesti Venerabilis Abbatis Reinartsbornensis Cenobii, & Ludovico Comite interveniente, Predium, quod dicitur Steinfurst suo Monasterio in Proprietatem, Concambio quodam acquisivimus, erga Hartwicum Hersfeldensem Abbatem, per manum Gisonis Comitis Advocati sui, duobus videlicet Mansis & dimidio in villa Merxleiben dicta, nec non erga Kunegundim cum VI. mansis in Ingreslebin, Zutlebin, Hantenslebin, Magoldeslebin, nec non erga Palatinum Comitem Sigifridum, ejusque Conjugem Gertrudem, qui partem ad se pertinentem felici commutatione, scilicet pro Remedio Animarum suarum, partim pro Servitio ab Abbate, & Fratribus sibi impenso tradiderunt, Regia Auctoritate predicto Cenobio Reinartsbornensi stabilitum esse volumus, quod subscriptis Lachis circumseptum videtur, à Loco ubi Rivulus Battembach influit Louffa, & sic deorsum, per decursum illius ad Fontem quendam, qui est juxta cumulos, inde per verticem cumulorum inter Plagam Aquilonalem & Orientalem ad Sotelsaker, & sic ad Vadum, quod est juxta Monechenaw in Combach, inde ad Fontem qui est ad Espefelt, inde contra meridiem in Manchfaltbach & sic sursum ad Locum, qui dicitur Feurstat, sicque deorsum ad supradictum Rivulum Battenbach, cum omnibus appenpiciis ad prænominatum Predium pertinentibus, hoc est Pratis, Pascuis, Silvis, Venationibus, Piscationibus, viis & inviis, cultis & incultis exitibus & redditibus, quesitis & inquirendis cum omni utilitate, quæ possit aliquo modo nominari vel dici, hoc Imperiali Censura statuentes, ut nulli omninò hominum liceat quicquam molestiæ inferre, quavis occasione Abbati & Monachis ejus Jure possidentibus illud, & ut hæc nostræ Pietatis Confirmatio ab omnibus semper credatur, & stabilis potentialiter permaneat, hanc inde Cartam conscriptam, & Manu nostra corroborantes, Sigilli nostri Impressione insigniri jussimus.

Adelbertus Cancellarius Vice Maguntinæ Ecclesiæ, quæ nunc Archi-Cancellariatum tenet, Recognovit.

Data VI. Kal. Septemb. Anno Dominicæ Incarnationis MCXI. Indictione V. Anno Domini Heinrici Quarti Imperatoris. Imperii ejus Primo, Regni autem VII. Actum Vormatiæ feliciter.

X. Di-

X.

Diploma ejusdem Henrici Regis, quo Libertates & Privilegia Reinartsbornensi Cœnobio concessa confirmat.

IN Nomine Summæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS Divina favente Clementiâ Romanorum Imperator Augustus, quoniam Justorum desideriorum piis petitionibus, maximè his, quæ ad DEI cultum pertinent, assensum Nos præbere convenit, omnibus tam præsentis quàm futuri Temporis Fidelibus notum esse volumus, quod in Regno nostro, Regale quoddam Monasterium situm est, in Confinio Loibæ Silvæ, Reinartsborn nuncupatum in Honore Sanctæ DEI Genitricis, & Virginis MARIÆ, Sanctique Johannis Evangelistæ constructum honorificè, à Religioso LUDOWICO Comite, quo Petente, ejusdemque Monasterii Venerabili Abbate ERNESTO supplicante, his Imperialibus Edictis statuendo sancimus, ut omni Libertate & Justitia, qua suptadicta Cella primitùs instituta & initiata est, ad serviendum DEO jugiter stabilis permaneat, sic ut per se subsistens alicujus Terrenæ Personæ, vel Potestatis Dominio non subjaceat, Libera ab omnibus Sanctæ Romanæ ascribatur Ecclesiæ, Sanctorum Petri & Pauli habeat gubernationem, nec non Romani Pontificis Defensionem, Romæ per quinquennium Lateranensi Palatio, ad Luminaria concinnanda X. solidos persolvat; Fratres illius quo liberius Domino deservire valeant. Quandocumque Patre suo Spirituali orbati fuerint, liberam habeant Potestatem inter se Eligendi & constituendi Abbatem, predictus Comes Ludewicus, sicut ab eisdem Fratribus est electus, Advocatus permaneat, & post ipsum alius ex Posteris ejus, quem Fratres communi Consilio providerint eligendum, qui si illorum & Monasterii commoda diligit, diligatur; si autem Avarus & Dissipator, liceat illum ex Auctoritate Sanctorum Petri & Pauli, & nostra reprobare, nullo modo nisi Abbate volente & advocante Bona & Loca Monasterii, suis Frequentiis temerarius & sine causa adeat vel attingat, nec præsumptuosus in eis placitum quodlibet vel pernoctandi Licentiam habeat, nec Subadvocatum pro se faciat, nec omnino aliquam calumpniam pervasionis Monasterio aut Familiæ faciat; quod si quispiam Posterorum suorum, vel quarumcunque Homo personarum, unam vineam, unum mansum, vel saltim unum mancipium, sive tale aliquid à supradicta Cella temerarius injustè abstulerit, Nostra Nostrorumque Successorum Regia Auctoritate coactus, tria Auri Talenta ad Ærarium nostrum persolvat, primitus reddito Ecclesiæ quod invaserat, si verò quilibet, quod absit, Curtim vel aliquam Villam inde quocumque ingenio, vel aliqua Sæcularium Legum calliditate abalienaverit, vel hoc Testamentum Excellentiæ nostræ pervertere aut infringere attemptaverit, X. Auri Libras ad Regiam item persolvat Cameram, primitus reddito quod ablatum fuerat, & ut predictæ Traditionis & Libertatis status, & omnia prædicta Statuta eâ Ratione, qua DEO & Sanctis ejus destinata sunt, ab hac die & omni deinceps tempore rata & inconvulsa permaneant, hanc Cartam predicti Comitis Abbatisque rogatu inde conscribi, manuque propria corroborantes Sigilli nostri Impressione jussimus insigniri. An. 1113.

BRUN Cancellarius Vice ADELBERTI Cancellarii recognovi. Dat. VIII. Kalend. Junii. Anno ab Incarnatione Domini MCXIII. Indict. VI. Anno Domini HENRICI IV. Imp. Imperii ejus Tertio, Regni autem Nono. Actum MERSBURG feliciter.

XI.

Præceptum Ejusdem, quo Cœnobium in Possessione quorundam Bonorum confirmat.

IN Nomine Summæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS Divina favente Clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Notum esse volumus tam præsentis quàm futuri Temporis Fidelibus, qualiter Nos petitione ERNESTI Venerabilis Abbatis Reinhartsbornensis Cenobii, & Fratrum inibi Die ac Nocte DEO devotè famulan- An. 1114.

tium; Predium omne, circa vel infra Loibam Silvam jacens, cum villulis prope positis, aut ponendis, scilicet Montem Schawenburg. Drusinrot. Ermbrechtesrot. Friderichesrot. Unssenrot. Erphesrot. Predium, quod est in Liningen, Bugelisrot. Thurmbach cum omnibus Appendiciis, ad prenominata Loca pertinentibus, omnimodis dictis vel dicendis, Domibus, Ædificiis, cum utriusque Sexûs Mancipiis, viis & inviis, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, campis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, arbustis, montibus & vallibus, quesitis & inquirendis, quod eidem Abbati, XL. Libris Argenti ad Ærarium nostrum pro Redemptione inhabitandæ Patriæ, sui suorumque, qui Imperio nostro secum Rebelles extiterant, persolutis, LUDEVICUS Junior vendidit, Patre suo LUDEVICO Comite, tunc Temporis per Nos redacto in Captivitatem, precipiente sibi & collaudante & Cohæredibus suis cunctisque proximis ac Liberis suis in idipsum consentientibus per omnia, ut V. Nonas Maii, Anno ab Incarnatione Domini MCXIV. in Villa, quæ dicitur Ilmine, in manus trium Virorum Liberorum scilicet, Rudic, Sigiffrid, Lulph. Ad supradictum Monasterium Reinartsborn sollemni more delegandum coram Testibus adnotatis conradidit, Regia Auctoritate Monasterio illi stabilem esse perpetualiter ac liberè sine contradictione alicujus possidendum volumus, hoc Imperiali Censura statuentes, ut nulli omninò hominum liceat imposterum aliquid Hereditatis, vel Proprietatis, sibimet inde usurpare, seu vim inferre, minuere, auferre, aut ablatum retinere, sed soli Abbati & Monachis ejus, uti, possidere, dare commutare potestativè in sempiternum valeat, quo tutiùs ac liberiùs pro Imperio Nostro & totius Regni Statu, DEO & Sanctis ejus, Orationes jugiter effundant: & ut hæc nostræ Donationis Auctoritas, nunc & in futuro firma & inconvulsa permaneat, hoc Præceptum inde conscriptum, Sigilli nostri Impressione signari jussimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus.

HENRICUS Imperator Augustus. Rugger de Runistede. Titericus de Teitlebin. Martinus de Molburg. Volcmar de Beringe. Albertus de Zimmeten. Udalricus de Ailslebin. Ermericus de Molssdorf. Henricus de Lissen. Henricus de Utterit. Huc de Frisense. Bebo de Sebah. Egkhart de Guttern.

BRUN Cancellarius Vice ALBERTI Archi-Cancellarii Recognovi.

Dat. 18. Kalend. Octob. Anno ab Incarnatione Domini MCXIV. Indict. VII. Actum ERFURT.

XII.

Traditio Conradi Marchionis.

An. 1119. IN Nomine Summæ & Individuæ Trinitatis. Ego CONRADUS miserente Divina Clementia Marchio; memor illius dicti antiquitus *Divitiæ Viri, Redemptio Animæ ejus.* Benignissima quoque Contectalis Nostra LUTGARDIS, Universorum præsentium & futurorum CHRISTI Fidelium notitiæ intimamus, qualiter tam pro Vitæ, quàm pro Animarum nostrarum, nec non & Parentum nostrorum salute Tradidimus Monasterio Sanctæ MARIÆ perpetuæ Virginis, quod est in Loco, qui Reinartsborn dicitur, de propria Hereditate mea, Predium unum, quod Torgaw nominatur super Ripam Fluminis Albæ, cum Ecclesia cumque omnibus suis pertinentiis, hoc est Terris, arbustis, cultis & incultis agris, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, piscationibus, viis & inviis, exitibus & redditibus, insuper & Villam Bodesse cum suis pertinentiis, locumque quendam in ipso Flumine Alba situm, qui vulgò Wert dicitur, & Decimas de Dominicalibus nostris in Villa Scarize, & in Tresgaw, aliasque Decimas quorundam ad præfatum Locum pertinentes, cum modiis qui singuli de singulis mansis redduntur, quibus Felicis Memoriæ Pater meus TIMO Comes, prefatam Ecclesiam primo Dotavit, decimamque Piscàtionis de Stagno à Piscatoribus in Kosne, ad hoc etiam Dominicale ad locum mercatus in ipso loco Torgaw, eo siquidem tenore, quatenus idem Predium Proprietatis Jure perpetuo jam dicto ascribatur Monasterio, & Fratres ibidem constituantur pro me, proque meis Parentibus ac Sobole, per omne tempus, Dominico intenti Servitio. Sane Advocatus ejusdem loci, dum vixero ipse permanebo, meique Posteri permaneant si fuerint idonei, de cetero autem Nullus

lus ibidem constituatur Advocatus, nisi quem cum communi Fratrum Consilio eligendum providerit Abbas Reinartsbornensis Cenobii: & ut hæc nostræ Traditionis Auctoritas, nunc & in futurum firma & inconvulsa permaneat, hanc Cartam Testamentariam scribi fecimus, eamque Sigilli nostri Impressione signari. Actum Anno ab Incarnatione Domini MCXIX. Indictione XIII.

XIII.

Egenonis & Fennæ Conjugum Donatio quorundam Bonorum in Rudersdorff.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. ERNEST DEI Gratia Reinartsbornensis Abbas, Universorum CHRISTI Fidelium Notitiæ tradimus, qualiter Fideles CHRISTI EGENO & FENNA Liberis Manibus tradiderunt Monasterio, quod est in Reinartsborn III. Mansos & II. Curtes in villa quæ Rudersdorff appellatur, ob Amorem Domini Nostri JESU CHRISTI, ejusque piæ Genitricis MARIÆ, & S. Joannis Evangelistæ, quorum Nominibus & Honori idem Monasterium adtitulatur, nec non & pro Animarum suarum salute, omniumque sibi Propinquitate junctorum, ea scilicet Conditione quod idem Predium viventibus illis maneat, & alterutro ipsorum obeunte, superstes quamdiu vixerit Liberè eodem potiatur, sed & illo obeunte Jure Proprietatis, Usui Monasterii & Fratrum ibidem DEO servientium in perpetuum subjiciatur. Actum Anno ab Incarnatione Domini MCXX. in Domino feliciter Amen. Data Reinartsborn. XVII. Kal. April. An. 1120.

XIV.

Christani de Goltbach & Berchtradæ Conjugis suæ Donatio Villæ Elnde confirmata per Adalbertum Archi-Episcopum Moguntinum.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum sit CHRISTI Fidelibus Universis præsentibus & futuris, qualiter CRISTANUS de GOLTBACH Vir Nobilis cum Uxore sua BERCHTRADA tradidit Monasterio Sanctæ MARIÆ perpetuæ Virginis, quod est in Loco, qui Reinartsborn dicitur, de propria Hereditate sua Villam, Elnde dictam cum Capella ibidem constructa & cum omnibus ad hoc ipsum Prædium pertinentibus, hoc est, Marchis, Sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, cultis & incultis, viis & inviis, exitibus & redditibus eo siquidem tenore, ut secundum dispositionem Abbatis, Fratrum Reinartsbornensium serviat utilitati; quam Traditionem, Ego ADILBERTUS Sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ Archi-Episcopus & Apostolicæ Sedis Legatus petente ERNESTO ejusdem Cœnobii Venerando Abbate tam Pontificali, quàm Sedis Apostolicæ Legationis Auctoritate firmans, Banno DEI & meo præcipio, ut nulli deinceps liceat hoc ipsum Prædium à præfato Reinartsbornensi Cœnobio abstrahere, minuere, vel arte cujuscunque Calliditatis abalienare; quod si quispiam, quod absit, temerè præsumpserit æternæ mortis, nisi resipiscat, Reus sit. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCXXI. Indictione XIV. An. 1121.

XV.

Adelberti Archi-Episcopi Moguntini Notitia pro Donatione Henrici Militis de Bunrode.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. ADELBERTUS DEI Gratia Moguntinensis Archi-Episcopus & Apostolicæ Sedis Legatus, notum sit omnibus tam præsentis quàm futuri temporis Fidelibus, qualiter HENRICUS de BÜNRODE de Parentibus natus Liberis Judiciariæ Dignitatis cum non haberet Filios Hereditatis suæ Successores, CHRI- An. 1122.

STUM Filium DEI, ejusque piam Genitricem MARIAM elegit Heredes, tradiditque Ecclesiæ ejusdem DEI Genitricis MARIÆ, quæ est in Loco, qui *Reinarstborn* dicitur, in Jus proprium, Natalium suorum Principalem Locum Bunrode dictum, cum Capella ibidem constructa, eumque omni Hereditate sua, hoc est Villis, Campis, Silvis, Edificiis, Mancipiis: ejus ergo Votum, assertionis nostræ favore firmantes per hujus nostri Privilegii Paginam tam Pontificali, quàm Sedis Apostolicæ Auctoritate, Bannò DEI & nostro statuimus, ut quicquid idem Henricus præfato Reinartsbornensi Cœnobio contulit, nunc & per omne Seculi tempus Ratum & inconvulsum sit. Actum Anno ab Incarnatione Domini MCXXII.

XVI.

Ejusdem Adelberti Archi-Episcopi Charta super Juribus Advocatiæ Monasterii Reinhartsbornensis.

An. 1125. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. ADELBERTUS DEI Gratiâ Mogonciensis Archi-Episcopus & Apostolicæ Sedis Legatus, omnium tam præsentium, quàm futurorum Fidelium Notitiæ tradimus, qualiter ERNEST, Abbas Venerabilis Monasterii S. MARIÆ perpetuæ Virginis, Sanctique Johannis Evangelistæ, quod situm est in loco, qui Reginherisbrunnun dicitur, atque Serenissimus Comes LUDEW.CUS ejusdem Monasterii Advocatus, Pactum ineuntes constituerunt, ut idem Comes, & Quicunque post eum Advocatus, secundum Privilegia Romanorum Pontificum, quæ apud idem Cœnobium servantur, electus fuerit & constitutus, pro cunctis, quæ Juris sui videntur, duo tantùm per singulos annos Talenta, unum in Natali S. Walpurgæ, alterum ad Festum S. Michaëlis à Fratribus accipiat, & de cætero nihil ampliùs quàm æternæ Retributionis Præmium expetat: non Sub-Advocatum absque consensu Abbatis & Fratrum pro se constituat, nullum Placitum super alicujus rei Negotio in aliquo ipsorum Ditionis Loco, nisi forte Abbate petente & Fratribus agat: de Furto autem & Proterviâ, cùm rei Necessitas postulaverit, quando & ubi voluerit Abbas eodem Advocato Præsidente ritè discussio fiat, & quicquid exinde Æquitatis, dictante Judicio provenire poruerit, tertia pars ipsius Advocati, reliquum Abbatis & Fratrum erit: Bona Monasterii suis temerariis Frequentiis non adeat; nullum ex Familia nec eos, qui Bona Monasterii incolunt, violenter opprimat, vel Bona eorum injustè diripiat: ut ergo nihil horum ex hoc, & in omne præsentis Sæculi tempus irritum fiat, Nos per Misericordiam DEI, tam Episcopali quàm Sedis Apostolicæ Legationis Auctoritate fulti, facta dictaque Banno nostro petentibus illis innodantes, quæ constituerunt, constituimus, Sancimus, & confirmamus, atque per hujus Privilegii nostri Paginam, quam manu propriâ roborantes Sigilli nostri Impressione signavimus, Rata & inconvulsa esse decernimus. Actum Erpesfurt Anno ab Incarnatione Dominica MCXXV. Indict. III.

XVII.

Burkardus Hersfeldensis Electus confirmat Concambium quoddam à Reinartsbornensibus initum.

An. 1168. IN Nomine Summæ & Individuæ Trinitatis. Ego BURKARDUS DEI Gratia Hersfeldensis Electus; quoniam justis Votis assensum prebere, justisque petitionibus Aures accommodare debemus, omnibus tam præsentibus quàm futuris notum esse volumus, qualiter Fratres nostri, Canonici in Ordorff, Predium quoddam quod Linungen dicitur adjacens, & ad sui victus prebendam pertinens, culta scilicet & inculta HERMANNO Venerando Abbati Reinartsbornensi ejusque Fratrum Congregationi, nostra Concessione tradiderunt, ipsique à predicto Abbate & Fratribus, tres Mansos in Boldestat, tresque in Ulleben cum omnibus suis appendiciis, duo Talenta unumquè solidum quottannis persolventes vice mutua receperunt, hujus Concambii stabilitatem nostræ assertionis favore, nostrique Privilegii ac Sigilli attestatione firmamus, & ne alicu-

alicujus Personæ ausu temerario inposterum mutetur, vel minuatur, Ratum perpetuo & inconvulsum manere decernimus. Actum Erfurt Anno Incarnationis Domini MCLXVIII. Indict. I. Hujus rei Testes sunt GERHARDUS Comes Frater Domini BURKARDI Electi Hersfeldensis. Monachi ejusdem Abbatis, Theodericus Camerarius. Gosoldus. Adolfus. Clerici verò, VOLMARUS Ordorfiensis Decanus. Adelbertus Magister. Remboto Canonicus. Ministeriales verò Vinoldus de Vechmar. Adelhetus de Arnstet, Volpertus & Frater ejus Henricus de Lengesfelt cum aliis ferè Quinquaginta, vel amplius, quorum Nomina ponere causa prolixitatis noluimus.

XVIII.

Charta Ludovici III. Landgr. Qua acquisitionem cujusdam Prædii factam per Hermannum Abbatem, approbat.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego LUDOVICUS Tertius, patientiæ DEI Gratia, & permissione, dictus Princeps & Lantgravius Turingiæ, Fidelibus CHRISTI, tam præsentibus quàm futuris non ignotum esse cupio ad Testimonium Veritatis, qualiter quidam Nobilis, & Liber Genere LUDIGERUS nomine hereditarium sibi Prædium, quod Proprietatis Jure possederat in villa, quæ vocatur Tuteleiben, cum omnibus appendiciis ejus, Pretio Centum Marcarum accepto à Venerabili Abbate Reinhartbornensis Ecclesiæ HERMANNO Nomine, eidem Ecclesiæ & Fratribus ibidem DEO famulantibus ipse videlicet cum Conjuge sua, & Liberis omnibus, manu sua contradidit legitimè & sempiternè imposterum possidendum, cujus rei Actio & Taxatio non solùm coram mea ipsius Præsentia, mihique astipulanti, non tam Liberorum quàm Ministerialium Clarissimorum Baronum, verum etiam inter Scephones promulgata & confirmata est, quam & Nos, nostræ Auctoritatis Pagina Sigillique impressione Roboramus, & irrefragabiliter in perpetuum stabiliendum Decernimus & Precipimus: si quæ verò perversæ mentis & voluntatis Persona de Cetero huic pretaxatæ & legitimæ Actionis nostræ, Testificationi vel Auctoritati contraire annisus fuerit, & ad infringendum vel diminuendum, vel cassandum, se manifestum fecerit, Justo DEI Omnipotentis Judicio corripiatur, & ad perficiendum, quod malè attemptavit, succumbat: Quod si, quod absit, in sua stultitia & perversitate perdurans Fratres prædictos inquietare, vel molestare non desierit, sciat procul dubio se traditum Satanæ, in interitum Carnis, donec resipiscat, quod si minimè, in sui interitum quoque Spiritus & Animæ, sine fine recipiat. Actum SIBOLEBIN. Anno Incarnationis MCLXXIV. Indict. VII. coram mea ipsius Præsentia, & Testibus subscriptis Abbate videlicet HERMANNO. Hartungo Priore. Chunipertó Capellano & Hugone de Salza ejusque Fratribus Gunthero. Hermanno & Berthao de Vanghem & Adelberto de Witterde Aliisque quàm plurimis. An. 1174.

XIX.

Lucius III. Pont. Max. Hermanno Abbati ejusque Successoribus Usum Mitræ concedit.

LUCIUS Episcopus, Servus Servorum DEI, Dilecto Filio HERMANNO Abbati in Reinartsborn, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cùm sit Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum, Domino disponente, Magistra, Jura ipsarum ea moderatione disponit, ut quasdam aliis præminere constituat, & singulares, speciali Privilegio indulgeat Dignitates, ut sicut in Compage Humani Corporis, quædam membra, præ aliis honorantur, sic in ipsa Ecclesiastici Ordinis Unitate, aliæ Ecclesiæ ante, alias indultis sibi Privilegiis decorentur; eapropter, Dilectæ in Domino, Nobilis Viri Tertii LUDEWICI, Landgravii Turingiæ Precibus & Supplicationibus inducti, Tibi & Successoribus tuis in perpetuum presenti Pagina duximus indulgendum, ut ad honorem DEI & Domus Vestræ imposterum ampliandum uti Mitra valeatis: ad cumulum autem Gratiæ & Libertatis impensæ, Mitram quam de Capite nostro assumpsimus, Circa An. 1183.

 prefa-

præfato Ludewico Landgravio tradidimus, per ipsum Tibi in argumentum nostri Beneficii præsentandum; proinde volumus, ut in memoriam tanti Honoris, Favore ipsius indulti, pro salute ejus, & Parentum suorum, in ipsa Ecclesia speciales Domino deinceps Orationes offerantur: ut ergo hæc nostra Concessio futuris temporibus indeficiens Robur obtineat, eam Auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis Scripti Patrocinio communimus, statuentes, ut nulli omninò Hominum liceat hanc Paginam nostræ Concessionis, & Confirmationis infringere, vel ausu temerario contraire: si quis autem &c. Dat. Veronæ Nonis Decemb.

XX.

Charta Ludovici Lantgravii, Qua cum Cœnobio Reinartsbornensi, permutationem quorundam Bonorum init.

An. 1189. IN Nomine Summæ & Individuæ Trinitatis. LUDEWICUS DEI Gratia, Tertius hujus Nominis Turingiæ Lantgravius, præsentibus & futuris Fidelibus, veram in vero salutari salutem; Sanctissimæ Fidelium Universitati significamus, quod Familiaris noster, HERMANNUS DEI Gratia Abbas in Reinartsborn, Nostram sollicitavit Diligentiam de meliorandis & amplificandis Ecclesiæ prænotatæ Terminis, ut quemadmodum Nostris ac Prædecessorum nostrorum foret incrementata ac Defensata Patrociniis, ita quoque Beneficiorum nostrorum attolli mereretur Impendiis; huic igitur salutari petitioni Reverenter accedentes, quædam Beneficia nostra, à Sancta Hersfeldensi Ecclesia ex antiquo habita, approbante & consentiente Nobis Domino SIFFRIDO, Venerabili ejusdem Ecclesiæ Abbate, à Jure Beneficiali eximimus, & in Proprietatem præfati Monasterii solemni Donatione redegimus; hac vicissitudinis & Concambii alternatione præfixa, ut Prædia, quæ eadem Reinartsbornensis Ecclesia priùs in Possessione habuerat, Ecclesiæ Hersfeldensi, & Nostræ ditioni pro Recompensatione prioris Beneficii delegaret; hos ergo Beneficiorum nostrorum Terminos, Ecclesiæ illi conferentes, hoc Titulo conclusimus: à Monte Civersberg, & Prato adjacente, per Locum qui vulgò dicitur Santwerff, & à Santwerff per dorsum montis Thennenberg, per Grissenbuhel usque in Campum Ibenhain, de Ibenhain in Waltwinkel & à Waltwinkel usque in Fluviolum Louffa, cum terminis Predii Snepffental: hæc autem omnia Ecclesiæ illi contulimus, cum Universitate utilitatum, ac proventuum, id est cum viis & inviis, fluviis & fluviorum anfractibus, cum Pratis & Pascuis, cum Silvis & Novalibus, quatenus ea Fratres Sanctæ Ecclesiæ Reinartsbornensis hereditario Jure possidentes, nullius unquam Heredis aut Successoris nostri indebita retractatione mulctentur, in hujus autem recompensatione Concambii, à prænotatis Fratribus ea suscepimus, quæ subscripta sunt, id est, Meinboldesfelt cum suis adjacentiis, & ea quæ in Borgthonna & in Riffenheim Legitima possessione videbantur habuisse.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXIX. Indictione IIII. Regnante Domno FRIDERICO Glorioso Romano Imperatore, ac Filio ejus HENRICO Romano Rege, coram his Testibus. CONRADO Fuldensis Ecclesiæ Abbate, SIFFRIDO Hersfeldensi Abbate. HERMANNO Reinartsbornensi Abbate. HERMANNO Palatino Saxoniæ. BOPPONE Comite de Henneberg. Adilberto de Hildenberg & Ludovico, Fratribusque ejus de Frankenstein. Eykhardo de Guttern. Hugone de Herbslebin. Mechfrido de Gota. Gunthero de Slatheim, aliisque quamplutibus.

Hæc autem mutuatorum Prediorum alternatio facta est, super Ripam fluminis Werra secus Pontem Fuldensis Oppidi, quod FACH vocatum est, & ut hæc Traditio rata & inconvulsa permaneat, Sigilli nostri Impressione eam roboravimus, illud sine Simulatione statuentes, & ex intimis Precordiis exorantes, ut quisquis eà temèrario ausu violare peremptaverit, DEI Omnipotentis iram, & hic & in futuro sibi adversari sentiat, & Beatæ DEI Genitricis, Sanctique Joannis Apostoli Patrocinia sibi deesse evidenter intelligat.

XXI.

XXI.

Charta Hermanni Landgravii, qua à Proposito destruendi villam Friderichesrode, imposterum abstinere promittit.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Hermannus DEI Gratia Thuringiæ An. 1219. Landgravius & Saxoniæ Comes Palatinus, Sacratissimæ Fidelium Universitati veram in Vero Salutari Salutem. Quia per Litterarum apices futuris Casibus, ex inolita consuetudine prudenter occurritur, eadem inducti sollicitudine presentibus & futuris CHRISTI Fidelibus insinuamus, quod veniens ad Nos Dilectus noster Wickardus Reinartsbornensis Monasterii Abbas, cum quibusdam ejusdem Cœnobii Fratribus, qui sanioris videbantur Consilii, pro quadam in proximo adjacente Villula, quæ Friderichsrode nuncupatur, ad cujus destructionem occasione mercatus ibidem sæpiùs habiti, omnimodis intendebamus, nos diligenter convenit, & ne primitivam illius Ecclesiæ dotem, ejectis ipsius Habitatoribus, disturbaremus, omni, qua potuit Supplicatione commonuit; sed quia ex jam dictæ utilitatis quæstu, eandem villam, Civitatibus nostris, probata Experientia duximus esse dampnosam, Homines, qui ex hereditario Jure ejusdem situm Loci, ex multo jam tempore possederant, & prenominatæ Ecclesiæ debito Proprietatis erant obnoxii, paterno se privari Lare timuerunt, datisque XL. Marcis, à Proposito hujusce Intentionis, mediante predicto Abbate & Fratribus, nostræ Severitatis animum revocare studuerunt, perpetuæ mansionis quietem in eisdem Bonis, similis insultu Exactionis postposito, sibi indulgeri postulantes; proinde Miseriæ ipsorum compatientes & Angustiæ, præfatæque Commoditatibus providentes Ecclesiæ, ad petitionem propositam, nostræ Dominationis aures inclinamus, & in Area ejusdem dotis absque exactionis molestia, quæ interitum & destructionem ipsis minetur, firma data Pace, perpetualiter eos manere concessimus, & ut hæc nostræ Constitutionis Auctoritas, inconvulsæ stabilitatis robur accipiat, hanc Confirmationis Cartam inde conscribi fecimus quam etiam manu propria roborantes Sigilli nostri Impressione jussimus insigniri. Actum Anno ab Incarnatione Domini MCCIX. Indict. XII. cooperantibus & laborantibus ad hanc Formam Pacis atque commoditatis Nuntiis & Ministerialibus nostris. Conrado videlicet Camerario nostro de Kassel. Bertoldo de Sterinstet. Adelberto de Gota cognomento Strezfogele & Ulrico Villico de Waltershusen feliciter.

XXII.

Charta Ludovici IV. Landgr. qua Litem inter Cœnobia Reinartsborn & Vallis S. Georgii agitatam, dirimit.

IN Nomine Summæ & Individuæ Trinitatis. Ludewicus Divina Providentia Turingiæ Lantgravius & Saxoniæ Comes Palatinus, omnibus in perpetuum. Quia An. 1227. Reinartsbornensis Ecclesia Fundata est à Progenitoribus Nostris & per Successiones Temporum in Facultatibus & Honore cumulata; Nos quoque non tantum possessionum, sed & Devotionis eorum Heredes, ad imitationem ipsorum, eam non solum augmentare, vel etiam si in aliquo ab ipsis neglectam neglexìmus, pro communi salute Reformare decrevimus: unde omnium tam præsentium quàm futurorum Notitiæ significamus, quod Nos comperta diutina dissensione duorum Cenobiorum videlicet predicti Reinartsbornensis, & Vallis Beati Georgii, pro quadam parte Silvæ; Privilegia utriusque in Presentia nostra, & Baronum Optimatumque nostrorum Recitari facientes, hanc unanimem Omnium Sententiam accepimus, quod antiquioris Ecclesiæ authentica, quæ est Reinartsborn prejudicaret de Jure Juniori: igitur ne, non secundùm Justitiam, sed pro Gratia judicasse videremur, predictæ controversiæ Discussionem Doctorum Clericorum, & Prudentum Laicorum Examini commisimus, ut auditis utriusque partis allegationibus, Ecclesiam quæ obtinuisset Auctoritate nostra in possessionem intronisarent; in qua discussione prior Sententia confir-

mata est, ut antiquius Privilegium obtineret, quod & Nos ratum tenentes per Ministeriales nostros Hermannum de Baldenstet. Hermannum de Lupniz. Hertingum de Horselgaw & per Forestarios nostros, dictam Silvam Ecclesiæ Reinartsbornensi Reddidimus: pars autem quam reddidimus his terminis includitur: à platea, quæ est super Apichenrode, per Viam quæ dicitur Winstrasse sursum tendentem ad plateam, quæ est super Langenberg, tendens ad Eberhardisbruken, & per sequestrum ducit ad Rivulum Schifferbach, & ad Ludestat, & Trockenliva & Drusin usque ad Rotenstig: ut autem prefati Monasterii Fratres denominatam Silvam quietè possideanr, hujus nostræ Redditionis Factum inviolabile & inconcussum permanere statuentes, Auctoritate nostræ Paginæ Sigillique nostri appensione confirmavimus. Actum ab Incarnatione Domini MCCXXVII. Indict. XV. Testes hujus sunt HENRICUS Comes Raspe. HENRICUS Comes de SWARZBURG. DITERUS Comes Junior de BERKA. RUDOLFUS Pincerna. Henricus Notarius. Hermannus de Mergslebenn. & multi alii Liberi & Ministeriales.

XXIII.

Ejusdem Charta, qua Coemptionem Prædii Rolhusen confirmat.

An. 1227. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego LUDOVICUS Divina favente Clementia Thuringiæ Landgravius & Saxoniæ Comes Palatinus, omnibus tam præsentis quàm futuri temporis Fidelibus, ad Notitiam reducere volumus, quod quidam Ministerialis noster THEODORICUS Nomine, in Coëmptione Predii Rulhusen, à Reinartsbornensi Ecclesia recepit in Elgerishoven alterum dimidium Mansum cum duabus Curtibus & Molendino, quæ ipse cum Uxore ac omnibus Liberis suis accepto precio XXXVI. marcarum per manus nostras eidem Ecclesiæ contradidit: ut autem hæc Traditio inconvulsa & inviolata permaneat & præfatæ Ecclesiæ Fratres, predicta Bona quietè perpetuò possideant, Auctoritatis nostræ Pagina Sigillique Impressione Roboramus. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXVII. Indictione XV. in villa SIEGA, coram his Testibus Hermanno Dapifero. Henrico Marescalco. Henrico Camerario de Fana. Rudolfo de Bulzingesleben. Alberto Slegel. Siffrido Ruffo de Spatenberg & multis aliis.

XXIV.

Siffridus Archi-Episcopus Moguntinus incorporat Cœnobio Reinartsborn Parrochiam Villæ Tuteleiben.

An. 1228. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. SIFFRIDUS DEI Gratia Sanctæ Moguntinæ Sedis Archi-Episcopus, Universis CHRISTI Fidelibus hoc scriptum visuris salutem in Domino. Ad Notitiam singulorum tam præsentium quàm futurorum pervenire volumus, quod Nos instantibus precibus Abbatis & Capituli Reinartsbornensis Moguntinæ Diœcesis inclinati, Auctoritate Metropolitica dignum duximus indulgere, ut Omnes Proventus Parochiæ in Tutleben in Archi-Diaconatum S. Severi Erfordiensi constitutæ, cujus Jus Patronatus ad Ecclesiam Reinartsborn pleno Jure spectare dinoscitur, ad Supplementum Prebendarum suarum, & ad Debita, quibus memorata Ecclesia est obligata, persolvenda & ad sarta Tecta perficienda, quæ propter Vetustatem nimium sunt dissipata, Auctoritate nostra freti, in usus suos ut præmissum est, convertant, salvo Jure Diœcesani & Archi-Diaconi ejusdem Loci: preterea eadem Auctoritate qua premissum est, indulgemus atque præcipimus, ut Abbas præfatus, & Capitulum ad Parochiam in Tutleben perpetuum instituant Vicarium, prebendam de qua competenter vivere valeat assignando, eundem Archi-Diacono S. Severi in Erffurt presentando, ut curam Animarum præfatæ Parochiæ ad presentationem sibi conferat eorundem. Datum Anno ab Incarn. Domini MCCXXVIII. in REINARTSBORN. Indict. I. Nonis Martii Pontificatus Nostri Anno XXVII.

XXV.

XXV.

Charta Henrici Lantgravii, qua Reinhartsbornensi Cœnobio decem Mansos in Ludirsburnin concedit.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS DEI Gratiâ Landgravius Thuringiæ & Saxoniæ Comes Palatinus in perpetuum. Quò labentium Bonorum affluentia æternorum Nobis ingerit Oblivionem Salutaribus Monitis acquiescere convenit, scilicet ut Eleemosinam in sinu Pauperum abscondamus, quæ pro Nobis Mundo tantùm vacantibus, orent ad Dominum; Posterorum igitur Recordationi volumus esse memorabile, quod coadunatis manibus Matris nostræ & CONRADI Fratris nostri, pro Salvatione Animæ dilectæ contectalis nostræ Elisabeth, ipso die humationis ejus, Ecclesiæ nostræ in Reinersburnin contulimus decem mansos nostræ Proprietatis in Ludirsburnin sitos cum omni Jure & rotali proventu, statuentes, ut Coloni dictorum Mansorum nec non & aliorum decem Mansorum, quos in eadem villa in Tumulatione Ossium Fratris nostri LUDEWICI Lantgravii Præfato Cœnobio dedimus, nulli nisi Ecclesiæ serviant, ampliori Protectionis nostræ Gratiâ & speciali Libertate semper gavisuri, quatenùs Fratres prænominati Monasterii tam pro nostra & nostrorum, quàm pro caræ Conjugis nostræ Animæ salute DEO studeant famulari diligentiùs: ut autem hæc nostræ Devotionis Donatio Robur sortiatur perpetuò valiturum, præsens Privilegium inde conscriptum Sigilli nostri Impressione jussimus insigniri. Actum Reinherisburnin Anno Gratiæ MCCXXXI. Indict. IV. Testes horum sunt HENRICUS Abbas S. Petri in Erfordia. Johannes S. Georgii in Nuwenburc, Giso in Breitnowe Abbates. Comites Hermannus de Orlamunde, Otto de Rabinsperch, Heinricus de Stalberch, Fridericus de Bichelingen, Heinricus Junior de Schwarzeburch, Ditericus de Bercka, Meinhardus de Mulberck, Albertus de Wie, Cunradus & Fridericus Fratres de Tannenrode, Heinricus de Helderungin, Rudolfus uterque Pincerna, Berchrous Dapifer, Heinricus & Hermannus Camerarii, Heinricus Notarius, Albero, Dittericus, Hermannus de Vipeche, Heinricus Marscalcus, Johannes de Herversleibin, Hartungus de Erpha, Albertus & Ekehardus de Vipeche, Ekehardus de Summeringen, Ludewicus & Rudolfus de Husin, & omnes, qui interfuerunt Exequiis. An. 1231.

XXVI.

Acquisitio Dimidii Mansi in Tuteleben.

BERTOLDUS DEI Grâtiâ Præpositus in Cruzburg &c. Significamus Universis, quod Nos de communi Consilio nostri Conventus, nec non de consensu Domini nostri Hersfeldensis Venerabilis Abbatis, ad quem specialiter nostri Loci pertinet Patronatus dimidium Mansum in Tuteleben. Vendidimus, Reinartsbornensi Cœnobio . . . Anno MCCXXXVII. An. 1237.

XXVII.

Traditio III. Mancipiorum.

NOtum sit omnibus præsentem Paginam inspecturis, quod Ego HERMANNUS de SALZA Ministerialis Domini Lantgravii, Cenobio in Reinartsborn Tria meæ Proprietatis Mancipia in villa Rudersdorff legitima donatione tradidi &c. Actum Anno MCCXXXVII. Testes hujus sunt Hermannus de Eppinrode. Theod. de Thonna, Berchtoldus de Dachebeche & plures Alii. An. 1237.

XXVIII.

Charta Henrici Landgravii qua Coemptionem Bonorum quorundam Ratam habet.

An. 1238. HEnricus DEI Gratiâ Thuringorum Lantgravius, Saxoniæ Comes Palatinus Universis CHRISTI Fidelibus præsens Scriptum inspecturis Salutem in Auctore Salutis: ad singulorum ac omnium Notitiam pervenire cupimus, quod dilectus & Fidelis noster Hermannus de Felsberg quatuor Mansos & dimidium, tres Areas & duo Prata in villa Ailsleben sita, quæ Nomine Dotis ab Uxore sua Mechtilda possidebat, Venerabili Domino Eckehardo Abbati & Monasterio Reinartsbornensi, pro LXXX. Marcis Argenti vendidit, Uxoris suæ Mechtildæ, nec non Liberorum suorum Heremanni & aliorum Voluntate & Consensu sponte & liberaliter accedente; Nobis itaque prædictorum Bonorum resignatione, a prefato Hermanno pariter & Uxore sua nec non Liberis eorundem facta, dicto Monasterio & Abbati Bona supradicta tradenda duximus, & assignanda; ne igitur super hujusmodi venditione imposterum aliquid dubii possit oriri, vel Quæstio partibus nocitura, presens Scriptum super his conscribi fecimus, & Sigilli nostri appensione muniri. Testes, qui interfuerunt, hi sunt: Fridericus de Ormut senior, & Fridericus Filius suus. Berthorus & Conradus de Slothen. Albertus de Sebech. Rudolfus Pincerna. Albertus de Gundersleiben. Ludewicus de Husin. Magister Hugo, Henricus Notarius & alii quamplures.

Datum Wartperg Anno ab Incarnatione Domini MCCXXXVIII. III. Kal. Octobris.

XXIX.

Traditio Hermanni Comitis de Henneberg.

An. 1255. NOs Hermannus DEI Gratiâ Comes de Henneberg, Alberti Marchionis Misnensis Filius. Omnibus præsens Scriptum inspecturis Salutem. Quoniam labilis est Hominum memoria, & mutabilitati subjacent Universa, necesse est in Scripta redigi, quod nullatenùs vel ex difficili propter Rerum mutabilitatem posset memoriter imposterum conservari; hinc est, quod Tenore præsentium recognoscimus publicè profitentes, quod sex Mansos & Vineam in Topstet sitos IX. maldros Erfortenses solventes & XXIV. solidos Annuatim, nec non VII. mansos in Berstet sitos III. Marcas præter Fertonem Annis singulis persolventes, Abbati & Conventui de Reinartsborn cum omni Libertate, Integritate, & Jure, quo nobis deservisse & nostris Antecessoribus noscebantur, dedimus liberaliter & hilariter pro LXXXI. marcis Argenti, quas predicto Abbati & Conventui solvere tenebamur: ut autem hæc nostra Donatio Robur obtineat in futurum, præsentem paginam conscribi fecimus Sigillorum nostrorum munimine Roboratam. Testes hujus sunt: Comes Fridericus de Bichelingen. Berthous Dapifer de Slotheim. Fridericus Senior de Drifort & Frater suus Dominus Fridericus. Heinricus Camerarius de Faver. Cuno de Ottelsdorff. Helwicus Marescalcus de Goltbach. Volradus de Indagine. Dominus Vitego Præpositus de Northeim & alii quamplures Fide digni.

Acta sunt hæc Anno Domini MCCLV. III. Kal. Maii. Indict. XIII.

XXX.

Charta Hermanni Comitis de Henneberg super Venditione certi cujusdam Annui Redditus.

An. 1256. HErmannus DEI Gratiâ Comes de Henneberg, Universis præsens Scriptum inspecturis affectuosam ad omnia voluntatem; Tenore præsentium publicè protesta-

testamur, quod dum nos Anno Domini MCCLVI. Vice Fratris nostri H. Marchionis Misnensis Illustris GERHARDUS de Reinstet super Bonis suis propriis in ipsa villa sitis videlicet Molendino, quod Venerabili Domino LUDOVICO Abbati & Conventui de Reinartsborn vendidit . . . . . . Idem Gerhardus promisit eosdem Abbatem & Conventum Varandare. Testes hujus venditionis sunt H. Camerarius de Faver, Præpositus Witego de Northusen. Theodoricus de Gotha, & alii plures.
Actum Anno MCCLVI.

XXXI.

Alberti Lantgravii Charta, acquisitionem Castri Schowenburg confirmantis.

IN Nomine Domini Amen. ALBERTUS DEI Gratiâ Turingiæ Landgravius, & Comes Saxoniæ Palatinus. Universis CHRISTI Fidelibus tam presentibus quàm futuris Salutem in CHRISTO Salutis Auctore. Cum humanæ Conditionis memoria sit labilis, penitus & inconstans, necessarium esse decernitur, ut ea quæ rite ac rationabiliter statuuntur, confirmentur Litterarum Testimonio, ne perducantur tempore procedente in irritum & Errorem; ad N[illegible]am igitur Universorum, quibus præsens Scriptum Exhibitum fuerit cupimus pervenire, quod Nos ad Liberam Resignationem SIFFRIDI de Hopffgarten & HENRICI de Schawenbourg Militum Castri Schawenburg, Ecclesiæ Sanctæ MARIÆ Virginis, Sanctique Joannis Evangelistæ in Reinaftsborn, idem Castrum cum Silvis & aliis adjacentibus terminis, in quibus se asserebant iidem Milites Jus habere, in proprium dedimus sano precedente Consilio & maturo; pro qua resignatione honorabilis Vir LUDOVICUS Abbas ejusdem Ecclesiæ C. & XXX. marcas Fribergensis Argenti prenactis Militibus dinoscitur erogasse, Renovantes & confirmantes tenore præsentium Litterarum, omnia Bona, Jura & Libertates, quæ præfata Ecclesia dinoscitur habuisse Temporibus ex antiquis, quemadmodum Privilegiis tam Ratione Ecclesiæ, quam Imperii seu etiam Lantgraviorum, Felicis Memoriæ, Nostrorum Progenitorum desuper traditis pleniùs continetur; ne igitur præscripta omnia, vel à Nobis vel ab aliquibus nostris Successoribus infringi possint aliqualiter aut mutari, presentem Litteram conscribi jussimus, & Sigilli munimine communiri. Testes hujus rei sunt Dominus Henricus Præpositus S. Nicolai in Isenach. Dominus Thimo de Lisniti. Dominus Ludolfus de Storternheim. Dominus Henricus de Drifort. Dominus Guntherus de Slatheim. Helwicus Marescalcus. Dominus Gisilbertus & Hermannus Fratres de Tuttelstet & quam plures alii Fide digni. An. 1267.
Datum in ISENACH Anno Domini MCCLXVII. VII. Id. April.

XXXII.

Charta Theodorici Marchionis de Landesburg, qua in Gratiam Reinartsbornensium, cuidam Sanctimonialium Monasterio Beneficium præstat.

IN Nomine Summæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Nos THEODORICUS DEI Gratia Marchio de Landesburg omnibus in perpetuum. Cum ad Cultum Divini Nominis ampliandum, & numerum Religiosorum feliciter augmentandum libenter & merito intendamus, firmissimam Spem habentes, ut quod apud DEUM nostris obtinere meritis non valemus, Justorum Precibus Divina Nobis favente Gratia impetrabimus. Siquidem Recognoscimus & constare volumus tam præsentibus quàm futuris Litteras has visuris, quod Monasterium Sanctimonialium Cisterciensis Ordinis situm in Civitate nostra Sangershusen, quod Reinartsbornensi Cenobio est subjectum pio Favore volentes extollere, & in Gratia speciali efficaciter confovere, tenore presentium contulimus ipsi Jus Patronatus forensis Parochiæ infra muros ejusdem Oppidi constitutæ, cum omni Jure, Utilitate, Gratia, & proventu, ita sanè ut Fructus dictæ An. 1271.

Parrochiæ in Sustentationem CHRISTI Virginum ibidem Domino servientium perpetuò deputetur, ut eædem temporalibus subsidiis sufficienter adjutæ, liberiùs pro nostra Salute Regi Altissimo famulentur. Hujus nostræ Donationis Testes sunt Dominus WITAGO Ecclesiæ Missenensis Episcopus. Dominus Gebehardus & Dominus Burkatdus Fratres de Quernfurt. Dominus Wiknandus de Herstein. Dominus Albertus Dapifer de Purn. Dominus Herboto Miles de Gliva. Dominus Theodoricus de Vebare noster Proto-Notarius, & quàm plures alii Clerici & Laici Fide digni, & ut hæc nostræ Liberalitatis donatio effectum sortiatur perpetuæ firmitatis, has Litteras patentes, super eo conscribi jussimus Sigilli nostri munimine roboratas.

Datum Anno Domini MCCLXXI. quinto Kal. Feb.

XXXIII.

Bertholdi Militis Donatio Ecclesiæ in Tunchusen.

An. 1277. NOtum sit CHRISTI Fidelibus universis tam præsentibus quàm futuris præsentes Litteras audituris quod Ego BERTOLDUS Miles, & Filius meus HELFRICUS dicti de CREUZBURG, ad honorem DEI ejusque Gloriosæ Virginis Genitricis MARIÆ contulimus Ecclesiam in Tunchusen c[illegible] Mansis, Mancipiis, viis & inviis tam in ipsa villa quàm in campo, ad Nos Jure Hereditario sive Proprietatis pertinentibus, ad Instantiam Domini Ludovici Fratris nostri Militis de Mulnerstet, Cenobio in Reinartsborn voluntariè nunc & semper justo Titulo Proprietatis, liberè possidendam, in cujus Rei Certitudinem & Notitiam ampliorem præsentes Litteras desuper ipsis damus, Sigilli nostri munimine consignatas.

Datum Anno Domini MCCLXXVII. Idib. Novemb.

XXXIV.

Lantgravii Alberti Charta altera, qua Hermanni de Driford, Donationem Ratam habet.

An. 1279. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. ALBERTUS DEI Gratia Turingiæ Lantgravius & Saxoniæ Comes Palatinus, Omnibus in perpetuum: quoniam ea, quæ fiunt in tempore Labuntur cum tempore, & à Lubrica Hominum excedunt Memoria dignum est, ut Gesta Fidelium, Auctoritate Magnatum & Scripturæ Noritia perhennentur; hinc est, quod constare volumus tam præsentibus quàm futuris has præsentes Litteras audituris quod Fidelis noster HERMANNUS Miles Junior de Drifotd, omnem Proprietatem suam quam in villa Hetzelswinde habuit cum omnibus attinentiis sibi Bonis, videlicet Silvis, Pratis, Pascuis, Agriculturis pariter & incultis ad Manus nostras liberè resignatam de collaudatione omnium Coheredum suorum Domino Marquardo Præposito in Elnde Nomine suæ Matricis Ecclesiæ in Reinartsborne Emptione XI. Marcatum & dimidiæ sollemniter contradidit justo Proprietatis Titulo possidendam & in usus Ecclesiæ in Elnde perpetuis temporibus convertendam; Nos quia utriusque Ecclesiæ profectum diligimus, dictam Proprietatem cum omni Jure superiùs memorato, liberaliter ipsis donavimus, & eandem Donationem justo Libertatis Privilegio, perpetuò stabilimus: prætereà Capellam Sancti Nicholai in eadem villa sitam, dictus Hermannus tam pro se, quàm pro Genitorum suorum Salute, præfatæ contulit Ecclesiæ simpliciter propter DEUM, ut eandem ipse Præpositus & sui Successores nunc & semper officient, & Divina Officia ibi non vacillent: hujus nostræ Donationis Testes sunt Dominus Otto Comes de Lutterberg. Dominus Henricus de Frankenstein. Dominus Heinricus S. Nicolai in Isenach. Dominus Conradus de Lacu Monasteriorum Præpositi. Dominus Hermannus & Wetzel Frater suus Milites de Mila, Universi nostri Consules & Scabini in Isenach & quamplures alii Clerici atque Laici Fide digni: in cujus rei Argumentum perpetuis temporibus duraturum has patentes Litteras desuper placuit conscribi, & eas Sigilli nostri Munimine fideliter insigniri.

Datum in WARTPERG Anno Dominicæ Incarnat. MCCLXXIX. Sexto Idus Jun.

XXXV.

XXXV.

Theodorici Junioris Landgravii Charta Immunitatis concessa Reinhartsbornensibus.

THEODORICUS DEI Gratia Junior Thuringiæ Lantgravius Orientalis Marchio & Dominus in Groitzsch omnibus in perpetuum; facta modernorum, quæ aguntur in tempore consueverunt Litterarum apicibus ingeri, ne trahantur à memoriis hominum per Oblivionem, quæ semper Mater Erroris existit, & deducantur cum tempore, per defluxum continuum temporalem; hinc est quod Nos ad Notitiam omnium tam præsentium quàm futurorum apertius volumus ut accedat, quod intuentes, quia Bonum est æternæ Felicitatis Præmium Opere Laudabili prevenire, omnem Jurisdictionem seu Judiciariam Potestatem, quæ nobis de Facto vel de Jure competebat Ratione videlicet hereditariæ Successionis vel Dominii in Thenneberg, in Monasterium Reinartsborn, seu villas ad idem Monasterium pertinentes scilicet Friderichrode, Aldenberge. Wippenrode. Kumbah. Ersrode. Linningen. Dinsterberg & villam Reinfirst, nec non Predia ejusdem Monasterii scilicet, Eppenfelt. Anno. Engelspach. Bossenrode. & Snepffentall. Appropriavimus seu in proprium dedimus eidem Monasterio Reinhartsborn, in Remissionem nostrorum Peccaminum ob Reverentiam & Honorem DEI, & suæ Matris MARIÆ Virginis Gloriosæ, Sanctique Johannis Evangelistæ cum omni Utilitate pariter & Honore, quibus ad Nos pertinuisse dinoscitur, eadem Jurisdictio seu Potestas, tollentes abinde omnem Libertatem nostri Dominii & quorumlibet Successorum meorum . . . . Circa An. 1280.

XXXVI.

Traditio Alberti Turingiæ Landgravii.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. ALBERTUS DEI Gratia Turingiæ Lantgravius & Saxoniæ Comes Palatinus omnibus in perpetuum. Cùm Secularium Negotiorum Sarcina Nos in Infinum deprimente, rarò vel nunquam, quod cum dolore dicimus, mentis nostræ Oculos ad superna erigere valeamus: necesse est, ut Elemosinarum Largitione ad concambienda Transitoriis Eterna, inspirante tandem Domino, aspirans; hinc siquidem quod ad Notitiam cunctorum CHRISTI Fidelium tam præsentium quàm futurorum pervenire volumus & extendi, quod adinstar Progenitorum nostrorum, qui intuitu Æternorum, Ecclesiam in Reinartsborn Temporalium Rerum Copia laudabiliter extulerunt, cupientes eandem solita Liberalitate in Divitiis & Honore pro viribus ampliare, de consensu parili & unanimi voluntate Filiorum nostrorum videlicet HENRICI, FRIDERICI & THEODORICI, contulimus ipsi Ecclesiæ maximè tamen ad Instantiam, Venerabilis Viri Domini MARQUARDI ejusdem Loci Abbatis, ob Honorem DEI & ejus Gloriosæ Genitricis & Virginis MARIÆ, Sanctique Johannis Evangelistæ, quorum Patrociniis Locus ipse feliciter gubernatur; Montem Cincisberg usque ad fluvium Loncha cum parte Nemorum è vicino ipsius montis Latere adjacentium, quæ Tamvortinawe dicitur, simpliciter & purè cum omni Utilitate ac Proprietatis Jure nunc & in perpetuum, justo Donationis Titulo liberè possidendum, firmiter præsumentes, quod Fratres ibidem Die Noctuque Domino servientes pro salute nostra invigilent, quatenus qui de nostris meritis Fiduciam non habemus, Orationum suffragiis eorundem, Divinam Propitiationem faciliùs impetremus. Hujus rei Testes sunt Comes OTTO de Luterberg. GUNTHERUS & GUNTHERUS Comites & Fratres de Kefrenburg. Mathias Protho - Notarius noster. Hermannus de Mila. Guntherus de Slatheim. Hermannus Junior Strantz de Tullster. Hermannus de Hayn. Hermannus de Hertillderodes. Albertus de Wilchwitz Milites. Ludovicus de Horselgaw. Gurtherus & Christanus de Loncha, & quàm plures Alii Fide digni. Igitur ut hæc nostræ Liberalitatis Donatio ab hac Die inviolabilis & inconvulsa per- An. 1282.

maneat omni Evo. Nos super eo presens conscribi fecimus Instrumentum Sigilli nostri munimine roboratum.

Datum & Actum in Castro WARTBERG. Anno Domini MCCLXXXII. Kalendis Februarii.

XXXVII.

Idem Lantgravius Advocatiam Villæ Coderitchs transfert in Jus Cœnobii Reinartsbornensis.

An. 1282. IN Nomine Domini Amen. ALBERTUS DEI Gratia Thuringiæ Lantgravius, & Saxoniæ Comes Palatinus, omnibus in perpetuum. Quoniam Mortalium Memoria sit infirma labilis & caduca, ne procedente tempore res perpetuò valituræ ignorantiæ vel Erroris Caligine involvantur, placuit ut sub Fide Testium infra scripta publicè redigantur: hinc est, quod ad Notitiam tam presentium quàm futurorum pervenire volumus & extendi, quod interventu Honorabilis Domini MARQUARDI Abbatis de Reinartsborn, pro quadam Summa Peccuniæ contulimus ipsi & suæ Ecclesiæ, Jus Advocatiæ, quod habuimus in villa Coderitsch, & in decem Mansis & dimidio pertinentibus ad eandem, liberè & voluntariè nunc & in perpetuum pleno Jure, ita sanè, ut dictus Dominus Abbas & sui Successores, liberam habeant Facultatem ipsam Advocatiam conferendi uni de Heredibus BERTOLDI de Coderitsch, qui Ecclesiæ utiliter & fideliter inserviat, & Reprehensione digna penitus non committat, quod si idoneus non fuerit, nihilominus Fas sit ipsis, eandem Advocatiam pro suo Beneplacito conferre alteri Jure illi Hereditario succedenti: prohibemus insuper universis nostris Judicibus, Officialibus, Advocatis, sub obtentu nostræ Gratiæ damus in mandatis firmiter, ut in memorata Advocatia sive pretextu Officiorum suorum, seu cujuscumque occasionis, nihil ammodo exerceant Jurisdictionis vel temerariæ potestatis. Hujus rei Testes sunt Mathias Brotho-Notarius noster. Hermannus de Mila. Hermannus Stranz. Guntherus de Slotheim. Johannes de Hermesleiben. Hermannus de Faver. Hermannus de Heyn Milites & Alii quamplures, in hujus rei perpetuum Argumentum conscribi fecimus has patentes Litteras nostro Sigillo fideliter roboratas.

Datum in WARTPERG Anno Domini MCCLXXXII. II. Kal. Julii.

XXXVIII.

Traditio Henrici Militis de Stetevelt.

An. 1283. IN Nomine Domini Amen. Ego HENRICUS Miles de Stetefelt omnibus CHRISTI Fidelibus in perpetuum. Ne ea, quæ geruntur in tempore, simul cum fluxu temporis elabantur, Consilio sane Providentiæ est inductum, ut Res perpetuò valituræ, Sigillorum & Scripti Munimine perhennentur. Igitur Ego HENRICUS de Stetefelt constare cupio universis presentibus & Posteris has Litteras audituris, quod de unanimi collaudatione Heredum & Liberorum meorum pariter & consensu, villam dictam Hutiss & adjacenrem Silvam *am Stuppfelberg* cum omnibus suis Appenditiis, Agris, cultibus & incultibus, quin etiam Colonis seu Hominibus ibidem habitantibus una cum Campis, Viis & inviis, pratis, pascuis, & Rivis, vendidi Domino MARQUARDO Reinartsbornensi Abbati & Ecclesiæ suæ, justæ Proprietatis titulo, sicut ad me petinebant hæc eadem Bona Ecclesiæ jam dictæ perpetuis temporibus in omni fructu & Utilitate liberè possidenda, receptis proinde VIII. Marcis Argenti ab ipso Abbate in usus meos necessarios jam conversis, conditione nihilominùs hac adjecta, quod memoratus Dominus Abbas vel ejus Successores VII. Isenacensia maldera Avenæ, Tritici, & Siliginis, & quatuor Botos, mihi & Uxori meæ nomine JUTÆ, quamdiu ambo vixerimus, inde solvi faciet annuatim, post Obitum verò utriusque nostrum, hæc annonæ pensio revertetur ad ipsam Ecclesiam absolutè: insuper ad precavendam petitionem quamlibet imposterum LUDERUS Frater meus, cum duobus Filiis suis Friderico & Ludero, sub Testimonio presentium pro se & pro suis Heredibus renuntiavit omni Juri, quod vel me vivente

vivente vel defuncto in eisdem Bonis habere aliquatenus viderentur, & quia hi, Sigillis propriis carent hanc Renuntiationem suam sub Sigillis infra scriptorum Testium publicè protestantur. Testes autem hujus Contractûs sunt Dominus Hermannus & Frater ejus Wezelo de Mila. Bertoldus de Creuzburg & Filius ejus Helfricus. Milites Dominus Hermannus de Spangenberg. Dominus Guntherus de Slatheim. Dominus Henricus de Bilstein, & Dominus Wolchmarus plebanus in Stetefelt, & quam plures Alii Fide digni, ut & hoc Factum Robur obtineat perpetuæ Firmitatis præsens Instrumentum super eo confectum munimine Sigillorum mei videlicet, & præfatorum Testium duxi fideliter roborandum.

Actum Anno Domini MCCLXXXIII. in die Sancti Marci Evangelistæ.

XXXIX.

Privilegium Libertatis concessum ab Alberto Landgr.

AD vitandum futura Litigia; quæ Rerum Cupiditas generat incessanter. Consilio sane Providentiæ & instinctu, ut ea quæ rite & rationabiliter ordinantur, Scriptis autenticis & viva voce Testium perhennentur; hinc est, quod Nos ALBERTUS DEI Gratia Thuringiæ Lantgravius & Saxoniæ Comes Palatinus, recognoscimus & tam præsentis quàm futuri Ævi Fidelibus cupimus esse notum, quod inspecta nostri Claustri in Reinartsborn Indigentia, & defectu, ob honorem Omnipotentis DEI & suæ Matris Virginis Gloriosæ, ac nostræ Uxoris ELISABETH Thuringiæ Lantgraviæ perhenni Memoria ibidem peragenda, & in recompensam illorum, quæ fortè de Bonis ejusdem Claustri indirectè aut superfluè per Nos & Nostros propriè vel impropriè ex casibus cognitis & remotis, dinoscimur hactenus percepisse, nec non Honorabilis Viri Domini MARQUARDI tunc temporis Abbatis ibidem Instantiam studiosam, quem propter grata ipsius Obsequia Nobis ab ipso exhibita Gratia prosequimur speciali, Bona Deliberatione & nostrorum Fidelium Requisitione præhabita, & ex gratuita Voluntate & certa conscientia talem dedimus Libertatem, quod idem Dominus Abbas & Conventus omnes Mansos & Bona sui Claustri, & nominatim Allodia Claustro pertinentia & subscripta videlicet Ailslebin. Rulhusen. Tuttelebeu. Sibeleben. Topstet. Tulstet. Buthusen. Sunthusen. Wortza. Ulleiben. Pro Utilitate Ecclesiæ Jure Hereditario exponere poterunt & locare Personis quibuslibet, pro ipsorum Placito & libera voluntate, nihil Nobis nostris Successoribus, Heredibus, seu Advocatis quibuscumque in ipsis mansis seu cultoribus illorum respectu talium Bonorum, Jurispetitionis aut Angariæ ammodo reservantes, immo etiam Bona sic exposita & Hereditata nostræ Tutelæ & Protectioni quoad vixerimus supponendo, volentes eorum Cultores semper prosequi omni Bono, ac honori & utilitati ejusdem Ecclesiæ intendere cum exacta diligentia, Bono Zelo: Si autem nostri Advocati vel alii quicumque, quod absit, nostris Libertatibus prædictis ausu temerario præsumpserunt contraire, Dominum Abbatem, vel Ecclesiam Reinartsbornensem, aut Cultores illorum Bonorum turbaturi, Nostræ non est nec erit oppositum voluntati, immò peroptimæ voluntatis, contra illos Jure Ecclesiastico suis Actionibus procedant, & si necesse habuerint, unum Militem vel Personam idoneam eligere poterunt de nostra Licentia & indultu, ipsos in ipsorum Bonis nostro Nomine defensantem quovis tempore indigenti, & ne hanc nostram Libertatem Emulorum livore, qui piis actibus obviate nititur incessanter per Posteros sauciet; Mens humana vel alicujus generis Calumnia presumat vel audeat infirmate, præsentem Paginam conscriptam desuper & confectam, omnibus sic rite & rationabiliter peractis, nostri Sigilli Robore volumus & jussimus communiri. An. 1290.

Actum & datum in Civitate ISEN•CH Anno Incarnationis Dominicæ MCCXC. Kal. Octob. Affuerunt etiam huic nostri Donationi & Libertati prædictæ Ecclesiæ Sanctæ. Hermannus de Mila. Guntherus, Berthous, & Fridericus Dapiferi Fratres de Slatheim. Albertus de Brandeburg. Hermannus de Hayn Senior. Hermannus Magister Curiæ dictus de Herfinderode. Eckardus de Sulse. Henricus de Mila tunc temporis noster Sculretus in Gota. Eberhardus de Molsleben. Henricus de Kleberg. Reinhardus de Ulleiben. Henricus de Hayn nostri Castellani in Gota, & Mathias Numburgensis Ecclesiæ Canonicus, Nostræ Curiæ Proto-Notarius. Wilhelmus de Wissensee nostræ Curiæ Notarius, cum aliis quampluribus Fide dignis.

XL.

Marquardi Abbatis Reinhartsbornensis Notitia pro Donatione Henrici Militis.

An. 1290. NOs MARQUARDUS DEI Gratiâ Abbas, Helwicus prior, totusque Conventus Reinartsbornensis Ecclesiæ, tenore præsentium publicè recognoscimus, & constare volumus universis &c. quod dimidiam Marcam annui census, qui ex Legato Testamentario HENRICI Militis olim SACK dicti nobis obvenit &c. vendidimus Domino Hugoni Custodi Ecclesiæ nostræ, eo videlicet nomine & tenore, ut exinde Luminaria in Cemeterio nostro constructa pro Requie omnium Fidelium Defunctorum ibidem quiescentium, per Noctem arsura perpetuò continuentur. Anno MCCXC.

XLI.

Privilegium Immunitatis concessum ab Alberto Juniore Landgr. Thuringiæ.

An. 1290. NE perhenni Res digna Memoriæ, oblivionis aliquando, Labilitate temporis depellente, secedant in Baratrum, Scriptis fulciri solent Autenticis, ut per hæc Secula sui non desint monumenta. Noscant igitur universi tam præsentes quàm Posteri hujus Paginæ Inspectores, quod Nos ALBERTUS Junior Thuringiæ Landgravius, videlicet Filius Lantgravii Turingiæ, Progenitorum meorum Illustrium, qui Reinartsbornensem Ecclesiam piis semper studiis prosequentes, multis Beneficiorum & Gratiarum impendiis ipsam illustrarunt, laudabilibus inherere vestigiis satagentes, nec non Honorabilium Virorum Domini MARQUARDI Abbatis, & Conventus ejusdem Ecclesiæ, quorum erga Nos in multis plerumque Devotionis affectus enituit, quique Nos ad præsens XXV. marcis Argenti, voluntate gratuita donarunt, hortationibus & monitis salutaribus accedentibus, villas ipsi Ecclesiæ pertinentibus videlicet Friderichesrode, Aldemberge, Kumbah, Rode, quæ & Steinfurst, Dinsterberge, Leningen, Ersrode, & Wippenderode, ob Honorem DEI Omnipotentis & Gloriosæ Virginis Matris ejus, ac ut ibidem Nostri, ac Illustris Domini ALBERTI Patris nostri in in perpetuum agatur Memoria, antiquiori sua Libertate gaudere volentes, dictas villas ab Angaria petitionis octo Marcarum, quarum medietas in Festo B. Michaelis ad Castrum nostrum Thenneberg ex Consuetudine, ut audivimus nuper, sive secundùm jus sive præter Jus inolita, annis singulis petebatur, absolvimus de Consensu & beneplacito Patris nostri memorati liberaliter in æternum; nolentes Incolas dictarum villarum pro hujusmodi Angaria, deinceps ullo tempore per Nos vel Heredes nostros aut Successores aliquatenus molestari. Hujus rei Testes sunt Luderus de Hoiselgaw. Haileman Junior de Hayn Milites; Fridericus dictus Gitze & Alii Fide digni: ut autem hoc nostræ Liberalitatis Indultum perpetuò Robur obtineat, nec imposterum ullo malignitatis Ingenio quatiatur, præsens Instrumentum desuper conscribi fecimus, & Sigilli nostri munimine robotari.

Actum & datum in REINARTSBORN Anno Domini MCCXC. II. Non. Decemb.

XLII.

Aliud Immunitatis Privilegium concessum ab Alberto Landgr. Seniore.

An. 1291. IN Nomine Summæ & Individuæ Trinitatis Amen. ALBERTUS DEI Gratia, Turingiæ Lantgravius, Saxoniæ Comes Palatinus, Universis CHRISTI Fidelibus salutem in perpetuum: Ne ea, quæ geruntur in Tempore coram Nobis excidant à memoria, quæ Res est fragilis & caduca, expedit ut Gesta Perpetuitatis Robur habitura in Scripta publica redigantur: sane constare cupimus tam præsentibus quam futuris has

has Litteras audituris, quod cum Cœnobium Reinartsbornense, inter terminos nostri Dominii constitutum, ad tantam vergeret Egestatem, quod plurimam partem Proventuum de Prediis & Mansis suis, quin etiam & ipsos Mansos venundari, & Colonis locari extraneis, necessitas, quæ Lege non constringitur, instigaret; Nos devotis Supplicationibus Religiosorum Virorum Domini MARQUARDI Abbatis, Prioris, Cellarii, Camerarii, ac totius Capituli ejusdem Claustri, eorumque Servitiis Nobis sæpe exhibitis favorabiliter inclinati, ne prædicta Bonorum Ecclesiæ alienatio, nostro Rigori, quem circa Locum prefatum Exercueramus, imputetur: de speciali affectu quo meritò erga ipsos ducimur, super Predio ipsorum in Ulleiben, Auctoritate ac Testimonio præsentium eis hujusmodi contulimus Libertatem, quod idem Prædium cum Omnibus Bonis & Hominibus ad ipsum pertinentibus agris cultis seu incultis, pascuis, pratis, aliisque rebus suis à quibuslibet Exactionibus & Angariis, quæ ratione Advocatiæ, sive nostro, sive quorumlibet Filiorum nostrorum Nomine sibi possent aliquatenus irrogari, absolutum manere decrevimus perpetualiter & exemptum, consensu & ratificatione Filiorum nostrorum videlicet FRIDERICI, TEODORICI, & ALBERTI pariter accedente. Volumus nihilominus, & sub obtentu Gratiæ nostræ districtius inhibemus, ne aliquis Advocatorum seu villicorum nostrorum, sive quæcumque persona potens aut impotens, nostræ Jurisdictionis, dicti Predii Bona vel Colonos, qui ea susceperint excolenda præsumat aliquibus gravaminibus aut injuriis molestare: ceterum, si quisquam contra nostram hanc Exhibitionem eidem Loco sive Rebus sive Personis suis injuriosus Pervasor exstiterit, aut offensor, quod absit, & unum de Militibus nostris aut Sculterum quemcumque Dominus Abbas aut Officiatus de Reinartsborn ad hoc arbitrati fuerint, ipsis Auctoritate presentium Vice nostra constituimus Defensorem. Testes hujus nostræ Donationis sunt Dominus Mathias Protho-Notarius noster. Dominus Henricus Præpositus Ecclesiæ S. Nicolai Isenacensis, Clerici. Dominus Albertus de Brandeburg, Heynemannus dictus de Indagine. Hermannus de Firsingerode. Theodoricus Waltmann, Milites. & quam plures alii Fide digni. Ut autem hæc nostra Donatio Liberalitatis Robur & Efficaciam obtineat perpetuæ Firmitatis, presens inde conscribi jussimus Instrumentum, apponentes eidem Sigilli nostri scilicet, ac Filiorum qui præfati sunt, evidens Munimentum.

Datum in WARTBERG Anno Domini MCCXCI. Id. Maii.

XLIII.

Alberti Lantgravii Notitia pro Donatione Ottonis & Godefridi Militum.

NOS ALBERTUS DEI Gratiâ Thuringorum Landgravius & Saxoniæ Comes Palatinus, Recognoscimus his Scriptis, quod bonâ deliberatione præhabita ob honorem DEI & suæ Genitricis Virginis Gloriosæ, Ligna, quæ vocantur vulgariter Schadebach, quæ OTTO & GODEFRIDUS Fratres de Hasenheritschen à Nobis habuerunt, & pio Zelo ducti de consensu suorum Hæredum in Testamentum dederunt Ecclesiæ sive villæ in Elnde, ad instantiam honorabilis Viri Domini MARQUARDI quondam Abbatis in Reinartsborn nostri Familiaris Dilecti, nunc pro ducenda vitâ magis commoda, Solitaria & quieta, ejusdem Ecclesiæ Cellæ Privisoris, Appropriamus & in perpetuum erogamus Cellæ superiùs nominatæ, Proprietatis Titulo perpetuò possidenda, & his gaudeat & in omni Usufructu, Dignitate pariter & honore, Renuntiantes omni Juri nostro, quod habuimus vel quod nostros Successores vel hæredes posset contingere in eisdem, super quo dedimus præsens Scriptum nostri Sigilli Robore communitum. An. 1292.

Acta sunt hæc in Isenach in Curia Hermanni Magistri Curiæ nostræ. Anno Domini MCCXCII. præsentibus Heinemanno de Hayn Seniore, Hermanno Magistro nostræ Curiæ Wilhelmo nostro Notario & aliis Fide dignis.

XLIV.

Mechtildis Abbatissæ in Tullstett Notitia pro Acquisitione quorundam Prædiorum spectantium ad Monasterium Reinartsborn.

An. 1295. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ne Convenriones & facta Fidelium, Litigatorum abusus enervent, ea, quæ rationabili Dispositione gesta fuerunt à modernis, Scriptis autenticis roborata, ad Memoriam transumpta fieri convenit Posteris: hinc est quod EKEHARDUS Præpositus MECHTILDIS Abbatissa totusque Conventus Sanctimonialium Ecclesiæ Sancti Nicolai in Tullstett, his Scriptis constare volumus Universis, quod honorabiles Domini MARQUARDUS Abbas, totusque Conventus Reinartsbornensis Ecclesiæ propter Turbationes Terrarum diutinas, & maximè per Incendium Claustri sui, Debitorum ouere prægravati, Curiam quandam Allodii sui sitam juxta Ecclesiam S. Nicolai in Tullstett & quinquaginta Agros in monte Eitersberg nobis & Ecclesiæ nostræ pro XXVIII. Marcis Usualis argenti vendiderunt titulo Proprietatis perpetuò possidenda &c. præsentem Litteram inde conscriptam appensione Sigillorum nostrorum videlicet, nec non honorabilium Virorum Domini Eckehardi Decani & Domini Heinrici Scolastici Ecclesiæ S. MARIÆ Erfordiensis, qui ab utraque parte Rogati, Testimonium perhibent de prædictis, fecimus roborari. Ad hæc etiam Testes sunt Dominus Henricus Senior dictus Strantz una cum Filiis suis Domino Hermanno Milite. Heinrico & Odalrico Hermannus dictus Lurerheim de Andesleben & Alii Fide digni.

Actum & datum Erfford Anno MCCXCV. VIII. Id. Septemb.

XLV.

Albertus Junior Landgravius confirmat Traditionem Hetwici & Adelheidis Conjugum de quadam Curia.

An. 1296. ALBERTUS DEI Gratia Junior Lantgravius Thuringiæ, Universis CHRISTI Fidelibus has Litteras inspecturis Salutem & omne Bonum; Ad æterna Beatitudinis præmia capessenda, Nobis non ambigimus profuturum, si Monasteriis aliisque Locis DEO dicatis, aut nondum collata conferimus, vel collata primitus Auctoritatis nostræ Robore confirmamus, quamobrem Itinera Progenitorum nostrorum, Illustrium Virtutum passibus imitantes, Curiam quandam sitam in Valtershusen, quam ad præsens Conradus dictus Heut inhabitare dinoscitur, à quodam olim HETWICO & Uxore sua ADELHEIDE, Monasterio in Reinartsborn pro Animarum suarum collatam Remedio; eidem Monasterio favorabiliter condonamus, & Jure Proprietatis liberè possidendum perpetuò stabilimus, cum Fiducia Spem habentes, quod Fratres ibidem Domino famulantes, Nostri, Contectalisque nostræ Memoriam in suis Orationibus agere debeant omni Vita: ne igitur per ullam calumpniam seu violentiam importunam hæc nostræ Pietatis Donatio successu temporum enervari possit aliquatinus aut elidi, præsens Scriptum inde confectum Sigilli nostri appensione fecimus Roborari. Testes sunt Dominus Hartingus de Loncha Canonicus Ecclesiæ in Ordorff. Henricus Sacerdos Vice-Plebanus in Valtershusen. Ludovicus de Hurselingen, & Heilmannus de Hayn Milites. Fridericus dictus Gitz & Gemutus dictus Peven Fideles Nostri & Alii Fide digni.

Actum & datum in THENNENBERG Anno Domini MCCXCVI. VII. Id. Octob.

XLVI.

Donatio Comitum de Mansfeld facta Ecclesiæ in Lissen.

An. 1298. IN Nomine Domini Amen. Ne gestarum Rerum seriem propter diuturnam Temporis defluentiam contingat Oblivionis tenebris obfuscari, expedit ea memorabilium

lium Litterarum Teſtimonio perhennari; hinc eſt quod Nos Henricus, & Henricus Fratres Comites dicti de Mansfelt, & Burgravii de Novo-Caſtro ad Memoriam omnium tam præſentium quàm futurorum cupimus pervenire quod pro ſalute Animarum noſtrarum & Predeceſſorum noſtrorum, tres Hortos ſitos in villa quæ vocatur Liſſenn; de quibus unum Felicis Memoriæ Henricus Miles dictus de Stolzenhain, alios verò duos Hermannus de Schipliz à Nobis quondam habuerunt ſub Jure & Gratia Feudali, Eccleſiæ & Prepoſito ejusdem Loci in Liſſenn donavimus cum omni Jure, Proprierate & Fructu eorundem perpetuò poſſidendos Renuntiantes omni Juri & Actioni, quæ nobis & noſtris Heredibus poſſet competere in eisdem: ut autem hæc noſtræ Proprietatis Donatio ſive collatio in ſuo Vigore permaneat inconvulſa, preſentem paginam præfatæ Eccleſiæ Præpoſito & Fratribus ibidem DEO Famulantibus dedimus Sigillorum noſtrorum Robore communitam. Teſtes hujus ſunt Dominus Henricus Decanus & Plebanus in Goſſin. Dominus Hermannus Plebanus de Codriz. Otto Miles dictus Benbis. Fridericus de Wineke. Conradus de Palude. Henricus de Stolzenhain. Henricus de Peles, & Alii quamplurimi Fide digni.

Acta ſunt hæc Anno Domini MCCXCVIII. Indict. X. in diebus Gregorii Papæ.

XLVII.

Hermanni Militis piam cum Reinartsbornenſi Cœnobio initam Conventionem confirmat Albertus Landgravius.

IN Nomine Domini Amen. Quoniam Litterarum Teſtimonia Rerum geſtarum Notitiam repreſentant, pro Rebus tranſitoriis Lites uberrimè ſuccreſcentes Exterminant, Nos ALBERTUS DEI Gratia Thuringiæ Landgravius & Saxoniæ Comes Palatinus, Recognoſcimus & conſtare volumus Univerſis hanc Litteram inſpecturis, quod cum Fidelis noſter, HERMANNUS Miles de Heiſingderode, Magiſter Curiæ noſtræ, Bona quædam in Illeiben, & in Campis ipſius villæ ſita, pro centum Marcis puri Argenti ab honorabilibus Domino Abbate & Conventu Eccleſiæ Reinartsbornenſis comparaſſet, datis videlicet Induciis eadem Bona infra certum Terminum pro Conſimili Summa Pecuniæ reemendi, antequam Induciarum hujusmodi terminus exſpiràſſet, predictus Miles Bona eadem, motu Liberæ voluntatis in Noſtra preſentia reſignavit & reſtituit eidem Eccleſiæ poſt ſui Obitum, nomine Teſtamenti cum omni Jure, Utilitate pariter & Honore liberè denuò vacatura, quibusdam Conditionibus Interjectis, de ſolvendis videlicet Debitis ab ipſo minus juſtè contractis, & de Altari in ipſa Eccleſia conſtruendo, in quo Miſſarum Sollempnia pro Remedio Animæ ſuæ ſingulis diebus jugiter agerentur; poſtmodum verò, dictus Miles Variatione Rerum ex temporum mutabilitate penſata Eccleſiam ipſam, ac Perſonas attinentes ad ipſam ab Obſervatione omnium præmiſſarum Conditionum abſolvit, pronuncians denuò voce libera & expreſſa memorata Bona poſt ſui ſolius obitum, ad predictam Eccleſiam Reinartsbornenſem absque ullo conditionis medio, remotis quibuslibet ex parte Heredum ſuorum obſtaculis, liberè denuò reditura, receptis nihilominus proinde triginta Marcis puri Argenti ſibi jam integraliter perſoluti, nec non quatuor Talentis Denariorum Cenſus annui in villa Sibelebin, unà cum Ovilegio in Pullis & Aucis ibidem ad Officinam Cellerariæ Reinartsbornenſis pertinente, ad vitæ ſuæ duntaxat tempora poſſidendis. His igitur in noſtra Audientia pertractatis Nos Petitioni utriusque Partis favorabiliter annuentes preſens Inſtrumentum inde conſcriptum in Teſtimonium dedimus, Sigilli noſtri munimine Roboratum. Teſtes ſunt Theodoricus de Almenhuſen, & Henricus de Mila Milites. Wilhelmus Protho-Notarius noſter, Hartingus Inſtitor Civis Iſenacenſis & Alii Fide digni. An. 1303.

Datum in WARTPERG Anno Domini MCCCIII. X. Kal. Feb.

XLVIII.

Fridericus I. Landgr. Villam Flensingen donat Reinartsbornensi Cœnobio.

An. 1317. IN Nomine Domini Amen. Ne ea, quæ pro Ecclesiarum Utilitate & Animarum Salute ritè ab Hominibus fiunt, in oblivionem transeant, perhennari solent obsequio Litterarum; Igitur ad perpetuam Rei memoriam Nos FRIDERICUS DEI Gratia Landgravius, Missenensis & Orientalis Marchio, Dominusque Terræ Plisnensis tam præsentibus quàm futuris cupimus esse Notum, quod Nos piis moti Affectibus, quos ad Religiosos Viros, Dominum Abbatem & Conventum Ecclesiæ S. MARIÆ Virginis, Beatique Joannis Evangelistæ in Reinartsborn gerimus, eisdem ob DEI Reverentiam, & nostræ, ac simul nostrorum Progenitorum Animarum salutem, Villam dictam Flensingen, cum omni Fructu, Jure, Utilitate & honore, ac pertinentiis quibuscumque, sicut ad Filios CUNEMUNDI quondam de Mila Militis, KUNEMUNDUM videlicet, HERMANNUM, FRIDERICUM & ALBERTUM, JUTTAMque Matrem eorundem, hactenùs pertinere dinoscebatur facta nobis villæ supradictæ libera resignatione per eosdem, dedimus & tenore præsentium damus, donamus, tradimus & appropriamus pleno Jure Proprietatis perpetuò possidendam: ut autem hæc nostra Donatio & Appropriatio, Robur perpetuæ Firmitatis obtineat & vires plenissimæ Donationis. has Litteras ipsis dare jussimus Nostri Sigilli Munimine Roboratas. Testes sunt GUNTHERUS Comes de Swartzenburg. ALBERTUS Burgravius de Aldenburg. Viri Nobiles Hermannus dictus Goltaker Noster Marescalcus, & dictus Junkman Frater ejusdem cum pluribus Aliis Fide dignis.

Actum & datum GOTHA Anno Domini MCCCXVII.

XLIX.

Gutæ Nobilis Matronæ, ac Filiorum suorum Venditio Villæ Flensinges.

An. 1317. AD Futuram Rei Memoriam. Nos GUTTA, Relicta quondam KUNEMUNDI Militis dicti de Mila, una cum Kunemundo, Hermanno, Friderico, & Alberto meis Filiis Recognoscimus Litteras per presentes, quod Reverendis Viris Domino Abbati nec non Conventui in Reinartsborn, & Domino HENRICO Præposito in Elnde, suisque Confratribus villam dictam Flensinges cum omnibus suis Usibus, proventibus, attinentiis, Juribus, honoribus & utilitatibus, quibus possedimus à multis retroactis Temporibus, pro XXIV. marcis examinati Argenti, matura deliberatione prævia & de unanimi consensu, Justo Emptionis Titulo interveniente, vendidimus rationabiliter, atque justè perpetuò possidendum, ita quod dicta Villa cum omnibus attinentiis precise ad usum & utilitatem dicti Prepositi in Elnde, & suorum Confratrum dictæ Curiæ pertineat perpetuò pleno Jure, abrenuntiantes simpliciter omni Actioni, per quam hæc nostra Venditio tam legitimè & rationabiliter celebrata per Nos vel Nostros Successores posset imposterum impediri, in quorum Ratihabitionem ampliorem, cum propriis caremus Sigillis, strenuorum Virorum Alberti de Brandeburg, Johannis dicti Slime, & Konemundi dicti Wetzel, Sigillis presentibus usi sumus, & Ego Albertus de Brandeburg, qui mihi & meis heredibus aliquid Juris in dicta Villa ex meorum Progenitorum Successione vendicavi, omni Juri quod mihi vel meis Heredibus competere posset in villa prenarrata de Jure vel de facto, Abrenuntio simpliciter & in toto, & in hujus Abrenuntiationis & predictæ Emptionis testimonium, meum Sigillum apposui ad præsentes. Testes hujus sunt Luderus & Gerlacus Fratres dicti de Brandeburg. Fridericus & Hermannus dicti Rorbelle. Conradus dictus de Amera Castrensis in Creutzburg. Henricus dictus de Tenstett. Hermannus dictus Engell, & Bertoldus de Titzels & Alii plures Fide digni.

Datum & Actum Anno Domini MCCCXVII. in die Jacobi in CREUTZBURG.

L.

L.

Incorporatio Villæ Tunchusen.

MATHIAS DEI Gratia Sanctæ Moguntinæ Sedis Archi-Episcopus Sacri Imperii per Germaniam Archi-Cancellarius Venerabilibus & Religiosis Viris Abbati & Conventui Monasterii in Reinartsborn Ord. S. Bened. Mogunt. Diœcef. Salutem in Eo, qui est omnium vera salus; cum Ecclesia Tunchusen olim Parochia, cujus Jus Patronatûs vobis & vestro Monasterio pertinere dinoscitur, per certos Bonæ Memoriæ Domini Petri Archi-Episcopi Moguntini Predecessoris nostri Commissarios certis & rationabilibus quibusdam ex Causis appareat esse destructa & in se usque ad Fundamentum collisa nec subditos habeat, qui ad ipsius sollemnitates veniant, sed in multis temporibus, Parochianis & Subditis destituta nequaquam adjicere valeat ut resurgat, ex parte vestra nobis instantius exstitit Supplicatum, quatenus Bona, Possessiones & Redditus cum suis pertinentiis universis, propter Divinum Officium à CHRISTI Fidelibus olim prædictæ Ecclesiæ pia devotione collatos, pro Instauratione perpetuæ Vicariæ in eodem vestro Monasterio instaurandæ & per unum ex vestris Fratribus gubernandæ, qui pro memoria apud prædictam Ecclesiam Tunchusen Defunctorum Vicaria celebret in eadem vobis & vestro Monasterio donare concedere dignaremur. Nos igitur &c. An. 1324.

Dat. Erffurt. Anno MCCCXXIV.

LI.

Traditio Henrici Militis de Stolzenhain.

RES debet Veritatis amminiculo fulciri de qua poterit Questionis Scrupulus suboriri; hinc est, quod Nos HENRICUS DEI Gratiâ Numburgensis Episcopus, Recognoscimus & constare volumus præsentium Inspectoribus Universis, quod cum Fidelis noster HENRICUS de Stolzenhain Miles duos Mansos in villa Rotewiz sitos, à Nobis & Ecclesia nostra in Feodum, quia ad Nos & Ecclesiam Jure Proprietatis pertinuerunt solventes annuatim in Festo B. Michaëlis XVI. modios tritici & XVI. modios Ordei Wissenfelsensis mensuræ, & unam marcam, cum aliis suis Juribus & pertinentiis ut in Capella S. Andreæ Apostoli apud Ecclesiam Lislenn contiguè per ipsum funditùs sub Expensis suis constructa & facta perpetuis futuris temporibus, cottidie una Missa pro salute Animarum videlicet HEDEWIGIS Uxoris ipsius, & JOHANNIS Patrui sui. Bonæ Memoriæ, Omniumque Progenitorum suorum per unum de Sacerdotibus in Reinartsborn celebretur, Abbati & Conventui dicti Monasterii legasset & donasset; Nos ad Supplicationem ipsius Militis, Mansos prædictos per ipsum liberè nobis resignatos, Abbati & Conventui Monasterii in Reinartsborn prædictis in proprium dedimus & damus ac donamus presentibus, nostro consensu nostrique Capituli accedente. In cujus Evidentiam Sigillum nostrum & Capituli nostri præsentibus sunt appensa. An. 1325.

Datum Anno Domini MCCCXXV. Dominica die qua cantatur Cantate. Presentibus & Testibus Domino Ottone Decano. Ludovico de Selwiz Milite, & Rembotone de Lissenn. Conrado de Lissenn & multis Aliis Fide dignis.

LII.

Charta Friderici II. Lantgravii qua confirmat omnes Concessiones & Donationes à Progenitoribus suis eidem Monasterio factas.

IN Nomine Domini & Individuæ Sanctæ Trinitatis. Imperat Justitia veri, devotio- An. 1328.
que supplicat virtute præeminentiæ, non solùm in temporalibus Verum in Spiritualibus omnem Divinam Gloriam firmari ampliando, quàm Fulcimento Testium & Scripturæ Fide in terrorem Doli Cecitatisque Caliginem suadet preservare; hinc est quod Nos FRIDERICUS DEI Gratia Turingiæ Landgravius Missinensis & Orientalis Marchio,

 Domi-

Dominusque Terræ Plissinensis ad perpetuam rei firmitatem & Memoriam omnibus præsentibus & futuris volumus esse Notum, quod cum felicis Recordationis Progenitores Nostri Carissimi, speciali Devotione non solummodò ratione Sepulturæ eligendæ, sed etiam ad sollempnitates & Sedulitatem Divinæ Laudis reverenter intensi, in salutem & remedium Animæ suæ, Viris Religiosis, Fratribus, Abbati & Conventui Ord. S. Benedicti in Reinartsbornensi Monasterio, Donationibus, Appropriationibus honoris Jurisque Confirmationibus quacumque Largitione Elemosinarum fuerint inclinati; Nos ad honorem & Reverentiam Omnipotentis DEI Gloriosæque Virginis Matris suæ MARIÆ, nec non Sancti Joannis Evangelistæ, hujusmodi Donationes, appropriationes, Gratias, & consuetudines & quaslibet Elemosinares Largitiones dicto Monasterio ab ipsis nostris Progenitoribus indultas & concessas maturo ex consilio, sanaque deliberatione ratificamus, approbamus, confirmamus denique in his ratificando, confirmando, approbando sollempnitatem cupientes eo Jure, quo tenemur adimplere, mandantes nostri Favoris & Gratiæ sub obtentu, ne quis hujusmodi nostræ Confirmationi præsumat aliquatenus contraire: ut autem hujusmodi nostra Confirmatio Robur ampliùs obtineat firmitatis, præsentes Litteras communitas dedimus Sigilli nostri Principatûs.

Datum & Actum in dicto Monasterio Anno Domini MCCCXXVIII. Feria V. ante Galli Testibus & presentibus Dilectis nostris Viris Nobilibus GUNTHERO Comite de Kevernberg. Henrico Juniore Advocato de Plawen dicto Rusin nostro Capitaneo. Johanne dicto Grosin de Zweschin. Henrico de Tungesfelt. Arnoldo de Hirsfelt. Ottone de Lodewiz Marskalko, Militibus nostris Scutariis & quampluribus aliis Fide dignis.

LIII.

Guntheri Comitis de Keffrenburg Appropriatio quorundam Redditium.

An. 1330. NOS GUNTHERUS DEI Gratiâ Comes in KEFFRENBURG recognoscimus publicè &c. quod intuitu DEI & strenui Viri Brunonis de Weberstete tres Marcas annui redditus à nobis Jure Feodali deservientes appropriamus Cœnobio Reinartsbornensi . . . . Testes hujus sunt Konnemundus & Otto Fratres dicti de Stotternheim Milites; nec non Fridericus de Wittleben, Miles Castrensis in Keffrenburg. Datum Anno MCCCXXX.

LIV.

Litteræ Henrici Numburgensis Episcopi super Jure Patronatûs Ecclesiæ in Lissen.

An. 1330. IN Nomine Domini Amen. Nos HENRICUS DEI Gratiâ Numburgensis Ecclesiæ Episcopus, Recognoscimus, & omnibus tam præsentis quàm futuri temporis volumus esse Notum, quod cum voluntate Domini ERNESTI Præpositi, Decani & totius Capituli Ecclesiæ nostræ consensu unanimi pariter accedente, Religiosis Viris Abbati & Conventui Monasterii de Reinartsborn Ordinis Sancti Benedicti Moguntinæ Diœcesis, supplicantibus sibi suisque Successoribus in perpetuum duximus indulgendum, ut quando vel quoties Ecclesiæ in Lissenn nostræ Diœcesis, predicto Monasterio in Reinartsborn subjectæ pleno Jure similiter & annexæ Rectorem præfecerint, hic Domino Præposito nostro prædicto vel ejus Vicario cum Litteris ejusdem Monasterii Presentationis seu Commendationis & dimidia Marca Friburgensis Argenti, tanquam porcione Canonica se offerat, Curam Animarum jam dictæ Ecclesiæ suscepturus: Decernimus ergo præsentibus firmiter & sancimus, ut Dominus Prepositus, vel ejus Vicarius, qui pro tempore fuerit, præscripta Portione stet Contentus, nec quicquam ampliùs præter æternæ Retributionis Præmium quovis modo expetat vel requirat: ut autem præscripta omnia Robur obtineant perpetuum Firmitatis, hanc Cartam super eo conscribi & Sigillo

Sigillo nostro unà cum Sigillo Domini Ernesti Præpositi & Capituli Ecclesiæ nostræ jussimus communiri.

Datum Anno Domini MCCCXXX. Feria quarta proxima post Dominicam Invocavit.

LV.

Ejusdem Charta altera super Appropriatione quorundam Redditu um.

NOs Fridericus DEI Gratia Thuringiæ Landgravius, Misnensis & Orientalis Marchio, Dominus Terræ Plisnensis, Recognoscimus Præsentium Serie, & ad Universorum tam præsentium quàm futurorum Notitiam volumus pervenire, quod Religiosis Viris Abbati, & Conventui Monachorum in Reinartsborn Ordinis S. Benedicti X. Talenta Denar. Gotensium debita de Mansis villæ Emeleben, sitæ in districtu Nobilis Hermanni Comitis de Glichen, & unam Marcam debitam de Mansis, & Pratis villæ Hoiselgaw Districtûs Thennebergensis, annuæ Pensionis seu Census, quem, in quam Censum, Fidelis noster Conradus de Farenrode, suorum Heredum & aliorum, quorum interest accedente consensu, cum præfatis Religiosis Viris Abbate & Conventu in Reinartsborn, pro nonnullis Bonis seu Redditibus sitis in villa Famar, quos iidem Monachi comparaverant ab Henrico dicto Topelstein Milite, pecunia permutavit, justis causis requisiti legitimè cum Juribus & pertinentiis universis, Libertate, qua decet & convenit, appropriamus, coadunamus, annectimus perpetuis temporibus, pacificè ab Abbate & Conventu, qui pro tempore fuerit possidenda præsentibus Testibus his; Petro dicto Portik Marchalcho Nostro, Godefrido dicto Schindecop Advocato Wartbergense Militibus. Joanne de Isemburg Curiæ Nostræ Protho-Notario & Aliis Fide dignis; & ne Temporis vetustate de præmisso nostro Proprietatis indulto, Error ac oblivio suscitetur, hanc paginam desuper conscribi jussimus, nostrique Principatûs Sigillo majori communiri. An. 1335.

Actum Gotha Anno Domini MCCCXXXV. Feria V. ante Jacobi Apostoli.

LVI.

Traditio Comitum de Osterfelt.

IN Nomine Domini Amen. Quoniam ea quæ fiunt in tempore, labuntur in tempore, expedit, ut ea quæ aguntur, in Scripta publica redigantur. Notum igitur sit omnibus præsens Scriptum inspecturis, quod Nos Joannes & Guntherus Fratres nati Henrici Comitis de Osterfelt & Harmannus noster Patruus Filius Guntheri Comitis, unanimi consensu & bona voluntate, duos Hortos unum situm in villa Lissean, quem quodam dictus Hermannus Schied Jure Hereditario possedit, & alium situm in villa Butzendorff, quem Petrus dictus Behin à Nobis pro tunc habebat, qui solvit annuatim XVI. Grossos usuales. Vendidimus justo venditionis titulo Religioso Viro Domino Theodorico Præposito Ecclesiæ in Lissenn, & suis Successoribus perpetuè possidendos, quos scilicet Hortos donamus & appropriamus Monasterii in Reinartsborn, Cellulæ predictæ, cum omni Jure & Utilitate . . . . ut autem hæc Rata & firma permaneant præsentem Litteram dedimus Sigillo nostrorum Progenitorum ac nostro firmiter Roboraram. Testes hujus rei sive Facti sunt, discreti Viri & honesti Dominus Diteko Miles de Gossaw, Theodoricus dictus Kunt de Ordorff. Alboldus Senior & Filius ipsius Alboldus Advocatus, Conradus de Lissenn, Henricus de Stolzenhain, Henricus Valdisberg, Gebehardus de Salzbach pluresque alii Fide digni. An. 1349.

Dat. Anno MCCCXLIX. Udalrici Episcopi.

LVII.

Charta Friderici III. Lantgravii, qua cuncta Privilegia & Possessiones ejusdem Cœnobii confirmat.

An. 1350. IN Nomine Domini Amen. Nos FRIDERICUS DEI Gratiâ Thuringiæ Landgravius Misnensis Orientalis Marchio, Comes in Orlamunde, Dominusque Terræ Plisnensis; Religiosis Viris Devotis sibi dilectis Abbati & Conventui Monasterii in Reinartsborn Salutem in eo, qui est omnium vera Salus. Ex parte vestri nobis exstitit humiliter supplicatum, ut quascumque Donationes, Gratias, Libertates, Appropriationes, Jura & Privilegia à quibuscumque nostris Progenitoribus vobis & dicto vestro Monasterio concessa & indulta innovare & confirmare dignaremur, vestris igitur in hac parte petitionibus, Divinæ Remunerationis intuitu favorabiliter annuentes, omnes donationes Gratias, Libertates, Appropriationes Jura & Privilegia quæcumque vobis & Monasterio vestro prefato, sub quocumque Tenore & Expressione verborum per quoscumque Progenitores nostros factas, concessas & indultas, facta, concessa, & indulta laudamus, Confirmamus & Ratificamus, & in DEI Nomine præsentibus Approbamus, volentes hujusmodi nostras Innovationes, Confirmationes, Ratificationes, & Approbationes & Privilegia, eundem habere effectum, tantæque existere firmitatis ac si ipsarum & ipsorum Tenores de Verbo ad Verbum essent præsentibus interserti: in Præmissorum omnium Testimonium evidens, Sigilli Nostri Appensione præsentia duximus Roboranda. Præsentibus Testibus Nobilibus Friderico de Schonenburg Domino in Hassenstein. Timone de Colditz Marescalco, ac strenuis Alberto de Malditz Judice Curiæ. Ottone de Stottinheim. Kristano de Witzleiben. Henrico de Brandenstein, Heinrico de Loncha & quampluribus aliis Fide dignis.

Dat. Anno Domini MCCCL. Jubilæo Feria Quinta post diem Paschæ.

LVIII.

Ejusdem Friderici Charta altera, qua Hermanni de Mila Traditionem ratam habet.

An. 1351. IN Nomine Domini Amen. Ne Rerum piè gestarum pereat Memoria, perhennari solet obsequio Litterarum, hinc est, quod Nos FRIDERICUS DEI Gratiâ Thuringiæ Lantgravius, Misnensis Orientalis & in Landisperg Marchio, Comes in Orlamunde, Dominusque Terræ Plissinensis Notum esse volumus, quod ad Interventum Viri strenui Servitoris nostri Dilecti HERMANNI de Mila, Abbati & Conventui Monasterii Reinartsbornensis VI. Maldra avenæ annui Redditus . . . quos à nobis olim Wenceslaus de Lapide Miles in Feodo habuisse dignoscitur, & quos idem Hermannus à nobis in Feodo recepit, ... eidem Abbati . . . . appropriamus & donamus . . . . . Hujus rei Testes sunt Nobiles Timo de Colditz noster Marescalcus, Arnoldus Gudermannus Magister Curiæ. Cristannus de Wizleiben Judex Curiæ Milites. Conradus Cellerarius Reinartsbornensis, ac strenui Hermannus de Mila. Henricus de Loncha. Theodericus de Limpach noster Protho-Notarius nostri Secretarii, & Fidelis Dilecti pluresque alii Fide digni.

Dat. Anno MCCCLI. Feriâ IV. infra Pentecoste.

LIX.

Ejusdem Charta Tertia super Appropriatione quorundam Redditauum.

An. 1354. IN Nomine Domini Amen. Nos FRIDERICUS DEI Gratiâ Thuringiæ Lantgravius, Misnensis, & in Landesberg Marchio, Comes in Orlamunde, Dominusque Terræ Plissinensis Recognoscimus & ad Universorum tam Præsentium quam Futurorum Notitiam

titiam deducimus, quod Divinæ Remunerationis intuitu, nec non ob Progenitorum Nostrorum, Nostræ Heredumque nostrorum Animarum Remedium & Salutem, Religiosis Abbati & Conventui Ordinis Sancti Benedicti in Reinartsborn devotis nobis Dilectis, duas Marcas Reddituum in villa & pago villæ Waltwinkel sitas, quas apud Nobilem HARTINGUM de Erfa Secretarium & Fidelem nostrum, justo Emptionis & Venditionis interveniente contractu sua peccunia compararunt, recepta Resignatione Libera earundem, appropriavimus & aggregavimus ac presentibus appropriamus & favorabiliter unimus.

Datum GOTHA Anno Domini MCCCLIV. Feria IV. infra Octavam Pascæ presentibus & Testibus Nobili Henrico Comite & Domino in Swartzeburg. Kristano de Wirzenleben Judice Curiæ, Henrico de Kodewiz Cancellario, & Arnoldo Juderman Secretariis & Fidelibus nostris Dilectis pluribusque aliis Fide dignis.

LX.

Friderici & Balthasaris Lantgraviorum Donatio Medietatis Curiæ in Salza.

IN Nomine Domini Amen. Nos FRIDERICUS & BALTHASAR DEI Gratiâ Thuringiæ Landgravii Missnenses, Orientales & in Landisberg Marchiones, Comites in Orlamunde, Dominique Terræ Plissnensis: Notum facimus omnibus & singulis presens Scriptum intuentibus in perpetuum publicè protestantes, quod Divinis Officiis, Jejuniis, & Orationibus frequenter mancipatis, Elemosinarum donatione subvenire feliciter cupientes, Partem sive Medietatem Curiæ in Civitate Saltza sitæ, Juris via & Rigore Justitiæ à Nobilibus Fratribus de Saltza Nobis rationabiliter acquisitæ, & obtentæ, Divinæ Remunerationis intuitu nec non ob Progenitorum nostrorum, Nostræ pariter & Heredum nostrorum Salutem Animarum nomine, Nostri, Fratris nostri Dilecti WILHELMI ac Heredum nostrorum cum omnibus Honoribus, Commodis, Utilitatibus, Libertatibus sicut eandem Curiam retroactis Temporibus possidentes tenuerunt; Religiosis Domino Abbati, nec non Conventui Ordinis Sancti Benedicti in Reinartsborn commorantibus dedimus, donavimus & appropriavimus à Nobis Nostrisque Heredibus perpetuis temporibus pacificè possidendam, tenendam & habendam, & in suos usus, prout ipsis meliùs videbitur, liberè convertendam, & nihilominùs harum Patrocinia Litterarum damus, donamus & in legitimæ Proprietatis Beneficium perpetuò duraturæ appropriando laudabiliter confirmamus, dantes eis desuper præsentem Litteram Nostris Sigillis appensis firmiter Roboratam in Evidentiam pleniorem. Præsentibus Testibus Religioso Domino Abbate Salveldensi, ac strenuis Kristano de Wizenleiben, Joanne de Lengefelt, Henrico de Loncha, Hesin de Falkenstein, & Aliis quampluribus Fide dignis. An. 1365.

Datum ISENACH Anno Domini MCCCLXV. Feria IV. post Trinitatis.

LXI.

Gerlacus Archi-Episcopus Moguntinus in Reinhartsbornenses Beneficus.

GERLACUS DEI Gratiâ Sanctæ Moguntinæ Sedis Archi-Episcopus Sacri Imperii per Germaniam Archi-Cancellarius. Ad Universorum tam præsentium quàm futurorum precipuè tamen, quorum intereft aut intererit Notitiam, tenore præsentium deducimus, quod deliberatione matura prehabita, Utilitate & Commodo nostri & nostræ Ecclesiæ diligenter attentis, freti Sapientum Consilio; partem Curtis seu Areæ nostræ devastatæ, desertæ & inutilis sitæ infra muros Oppidi nostri Salza prope Portam Sancti Jacobi ibidem quam noviter Juris Rigore & Justitia mediante à Nobilibus JOHANNE & FRIDERICO Dominis de Salza de novo conquisivimus & Titulo Proprietatis tenuimus, causa Pietatis moti, pro Nostræ ac Nostrorum Predecessorum Animarum Remedio & Salute, Religiosis Abbati & Conventui Monasterii Reinarts- An. 1365.

Reinartsbornenſis Ordinis S. Benedicti noſtræ Diœceſis in Emphiteoſim locavimus & tradidimus perpetuè ab ipſis eorum Poſteris & Monaſterio poſſidendam taliter, quod ipſi & eorum Monaſterium, omnibus & ſingulis Annis in Feſto S. Michaëlis Archangeli Nobis Noſtriſque Succeſſoribus ac Eccleſiæ Noſtræ Magontinæ perpetuò. II. Pullos annui perpetui Cenſus in ſignum Noſtri directi Dominii, pro Canone ſolvere tenebuntur, & debebunt, quos quidem duos Pullos Canonis ſeu perpetui Cenſus, Nomine Noſtri & Eccleſiæ noſtræ Proviſori Allodii Erffurti aut Officiato noſtro & Eccleſiæ Moguntinæ in Oppido Salza pro tempore exiſtenti in ſingulis S. Michaëlis Feſtivitatibus perpetuò ſolvere, dare & procurare debebunt, quibus etiam Proviſori & Officiato poſtulationem & receptionem dictorum duorum Pullorum Canonis ſeu Cenſus noſtri, & Eccleſiæ Moguntinæ Nomine faciendam committimus per præſentes.

Datum Aschaffenburgi XXII. die Menſis Junii Anno Domini MCCCLXV.

(o)

X.

EXCERPTA NECROLOGII VETERIS ABBATIÆ MOLLENBECANÆ.

JANUARIUS.

	Kal. Jan.	*Godeſcalcus* Epiſcopus.
II.	Non.	*Balbucius* Archi-Epiſcopus.
V.	Idus.	*Saracho* Abbas & Confeſſor.
XIV.	Kal. Febr.	*Bia* Concluſa.
XII.	Kal.	*Reinſuvit* Nobiliſſima Domina.
		Paschalis Papa.
X.	Kal.	Otto Imp.
IX.	Kal.	*Helmburg* Abbatiſſa.

FEBRUARIUS.

IV.	Nonas.	*Herburg* Abbatiſſa.
		Friderun Abbatiſſa.
		Theodericus Epiſcopus.
III.	Nonas.	Dagabertus Rex & Amicus S. Dionisii.
VII.	Idus.	*Adelbertus* Epiſcopus.
		Methilt Abbatiſſa.
		Henricus Comes & *Everhardus* occiſi ſunt.
VI.	Idus.	*Hademoth* Abbatiſſa.
V.	Idus.	*Bernardus* Dux.
IV.	Idus.	*Brun* Epiſcopus Mindenſis.
III.	Idus.	*Hadaburg* Abbatiſſa.
	Idus.	*Ecvvardus* Epiſcopus.
XV.	Kal. Mart.	*Anno* Mindenſis Epiſcopus.
XIV.	Kal.	*Rabodo* Comes.
XI.	Kal.	*Thidericus* Epiſcopus.
VI.	Kal.	*Reinmoth* Abbatiſſa.
V.	Kal.	Konegunt Imperatrix.
II.	Kal.	*Humfridus* Archi-Epiſcopus
		Thidericus Epiſcopus.

MAR-

MARTIUS.

	Kalend.	BIA Abbatiſſa hujus Cœnobii. *Bia* Abbatiſſa cum ſumma Devotione contulit Eccleſiæ noſtræ ſeptem Manſos, & Homines proprios.
IV.	Nonas.	BERTHEIT Abbatiſſa hujus Cœnobii.
III.	Nonas.	*Thetmarus* Mindenſis Epiſcopus Beatæ Memoriæ.
IV.	Idus.	*Vuicſuvit* Advocatiſſa in Molenbike, quæ contulit Eccleſiæ noſtræ XX. Manſos.
		Thetmarus Abbas.
III.	Idus.	METHILDIS hujus Cœnobii Abbatiſſa. *Methilt* piæ Memoriæ in Ornatum Eccleſiæ noſtræ contulit tres Caſulas, aureum Calicem, Crucifixum, duo Tapetia & unum Ruckelaken & Cappam purpuream & duos Manſos.
II.	Idus.	*Jutta* Abbatiſſa.
	Idus.	*Bertoldus* Epiſcopus Hildenſſemenſis.
XV.	Kal. April.	*Hunur* Abbatiſſa.
XIV.	Kal.	ODILA Abbatiſſa hujus Cœnobii, piæ Memoriæ, contulit Nobis Bona in Holeberge, quæ ſolvunt Nobis VI. Solidos.
VIII.	Kal.	*Renwif* Abbatiſſa.
VII.	Kal.	*Volcbreth* Comes.
VI.	Kal.	*Hermannus* Dux.

APRILIS.

VIII.	Idus.	ALVERAT hujus Cœnobii Abbatiſſa.
		Herman Abbas.
III.	Idus.	*Oda* Abbatiſſa.
		Siwif Abbatiſſa.
II.	Idus.	*Oſterlint* Abbatiſſa.
	Idus.	*Paternus* Incluſus.
XV.	Kal. Maj.	*Methilt* Abbatiſſa in Berſne.
XIV.	Kal.	*Milo* Epiſcopus Mindenſis dedit nobis in Cœna Domini duas magnas Simellas.
XII.	Kal.	*Rigiza* Abbatiſſa.
X.	Kal.	*Hildeſuvit* Abbatiſſa.
IX.	Kal.	*Hildeſuvint* Abbatiſſa.
		Seburg Abbatiſſa.
VIII.	Kal.	*Everhardus* Epiſcopus.
VI.	Kal.	*Hadevuig* Abbatiſſa.
V.	Kal.	*Adildag* Epiſcopus.
		Abbericus Abbas.
		Hozel Epiſcopus.
IV.	Kal.	*Adildagus* Archi-Epiſcopus.
III.	Kal.	*Sivardus* Mindenſis Epiſcopus.
II.	Kal.	*Wizenburch* Abbatiſſa.

MAJUS.

VI.	Nonas.	*Berthilt* Abbatiſſa.
VIII.	Idus.	OTTO IMP.
VII.	Idus.	*Adelgarius* Archi-Epiſcopus.
VI.	Idus.	*Heinricus* Comes.
X.	Kal. Junii.	HEINRICUS IMP.
VIII.	Kal.	*Tugumir* Dux.
Prid.	Kal.	*Hermannus* Comes.

JUNIUS.

V.	Nonas.	*Drogo* Episcopus.
		Meinwercus Episcopus.
VII.	Idus.	*Erekembertus* Episcopus.
VI.	Idus.	*Rothardus* Venerabilis Abbas.
V.	Idus.	*Bardo* Archi-Episcopus.
		Poppo Episcopus.
IV.	Idus.	RIKENZE IMPERATRIX.
III.	Idus.	*Widekindus* Comes.
		Reinbertus Archi-Episcopus.
XIV.	Kal. Julii.	*Thetmarus* Archi-Episcopus.
		Reinvuart Abbas.
		FRIDERICUS IMP. Romanorum.
		Eile Venerabilis Abbatissa.
XI.	Kal.	*Wilbrandus* Comes.
		Rudolfus Comes.
VIII.	Kal.	*Bertsuvit* Abbatissa piæ Memoriæ.
VI.	Kal.	*Lutger* Comes.
		Otto Comes.
		Brun Comes.
III.	Kal.	*Gero* Archi-Episcopus.

JULIUS.

	Kalend.	*Hildeburg* Abbatissa.
		HEINRICUS REX.
		Bodo Episcopus.
Prid.	Nonas.	*Adolfus* Comes apud Paganos occisus.
	Nonis.	*Fridericus* Comes.
VIII.	Idus.	SIBURH Abbatissa hujus Cœnobii.
		Richburh Abbatissa.
III.	Idus.	HEINRICUS IMP.
	Idus.	*Bernhardus* Comes.
XIII.	Kal. Aug.	*Conradus* Comes occisus.
IX.	Kal.	EILBURH hujus Cœnobii Abbatissa.
VII.	Kal.	*Duodo* Episcopus.
VI.	Kal.	*Lutharius* Episcopus.
		Heinricus Comes.
Prid.	Kal.	*Atta* Abbatissa.

AUGUSTUS.

	Nonis.	*Heinricus* Comes.
VIII.	Idus.	*Hecele* Episcopus.
VII.	Idus.	HEINRICUS IMP.
VI.	Idus.	*Beatrix* Abbatissa.
IV.	Idus.	*Helmburh* Abbatissa.
II.	Idus.	GODEFRIDUS Dux & REX Hierosolimorum.
		Walthardus Archi-Episcopus.
	Idus.	*Thidericus* Comes.
		Ludolfus Abbas.
XIX.	Kal. Sept.	*Tetmarus* Comes.
XII.	Kal.	*Odila* Abbatissa.
XI.	Kal.	*Vuillibrandus* Comes.

VIII. Kal.

VIII.	Kal.	*Levizo* Episcopus.
VII.	Kal.	Obiit HILDEBURH hujus Loci Fundatrix.
IV.	Kal.	*Wolcmarus* Episcopus.

SEPTEMBER.

VIII.	Idus.	*Bernharius* Episcopus.
	Idus.	*Gevo* Comes.
		Arnolphus Comes.
XVII.	Kal. Oct.	*Wolcharius* Episcopus.
XV.	Kal.	*Baduradus* Episcopus.
XI.	Kal.	*Ida* Comitissa.

OCTOBER.

	Kalend.	*Reinvuardus* Episcopus.
V.	Nonas.	*Hildegart* Comitissa.
III.	Nonas.	HEINRICUS Tertius Roman. IMP.
VI.	Idus.	*Sigebertus* Episcopus.
Prid.	Idus.	*Hartuvih* Episcopus.
	Idus.	*Rodolf* Dux.
XVI.	Kal. Nov.	SIMOT Abbatissa hujus Cœnobii.
XV.	Kal.	*Reinoldus* Comes.
		Udo Episcopus.
		Borgisus Episcopus.
XIII.	Kal.	*Heinricus* Dux.
VI.	Kal.	*Adelvvardus* Episcopus.

NOVEMBER.

IV.	Nonas.	*Godefridus* Comes occisus.
VIII.	Idus.	*Fridericus* Comes.
IV.	Idus.	*Wernerus* Mindensis Episcopus.
III.	Idus.	*Eila* Comitissa.
		Rotger Comes.
	Idus.	*Adolphus* Comes.
XVII.	Kal. Dec.	WINDELBURH hujus Cœnobii Abbatissa.
XVI.	Kal.	*Themarus* Episcopus.
IX.	Kal.	*Ribburh* Abbatissa.
V.	Kal.	*Godekin* Comitissa.
III.	Kal.	*Richertus* Episcopus.

DECEMBER.

	Kalend.	*Emma* Comitissa.
		Eilbertus Episcopus Mindensis cum summa Devotione contulit Nobis LX. panes, dimidios Albos & dimidios Siligineos; unum porcum; X. modios Avenæ.
III.	Nonas.	LUTGERUS IMP. Romanorum.
Prid.	Non.	*Anno* Coloniensis Episcopus.
		Tetmarus Episcopus Monachus.
VII.	Idus.	OTTO IMP.
VI.	Idus.	*Odalrici* Episcopi.
		Heile Ductrix.
IV.	Idus.	*Folcmarus* Episcopus.
III.	Idus.	ADELEIDIS hujus Cœnobii Abbatissa.

XVIII.	Kal. Jan.	*Godefcalcus* Epifcopus.
		Heremannus Comes.
XVII.	Kal.	Abuc Abbatiffa hujus Cœnobii.
XVI.	Kal.	Adelheit Imperatrix.
XII.	Kal.	Thidericus Cardinalis.
XI.	Kal.	*Ricwera* Abbatiffa in Wngeteftorf.
VI.	Kal.	*Hildeswit* Abbatiffa.
V.	Kal.	*Widigo* Epifcopus Mindenfis.
		Alberat Comitiffa.
IV.	Kal.	*Wicburh* Abbatiffa.

XI.
NOTITIÆ MONASTERII OMNIUM SANCTORUM.

I.
Sententia Arbitralis Lata fuper Poffeffione quadam in Hefelinbah.

An. 1221. B. Decanus F. Cantor Argentinenfis, Domini Papæ Judices delegati, omnibus CHRISTI Fidelibus præfentem paginam intuentibus Rei Geftæ Notitiam. Quoniam cum tempore labi confuevit Hominum Memoria, & invidia mordax & Amor Lucri, qui proximis & parentibus præfertur, Lapfu temporis inducere confuevit difcordias, neceffe eft, frequenter Hominum Gefta Schedulis annotare: Noverint igitur tam præfentes quàm futuri præfentem paginam infpecturi, quod cum Waltherus Præpofitus Omnium Sanctorum à Domino Papa, Judices fuper quadam Poffeffione in Hefilnbach, Nos elegiffet, Partibus ad noftram præfentiam fæpiùs citatis, eisque prout Jus exigebat Juri competentibus & allegationibus hinc inde propofitis, tandem de Prudentum Virorum Confilio ab utraque parte in Arbitros eft compromiffum, qui taliter arbitrati funt, quod Heredes Domini B. Fratris Arnoldi, Hereditatem de qua Lis vertebatur, à jamdicto Præpofito & ejus Succefforibus hereditario Jure recipiant, mediante Jure quod dicitur *Erfchaz*, & fingulis Annis eidem Cenobio XI. Uncias Argentinenfis Monetæ in cenfu dabunt in Fefto fiquidem S. Joannis Baptiftæ, & Fefto B. Martini & fic Hereditatem fuam quietè poffidebunt, fi quem autem prædictorum mori contigerit cafum qui dicitur *Val*, eidem Cenobio donabit, & quia Ego B. Decanus huic arbitrio intereffe nequivi, dilectum Confratrem & Scholafticum Majorem Domino Cantori Conjudicem conftitui, qui vicem meam fideliter gerens huic controverfiæ finem imponi laboravit.

Acta Anno Domini MCCXXI. Menfe Julii.

II.
Confirmatio Amicabilis Compofitionis initæ inter Præpofitum Monafterii Omnium Sanctorum & Bertoldum de Winterbach.

An. 1218. Bertholdus DEI Gratiâ Argentinenfis Epifcopus, Omnibus præfentem paginam infpecturis, firmiter credere quod teftatur. Noverint Univerfi præfentes & futuri, quos noffe fuerit opportunum, quod Fratres Ordinis Prædicarorum fcilicet R. de Gutenftein & A. de Megedeburch nobis ex parte Bertholdi Militis de Winterbach

bach veraciter retulerunt, quod jussi essent & rogati per eundem B. Militem, quod ipsi duo, pro prædicto Milite in nostra profiterentur & protestarentur præsentia sic esse ordinatum coram multis inter eundem Militem & Præpositum & Conventum de omnibus Sanctis, Præmonstrarensis Ordinis, quod Pensio illa videlicet XVI. solidi Denariorum XXVII. Siliginis XII. avenæ & II. Pisæ Quartalia, quam Ecclesia de Omnibus Sanctis dare tenetur annuatim in Festo S. Michaëlis de Bonis suis Militi supradicto quamdiu vixerit, quæ de VII. Marcis, quas Ecclesia de Omnibus Sanctis daret & de triginta tribus Marcis Argenti quas dictus Bertholdus miles & AGNES Uxor sua defuncta Ecclesiæ omnium Sanctorum in Remedium suarum & Antecessorum suorum Animarum contulerunt, ad emendum quoddam Allodium cujus Proventus idem Bertholdus Miles & dicta Agnes Uxor sua temporibus Vitæ suæ tantum & nullus de Heredibus eorum percipere deberent, secundùm æstimationem Prudentum Virorum posset comparari post mortem memorati Bertholdi Militis integraliter cedere debet Ecclesiæ Omnium Sanctorum antedictæ: similiter quædam vinea in Lienbach sita X. Marcis empta a prædicto Bertholdo Milite & Agnete Uxore ejus defuncta, eidem Ecclesiæ Omnium Sanctorum collata sub hac forma, quod Usumfructum ejusdem Vineæ tempore vitæ suæ, pro Ama vini dictæ Ecclesiæ annuatim ab ipsis danda sibi retinerent, post Obitum sæpedicti Militis prænominatæ Ecclesiæ cedet liberè & absolutè: Turrim verò Lapideam in Winterbach dictus Bertholdus Miles & sui Heredes Jure hereditario possidebunt, ab Ecclesia de omnibus Sanctis, sed tamen idem Miles & sui Hæredes dabunt annuatim eidem Ecclesiæ in Censu Amam vini de Turri antedicta: ne ergo super præmissis inter dictum Bertholdum Militem vel suos Heredes & Ecclesiam de omnibus Sanctis &c.

Datum Anno Domini MCCXXVIII.

III.

Bertholdi Episcopi Argentinensis Notitia pro Donatione Gutæ Nobilis Matronæ.

BERTHOLDUS DEI Gratiâ Argentinensis Episcopus Universis præsentem Paginam inspecturis Salutem in vero Salutari. Cùm Cœnobium omnium Sanctorum ad Ecclesiam nostram specialiter pertineat, tenemur modis omnibus ad ipsius promotionem, auxilio & consilio laborare: Notum sit igitur tam præsentibus quàm posteris Dominam GUTAM de Reinichen omnem possessionem suam de voluntate & consensu nostro eidem Ecclesiæ in Remedium Animæ suæ per manum nostram assignâsse, ut autem præfata donatio rata permaneat & inconvulsa præsentem Cartulam Sigilli nostri appensione munitam, jam dicto Claustro in Testimonium concessimus habendam. An. 1229.

Actum Anno Domini MCCXXIX.

IV.

Notitia pro Venditione Curiæ in Satzbach facta in Favorem Monasterii Omnium Sanctorum.

NOtum sit tam præsentibus quàm futuris, quod Ego RENBOTO Hirsaugiensis Abbas, & totus ejusdem Cœnobii Conventus gravati onere debitorum, pensata necessitate Ecclesiæ Curiam nostram in Satzpach cum omni Jure & pertinentiis & Decima nobis pertinente per totam Parrochiam H. Præposito & Capitulo Monasterii Omnium Sanctorum Præmonstratensis Ordinis, Argentinensis Diœcesis ac per eos ipsi Monasterio pro XX. Marcis argenti purè vendidimus, ita quod ipsi præfatam Curiam ac Decimam de manu obligatoriorum redimere debeant, qui eadem Bona titulo Pignoris detinent obligata: verùm quia iidem detentores Pignorum, nobis in Bonis eisdem diversas hactenùs irrogârunt Injurias & supra sortem multo ampliùs An. 1233.

perceperunt, quicquid ex hoc nobis erga ipsos competit quæstionis, totum damus & concedimus Monasterio memorato, ut autem dictus Emptionis & Venditionis contractus in perpetuum permaneat illibatus præsentem Cartam conscribi fecimus.

Acta sunt hæc Anno Domini MCCXXXIII. XVII. Kal. Septemb. in Capitulo Hirsaugiensi.

V.

Adelheidis Nobilis Matronæ Donatio Curiæ in Hasela.

An. 1147. EGo ADELHEIDIS, Relicta Nobilis Viri GOTFRIDI piæ Memoriæ de WOLFHAHE, omnibus præsentem Paginam inspecturis; sciant Universi quos scire expedit, quod Ego in Remedium Animæ meæ & Gotifridi Mariti mei Bonæ Memoriæ, emi Ecclesiæ Omnium Sanctorum in Nigra Silva, Præmonstratensis Ordinis, quandam Curiam sitam in Hasila prope Obitkilche cum omnibus suis Attinentiis, pro XXII. Marcis Argenti, tradens & conferens Ecclesiæ prælibatæ Possessionem ejusdem Curiæ sub tali Forma, quod Præpositus & Conventus ejusdem Ecclesiæ dabunt mihi temporibus vitæ meæ omnes proventus Curiæ prædictæ; post mortem verò meam medietas dictorum proventuum debet cedere WILLEBIRGI Famulæ meæ annuatim, Willibirga verò defuncta, sæpe dicti Proventus integraliter cedent Ecclesiæ memoratæ.

Actum Anno Domini MCCXLVII.

VI.

Henrici Episcopi Argentinensis Confirmatio Compromissi inter Præpositum Omnium Sanctorum & Reinhardum de Winegge.

An. 1149. H. DEI Gratiâ Argentinensis Episcopus scire volumus Universos Litterarum præsentium Inspectores, quod cum inter H. Præpositum & Conventum Omnium Sanctorum Præmonstratensis Ordinis in Nigra-Silva ex una parte, & Dominum REINHARDUM Militem de WINEGGE Fidelem Nostrum ex altera, super quadam Curia in Sachbach sita, & Decimis eidem attinentibus aliquamdiu discordia mota fuisset, tandem ex Parte R. in Archipresbiterum de Otirswiller, Hertwigum militem de Schowinburc & H. militem de Otirswiller; ex parte vero Præpositi & Conventus in Dominum B. de Nuwenstein & B. dictum Lise, & Ulricum dictum Colbi Milites, pro Bono Pacis exstitit compromissum, qui sex in hunc modum Arbitrantes, statuerunt quod dicti Præpositus & Conventus in Nigra Silva omni Impetitioni seu Actioni quam in præfatum R. occasione Damnorum ipsis ab eo pro Bonis eisdem sive de Jure sive de facto illatorum, quæ damna circa XL. Marcas æstimabant, purè & simpliciter renuntiarunt, IV. Marcas Argenti, quas idem Miles ipsis solvere tenebatur, eidem insuper remittentes, & de Bonis in Nuizaz de quibus Fratres prædictæ Domus usque modo X. solidos singulis annis receperant, deinceps recipient Libram Ceræ, Mortuariorum Jure quod habent in Persona, quæ Curiam eandem habet, ipsis Fratribus reservato, ipse verò R. & sui Heredes Legitimi, Præpositum sæpe dictum & Fratres in Curia prædicta & Decimis non gravabunt, sed ipsos eandem quietè & pacificè debent permittere de cœtero possidere, hanc Compositionem nos ratam habentes & gratam, ipsam præsentibus confirmamus & in ejus Memoriam ipsis nostrum Sigillum una cum Sigillis dicti R. & Patruelis sui Regbotonis & Conventus memorati duximus appendendum.

Datum Anno Domini MCCXLVIIII. XVIII. Kal. Feb.

VII. *Ven-*

VII.

Venditio quorundam Bonorum Henrici Villici de Offenburc facta in Favorem Cœnobii Omnium-Sanctorum.

NOtum sit omnibus præsentis Paginæ Inspectoribus & tenoris ejusdem Auditoribus, quod Ego Heinricus Villicus de Offinburc de consensu & voluntate Fratrum meorum Friderici scilicet & . . . . . de Vesinbach vendidi universa mea Bona sive sint propria sive hereditaria, quæ habui sita in Banno Villæ Sande, quæ est vicina Villæ Willestetin videlicet LX. Jugera & unum Terræ Arabilis & tantum de pratis quantum XIV. Viri una die poterunt desalcare, & Redditus XII. Solidorum Denariorum & XII. Canonum singulis Annis de Curiis & Domibus sitis in dicta Villa Sande, Præposito & Conventui Ecclesiæ Omnium Sanctorum Præmonstratensis Ordinis Argentinensis Diœcesis pro XXVI. Marcis puri & Legalis Argenti, quorum Bonorum possessionem ipsis Præposito & Conventui tradidi & assignavi tenenda in perpetuum ab iisdem, quorum etiam Bonorum prætium videlicet dictas XXVI. Marcas Litteris præsentibus ab ipsis me confiteor recepisse; de parte verò Bonorum antedictorum Præpositus & Conventus sæpedicti solvent annuatim pro Censu IV. Solidos Argentinensis Monetæ Priorissæ & Dominabus de Sancta Agnete extra Muros Argentinenses: ne autem inter me & meos Successores ex una parte, & Præpositum & Conventum prænominatos ex altera aliquid possit imposterum super venditione dictorum Bonorum quæstio vel ambiguitas aut discordia suboriri præsenrem paginam Sigillis Reverendi in Christo Patris ac Domini mei H. Argentinensis Episcopi & Civitatis in Offinburch communitam in Testimonium & Evidentiam præmissorum duxi conferenda. An. 1254.

Actum Anno Domini MCCLIV. XIII. Kal. Julii.

VIII.

Donatio Utæ Nobilis Matronæ.

NOs Uta Relicta Nobilis Viri Domini Gotfridi Comitis de Calwe piæ Recordationis, Omnibus præsentis paginæ Inspectoribus, vel tenorem ejusdem Auditoribus, volumus esse notum, quod Nos DEI & Omnium Sanctorum intuitu, & pro Remedio Nostræ & dicti Mariti nostri Animarum, Proprietatem Bonorum sitorum in villa & Banno Walrhorf, quam Burkardus Conversus Ecclesiæ Omnium-Sanctorum à Nobis & Marito nostro in Feodo tenebat, quamdiu fuit in Sæculo, Ecclesiæ Omnium-Sanctorum prædictæ dedimus & damus, contulimus & conferimus in perpetuum tenenda & possidenda ab eodem liberè, pacificè & quietè, & sine qualibet Exactione Angariis & Collecta atque Servitiis, nolentes, quod aliquis Heredum vel Successorum nostrorum, quicquam Juris deinceps sibi vendicet in Bonis eisdem, & in Testimonium & Evidentiam atque probationem præmissorum, præsentes Litteras conscribi fecimus. An. 1262.

Datum Anno Domini MCCLXII. in Octava Beati Martini.

IX.

Salguntæ Viduæ & Filii sui Donatio quorundam Bonorum.

NOverint Universi tam præsentes quàm Posteri hujus Litteræ Inspectores, quod Ego Salgunt Relicta quondam Cunradi dicti Magi, Civis Argentinensis, & Peregrinus, Scolaris Filius meus, Bona nostra, Agros scilicet viniferos in Banno Berchem, duos Agros *in dem Vorsti*, qui vulgò dicuntur *die Brattin Rebin*, unum Agrum in Rollimatin, dimidium Agrum in Rutineich, Agrum unum in Banno Eichohi juxta vineas Monachorum de Altorf sitos, & Redditus XIV. Sextariorum Sili- An. 1270.

Oo ginis

ginis annuatim in villa Gireshein, Fratribus & Monasterio Omnium-Sanctorum Ord. Præmonstratensis, purè & simpliciter propter DEUM conferimus & donamus in Remedium Animarum nostrarum, Donatione facta inter vivos purè & simpliciter & irrevocabiliter, & in totum omne Jus & Dominium, quod in eisdem Bonis habuimus & habere debuimus, in prædictos Fratres & Monasterium absolutè & liberè transferendo; in cujus rei Testimonium Sigillum Curiæ Argentinensis, nostris precibus præsenti Scedulæ est appensum.

Nos BILLUNGUS Judex Curiæ Argentinensis præmissam Donationem coram nobis esse factam publicè protestamur Sigillum Curiæ Argentinensis in Testimonium appendentes.

Actum & datum Anno Domini MCCLXX. VI. Idus Augusti.

X.

Traditio annui Census VIII. Solidorum facta de Consensu Ottonis Comitis de Eberstein.

An. 1272. NOtum sit Universis tam præsentibus quam Posteris hujus Paginæ Inspectoribus, quod Nos CUNRADUS, MEINLOCHUS, ETHICO, & OTTO Fratres de TETELINGEN voluntate libera offerimus & damus purè & simpliciter propter DEUM & Remedium Animarum felicis Memoriæ E. Patris nostri H. Matris nostræ & B. Fratris nostri, Fratribus Ecclesiæ Omnium-Sanctorum Præmonstratensis Ordinis, Argentinensis Diœcesis in veram & perpetuam Possessionem, Redditus annuatim octo Solidorum Argentinensis Monetæ Usualis de Prædio nostro in Kartung, quod à Venerabili Domino nostro Ottone Illustri Comite de Eberstein, Jure Feodi possidemus, & prædictos hos octo Solidos statuimus & promittimus in Festo Beati Martini singulis annis, prædictis Patribus & Ecclesiæ persolvendos.

Nos verò Otto Comes de Eberstein Petitioni supradictorum Fratrum Conradi, Meinlochi, Ethiconis & Ottonis annuentes præfatam Donationem secundum formam præscriptam fieri concedimus, Ratam & Firmam habentes per omnia & nostra Auctoritate pleniùs confirmamus, & ut Robur obtineat sempiternum, præsentem Paginam nostri Sigilli . . . .

Datum in Novo Castro Eberstein Anno Domini MCCLXXII. in Octava Purificationis.

XI.

Concordia inita inter Henricum Comitem de Furstemberg & Præpositum ac Conventum Omnium-Sanctorum super Curia in Nuspach.

An. 1275. IN Nomine Domini, Amen. Orta dissensionis Materia inter Virum Nobilem, Dominum HEINRICUM Comitem de VURSTENBERC ex una, & Præpositum ac Conventum Monasterii Omnium-Sanctorum Ordinis Præmonstratensis ex parte altera, super Curia inferiori in Nuspach, & Jure Patronatus Ecclesiæ, dictæ Villæ & omnibus possessionibus & Juribus ac attinentiis translatis in præfatum Monasterium occasione venditionis eidem Monasterio factæ pro certa summa Argenti, à Felicis Memoriæ quondam Matre ipsius Comitis tunc in minoribus annis constituti, tandemque dissensione hujusmodi, mediantibus Viris Venerabilibus Domino Walthero Nobili de Clingin, Magistro Engilberto & Heinrico Milite de Ostarch, Arbitris ad hoc ab ipsis Partibus communiter deputatis, amicabiliter sopitâ; Nos Heinricus Comes de Vurstenberc antedictus Curiam prænotatam cum Jure Patronatus spectante in eandem & omnibus Juribus ac attinentiis supradictis emimus & comparavimus à Monasterio antedicto pro CXX. Marcis Argenti puri & Legalis Ponderis, confitentes Nobis in aliis Bonis omnibus & Juribus, quæ idem Monasterium possidet in præsenti, vel possedit usque

usque in hodiernum diem competere nihil Juris, & Renuntiamus Bonis & Juribus hujusmodi & actioni seu Juri, quæ vel quod nobis pro eisdem posset competere & in ipsis; & specialiter Renuntiamus omni Juri competenti Nobis in Curia Superiori sita in dicta villa cum omnibus suis attinentiis, possessionibus, hominibus, Mortuariis, quæ *Vell* dicuntur communiter, & Juribus quibuscumque, secundum quod hæc in Privilegiis dicti Monasterii continentur, & quæ hactenus possederunt & quæ ab eis usque in hodiernum diem etiam possident, ita quod salvum sit dictis Præposito & Conventui Jus instituendi in Ecclesiis vel præsentandi Vicarios ad Ecclesias de Nuspach, de Nopinowe, de Obirkilche & in Capella de Schowenborch juxta consuetudinem antiquitus observatam, percipiendi quoque Decimas & Oblationes ibidem, quas ipsi ab antiquo percipere consueverunt, quæ omnia Bonæ Memoriæ UTA quondam Ducissa de Schowinburch dicto Monasterio contulit propter DEUM; Renuntiamus etiam possessionibus & Bonis, quæ dicuntur *Rebhoff* cum omnibus suis attinentiis specialiter Bonis, quæ dicuntur *in dem Lohi, an dem Hungirberge, an Volmarsberge* cum Silva pertinente ad Rupem, quæ dicitur *Swalwnstein*, & Bonis quæ dicuntur *Vogelsanck* & omni questioni quam possemus habere contra dictos Præpositum & Conventum super pratis per quæ ad ipsorum Molendinum aqua decurrit, & super Rebus aliis quibuscumque; promittentes Fide præstita Corporali, quod eosdem Præpositum & Conventum nequaquam de cætero molestabimus quoquo modo in Judicio vel extrà occasione Bonorum quorumcumque, quæ iidem possident & jam tenent, vel alia quacumque de causa, sed cum eis pacem perpetuam servabimus, nec per Famulos nostros apud Vurstenberc, vel alios quoscumque Nobis attinentes permittemus, nec procurabimus dictis Præposito & Conventui vel alicui ipsorum injuriam aliquam vel molestiam irrogari. Insuper concedimus & donamus dictis Præposito & Conventui in Remedium Animarum nostrarum & simpliciter propter DEUM, ut liceat eis recipere & tenere de nostra Licentia & permissione seu donatione præsenti, Terras & Possessiones quascumque quæ ipsis à Vasallis vel aliis nostris Hominibus Feoda tenentibus à nobis, vel alias nobis attinentibus, liberè conferuntur, vel quæ jam eis sunt vendita vel donata, in cujus rei Testimonium præsentes Litteras Præposito & Conventui prædicti Monasterii, Venerabilis Domini nostri DEI Gratia Argentinensis Episcopi, & Nostri, Godefridi Fratris nostri, Liberorum CUNRADI quondam Fratris nostri Comitis de Friburch videlicet Eginonis & Heinrici, quorum nomine & nostro prædictam Curiam comparavimus in modum superius expressum, Sigillorum munimine tradimus roboratas.

Nos GOTEFRIDUS antedictus, Canonicus Ecclesiæ Constantiensis, EGINO & HEINRICUS Comites de Friburch confitemur & publicè protestamur emptionem supradictæ Curiæ in modum præhabitum factam per Patruum nostrum H. Comitem de Vurstenberc suo & nostro Nomine, consensu & voluntate nostra unanimiter accedente, ipsamque per omnia gratam & ratam tenentes cum omnibus conditionibus præscriptis, promittimus pro nobis & omnibus Heredibus nostris nos inviolabiliter servaturos appendentes Sigilla nostra præsentibus in Testimonium præmissorum.

Nos Præpositus & Conventus Monasterii omnium-Sanctorum supradicti profitemur præsentibus & publicè protestamur, prædictam venditionem Nos fecisse propter utilitatem nostri Monasterii, accedente eidem Venditioni consensu Reverendorum Patrum Abbatis Salinæ-Vallis & Præpositi Hospitalis in Haginowe, quibus Reverendus Pater Abbas Monasterii Præmonstratensis vices suas commiserat in hac parte, & in Testimonium præmissorum Sigilla nostra & dictorum Patrum & Arbitrorum subscriptorum præsentibus sunt appensa.

Nos CUNRADUS DEI Gratia Episcopus Argentinensis in signum consensus nostri, Abbas Salinæ-Vallis & Præpositus Hospitalis in Haginowe, Nosque Arbitri præmemorati Waltherus de Clingin, Magister Engilbrechtus & Henricus de Ostarch, Sigilla nostra ad petitionem prædictarum partium duximus appendenda.

Actum & datum Anno Domini MCCLXXV. in Octava Apostolorum Philippi & Jacobi.

XII.

Venditio certi cujusdam Redditus, facta in favorem Cœnobii Omnium-Sanctorum.

An. 1275. EGo HEINRICUS Miles de WILRE & ERKENBOLDUS Filius meus dictus MULNER vendidimus & confitemur præsentibus, nos vendidisse Redditus singulis annis persolvendos XII. Libras Ceræ, XXX. pullos, & II. uncias denariorum Argentinensium usualis Monetæ ab officio Sculteti in Korc, quicumque nunc eodem officio fungitur vel inposterum fungetur, quibus Redditibus Nos hactenùs fuimus infeodati ab Illustri Domino nostro H. Comite de Furstenberc ac ipsius Cohæredibus Egenone & Henrico Comitibus de Friburc, nec non Liberis ipsorum, Monasterio Omnium Sanctorum Ordinis Præmonstratensis, pro IX. Libris Denariorum Argentinensium bona voluntate & consensu ac manibus prædictorum Dominorum nostrorum resignantes dictum Feodum Domino Alberto Militi de Schophen nomine antedictorum Comitum nostrorum Dominorum, & Renuntiantes Juri, quod in ipso ampliùs nobis competiit & competere videbatur sub hac Forma, ut Venerabilis Dominus Hermannus præfati Monasterii Præpositus & Conventus Nobis H. & E. præscriptos Redditus, si necessitas ipsos usque ad Nativitatis B. Virginis ventura Anno futuro, ad hoc compulerit, revendant sicut vendere voluerint alieno, in hujus venditionis Testimonium & confirmationem præsentes Litteras scribi procuravimus, Sigilla videlicet mei H. Militis de Wilre & Alberti Militis de Schophen præsentibus appendentes. Ego Erkenboldus Mulner contentus sum Sigillo Patris mei, & confiteor me in dictam Venditionem consensisse.

Datum & actum in crastino Bartholomæi Apostoli Anno Domini MCCLXXV.

XIII.

Cunradi Donatio facta de Consensu unanimi Conjugis suæ & Liberorum.

An. 1276. NOverint Universi præsentium Inspectores quod CONRADUS dictus RIBISIN, RILINDIS Uxor sua Legitima de GREGINHEIM, Cunradus, Waltherus, Joannes, Agnes, & Catharina Liberi eorumdem, X. Quartalium Redditus Siliginis de Bonis suis & ipsa Bona in Bannis Villarum de Greginheim & Rorali sita, communi consensu, Præposito & Conventui Monasterii Omnium Sanctorum & ipsi Monasterio propter DEUM & in Remedium Animarum suarum purè & simpliciter contulerunt & tradiderunt perpetuo proprietatis titulo possidenda.

Actum Anno Domini MCCLXXVI. Feria IV. proxima post Festum B. Thomæ Apostoli.

XIV.

Traditio Alberti Archi-Presbiteri.

An. 1276. NOtum sit Universis tam præsentibus quàm futuris præsentem Cartam Inspecturis, quod Ego ALBERTUS de Stahovin Archi-Presbiter & Perpetuus Vicarius ibidem pro Remedio Animæ meæ VI. Quartalia tritici annuatim in Villa Stalhovin, quæ ab Alberto dicto Mesur, Jutta uxore ejusdem, & Cunrado Filio suo de Stalhovin emi pro VI. marcis argenti pleno Jure proprietatis, quæ nunc possideo pacificè & quietè, Religiosis Viris Præposito & Conventui Monasterii omnium Sanctorum offero, dono & trado, ita ut singulis annis in die Anniversario obitus mei duo Quartalia Tritici pro Servitio Mensæ in Conventu Fratribus ministrentur.

Actum Anno MCCLXXVI. VIII. Id. Maii.

XV. *Cun-*

XV.

Cunradi & Adelheidis Conjugum Donatio.

CUNRADUS de Witſinck, & ADILHEIDIS Uxor ejus Legitima de Ebirswilr, purè & simpliciter propter DEUM in Animarum ſuarum Remedium contulerunt, tradiderunt & donaverunt Curiam eorum, Agros & Cenſus infra ſpecificatos, ſitos in Banno Villæ Ebirswilr, de quibus Bonis cedunt annuatim Domino de Windegge duo Solidi & duo Capones & Domino de Widirgrin duo Solidi & duo Capones nomine Cenſus Præpoſito & Conventui Monaſterii Omnium-Sanctorum Argentinenſis Diœceſis tenendos, utendos & poſſidendos; Specificatio autem Bonorum donatorum hæc eſt videlicet Curia dicta Selershof cum attinentiis. An. 1280.

Datum Anno Domini MCCLXXX. Feria VI. ante aſcenſionem Domini.

XVI.

Martini IV. Pont. Max. Confirmatio Donationis Villæ Taufbrunnen.

MARTINUS Epiſcopus Servus Servorum DEI Dilectis Filiis Præpoſito & Conventui Monaſterii Omnium-Sanctorum Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cùm à Nobis petitur, quod juſtum eſt & honeſtum, tam Vigor æquitatis quam Ordo exigit Rationis, ut id per ſollicitudinem Officii noſtri ad debitum perducatur effectum; ſanè petitio veſtra Nobis exhibita continebat quod quondam WOLFRAMMUS dictus Advocatus de Altenſtaig Miles Conſtantienſis Diœceſis cupiens Terrena in Cœleſtia & tranſitoria in Æterna, felici Commercio commutare Villam Taufbrunnen vulgariter nominatam, ejusdem Diœceſis, tunc ad ipſum ſpectantem cum omnibus Juribus & pertinentiis ſuis vobis pia & provida Liberalitate donavit; Nos itaque Veſtris Supplicationibus inclinati, quod ſuper hoc piè & providè factum eſt, ratum & gratum habentes, id Auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis Scripti Patrocinio communimus. An. 1283.

Datum apud Urbem Veterem pridie Non. Martii Pontif. Noſtri Anno tertio.

XVII.

Aliud ejusdem Pontificis Indultum in Favorem Monaſterii Omnium-Sanctorum.

MARTINUS Epiſcopus Servus Servorum DEI Dilectis Filiis Præpoſito & Conventui Monaſterii Omnium-Sanctorum in Nigra-Silva per Præpoſitum ſoliti gubernari, Præmonſtratenſis Ordinis, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem; Devotionis veſtræ precibus inclinati Auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut poſſeſſiones & alia Bona mobilia vel immobilia, quæ Perſonas Liberas Fratrum ad Monaſterium veſtrum, Mundi Vanitate Relicta, convolantium & Profeſſionem facientium in eodem, ſi manſiſſent in Seculo Ratione Succeſſionis vel quocumque alio juſto Titulo contigiſſent, & ipſi dare liberè aliis potuiſſent, Feodalibus tantùm exceptis, petere, recipere, ac detinere liberè valeatis ſine præjudicio Juris alieni. Nulli ergo omninò Hominum liceat hanc noſtræ Auctoritatis paginam infringere &c. An. 1284.

Datum apud Urbem Veterem V. Kal. April. Pontificatus noſtri Anno IV.

XVIII.

Traditio Juttæ Viduæ.

An. 1283. JUTTA Relicta quondam H. dicti KIVIR & ALBERTUS Filius ejusdem pia affectione moti in Remedium Animæ suæ & Predecessorum suorum & purè propter DEUM dederunt & tradiderunt Monasterio Omnium-Sanctorum Præmonstratensis Ordinis Argentinensis Diœcesis, Bona sua prope Obirkilche sita, quæ iterum Præpositus & Conventus prædictæ Mulieri humiliter petenti locaverunt pro tempore vitæ suæ, pro annua petitione videlicet X. Quartalium Siliginis & duarum Librarum Denariorum Argentinensium.

Actum & datum Feria IV. post Valentini. Anno Domini MCCLXXXIII.

XIX.

Henrici Præpositi Honaugiensis Donatio.

An. 1284. COram Nobis Judice Curiæ Argentinensis constitutus in forma Juris Dominus HEINRICUS Præpositus Ecclesiæ Honaugiensis, Argentinensis Diœcesis donavit & legavit causa mortis Religiosis Viris Præposito & Conventui Monasterii Omnium Sanctorum, Curiam ejus cum Universis Attinentiis suis sitam in Villa Ebirswiller dictam *der Witerinnehof*, item Curiam sitam in villa Zusenhoven cum suis Attinentiis quibuscumque dictam *der Widergrinshof*, nec non Pratum unum situm in Banno Villæ Willestetin juxta Andream dictum Wirich Civem Argentinensem, & generaliter omnes Agros, Curias, Census & Prata ac possessiones universas, quas habet in Villis & Bannis de Ebirswilr, Zuzenhoven, & Willestetin, prædictis, volens ut si præsens Ordinatio non valeat, ut donatio causa mortis vel Legatum valeat saltem Jure Codicillorum, vel quocumque modo ultima sua voluntas constare poterit & valere; ita quod ipso mortuo suum Anniversarium ac sui Patris & Matris Anniversarium peragant in Vigiliis & Missa pro Defunctis, & quolibet dierum Anniversariorum suorum prædictorum, prætium IV. Quartalium Siliginis imposterum, Refectorio in pane bono, vino, & piscibus amministretur, in cujus Donationis aut Legati Testimonium, Sigillum Curiæ Argentinensis prædictæ una cum Sigillo Præpositi præfati est appensum.

Datum Anno Domini MCCLXXXIV. Feria V. post diem Palmarum.

XX.

Ebirhardi & Ottonis de Eberstein Donatio.

NOtum sit omnibus tam præsentibus quàm futuris, quod Nobiles Viri EBERHARDUS & OTTO de Eberstein Prædium in Lenginburch cum omni Jure suo quod B. Miles de Windegge Jure Feodali ab ipsis possederat, Cœnobio quod dicitur Omnium-Sanctorum in Nigra Silva, pro Remedio Animarum suarum liberè contulerunt.

XXI.

Eginonis Comitis de Urach Donatio.

NOtum sit Omnibus præsentem Paginam Inspecturis, quod Comes EGINO Junior de Urach & Dominus de Friburg, Prædium quod hæreditario Jure Domina GUTA de Reinchem in Algiswilre possederat, pro Remedio Animæ suæ Cœnobio, quod dicitur Omnium-Sanctorum in Nigra Silva, perpetua Pace possidendum liberè contulit: præterea apud Obirkilche Prata & Agros & Silvas & alia quæcumque, quæ

quæ Heinricus Miles vocabulo Rigaldei à memorato Comite Jure Feodali possederat, supradicto Cœnobio sub Testimonio Virorum ipsorum apud Haginowe contulerat, Domini Rudolphi de Vesinberch, H. de Tiersperch. . . . .

XXII.

Conradi & Adelheidis Conjugum Donatio.

CONRADUS dictus HECTER Laicus & quondam ADELHAIDIS Uxor ejus de Rotenburch Constantiensis Diœcesis Curtem in Bittechingen ejusdem Diœcesis ad ipsos communiter pertinentem cum omnibus Juribus & pertinentiis suis Cœnobio, quod dicitur Omnium-Sanctorum, pia & provida Liberalitate donaverunt . . . .

XII.

RUDERA ABBATIARUM ALBÆ-DOMINORUM ET ALBÆ-DOMINARUM.

In Monasterio Albæ-Dominorum.

SEPULCHRUM

Domini BERTHOLDI Comitis de Eberstain & Dominæ UTÆ Uxoris ejus Fundatorum hujus Monasterii.

Anno Domini MCCXLV. Obiit Dominus Beatæ Memoriæ CUNRADUS de Eberstain Spirensis Episcopus VI. Kal. Julii.

Anno Domini MCCLXXIX. Obiit Dominus OTTO Senior, Illustris Comes de Eberstein, qui multa Bona huic fecit Monasterio.

Anno Domini MCCCCXXXI. Obiit Generosus Comes WILHELMUS de Eberstain in prima Vigilia Andreæ

Qui jacet Armatus, ut cernis hic Tumulatus
Ipse Comes Genitus, VUILHELMUS eratque vocatus
APRI de PETRA, quem tolle DEUS super Æthra
Ut sibi Sede Data vivat sine fine Beata.

Anno Domini MCCCCLVI. IV. Nonas Novembris obiit Domina AGNES Comitissa de Eberstain Uxor Domini FRIDERICI Comitis de Helfenstain.

Anno Domini MCCCCXIX. X. Kal. Januarii obiit Generosa Domina MARIA Comitissa . . . . . . nata Comitissa de EBER . . . . . Uxor Domini HENRICI . . . . .

Anno Domini MCCCCIII. die Ciriaci Martiris obiit Venerabilis Dominus MARQUARDUS Abbas.

Anno Domini MCCCCLIX. XVIII. Kal. Decembris obiit Venerabilis in Chriſto Pater & Dominus HEINRICUS de Magſtat. XI. Abbas hujus Loci.

Anno Domini MCCCCLXVI. ipſo die Epiphanie obiit Dominus JOANNES DERDINGEN. XII. Abbas hujus Loci, cujus Anima Requieſcat in Pace Amen.

Anno Domini MCCCCLXXVIII. XI. Kal. Junii obiit Venerabilis in Chriſto Pater & Dominus JOANNES. XIV. Abbas hujus Loci.

Anno Domini MCCCCLXXXV. IV. Kal. Auguſti obiit Venerabilis in Chriſto Pater Dominus NICOLAUS WAGENLAITER de Oberczrode XV. Abbas hujus Loci.

Anno Domini MDV. Kal. IX. Septembris obiit Venerabilis Pater & Dominus BARTHOLOMEUS XVI. Abbas hujus Loci, cujus Anima Requieſcat in Pace.

Anno Domini MDXXXV. die ſecunda Menſis Marcii obiit Reverendus in Chriſto Pater & Dominus MARCUS de Gerſpach, XVII. Abbas in Alba-Dominorum, cujus Anima Requieſcat in Pace.

Anno Domini MDXLVI. die prima Menſis Septembris obiit Frater LUCAS GOTZ de Merſietten prope Minſingen, Abbas in Alba XVIII. cujus Anima Requieſcat in Pace Amen.

Sepulchrum Baronis de GREZINGEN Magni Benefactoris, cujus Anima Requieſcat in Sancta Pace.

Anno Domini MCCCCXXXI. III. Non. Maii obiit Illuſtris Princeps BERNHARDUS MARCHIO de Baden.

Sepulchrum EBERHARDI Militis de Smalſtein & KUNEGUNDIS Uxoris ejus. Requieſcant in Pace.

Anno Domini MCCCXXIII. in die Beati Auguſtini obiit JOANNES Miles de Smalſtein.

Anno Domini MCCCXC. obiit ELISABETHA de Lamersheim in Vigilia Matris Beatæ Virginis.

Anno

Anno Domini MCCCXCVII. Malachiæ Epiſcopi obiit Domina HEDWIGIS de Her . . . . . Relicta RICHELMI de Mercklingen Armigeri.

Anno Domini MCCCLXXXXVIII. Kal. Januarii obiit ADELHEIDIS de Flehingen Soror Domini Marquardi Abbatis, Benefactrix hujus Monaſterii. Requieſcat in Pace. Miſerere mei DEUS ſecundùm magnam M . . . .

Anno Domini MCCCXXV. Idus Februarii obiit JOANNES HERMANNUS Beatæ Memoriæ Civis Spirenſis.

Anno Domini MCCCXCIV. Mauritii Abbatis obiit JOANNES CUNZMAN de Ettlingen Advocatus Domini Bernardi Marchionis.

Anno Domini MCCCC . . . . . obiit CONRADUS dictus SUR de Giltlingen Miles Strenuus.

In Monaſterio Albæ - Dominarum.

Anno Domini MCCCCIV. in die Paulini Epiſcopi obiit MARGARITA Comitiſſa de Eberſtein Abbatiſſa. Requieſcat in Pace.

Anno Domini MCCCCXLIII. MARGARETA de Wingarten Abbatiſſa obiit . . . . . .

Anno Domini MDXXXV. XXVII. Septembris obiit KUNEGUN-Comitiſſa de Sonnenberg Uxor Willehelmi Comitis de Eberſtain.

Anno Domini MDXLVI . . . . obiit BARBARA Comitiſſa de Thaun Oberſtain & Falkenſtein.

Anno Domini MDLVII. die IX. Auguſti obiit ANNA Comitiſſa de Eberſtain.

Anno Domini MDLXV. XII. Auguſti obiit ANNA Comitiſſa de Douliers Philippi Comitis de Eberſtein Uxor.

Anno Domini MDLXIX. IX. Aprilis obiit BERNHARDUS Comes de Eberſtain.

XIII.

ANONYMUS, DE ORIGINE ET ABBATIBUS COENOBII S. JOANNIS IN RHINGAVIA.

MOnasterium hoc quondam Ordinis Sancti Benedicti percelebre in Rhingavvia non longè à Vinicella, *Winckel*, in Monte vinifero, qui *Bischoffsberg* (a) antiquitùs dicebatur, situm; Præpositura olim fuit, à RUTHARDO (b) Moguntinensi Archi-Episcopo, in Divi Joannis Baptistæ ac Præcursoris Domini Honore circa Annum MXC. constructa (c) ac Abbati Monasterii S. Albani Martyris juxta Mogontiam subjecta. (d)

(a) Hoc Nomen etiam post fundatum inibi Cœnobium aliquamdiu retinuisse videtur: nam in Diplomate quodam Arnoldi Archi-Episcopi Moguntini datum Anno MCLIX. inter Testes recensetur *Abbas de Beschovesberc* alio non expresso Nomine.

(b) Obiit Anno MCX. die VI. Non. Mai. Sepultus ibidem, ut fertur; de quo fortè aliquando constabit certiùs.

(c) Erecta in Abbatiam Anno MCXXX. ut mox videbimus.

(d) Extincto circa Annum MCCCCXIX. S. Albani Monasterio ac in Ecclesiam Collegiatam Converso, Libertate aliqua donata est, donec Anno MCCCCLII. Theodoricus Archi-Episcopus illam denuò subjectam voluit Abbati S. Jacobi Moguntiæ.

Ad hanc Richolphus Comes Rhingaviensis, ac Daneinodis vel Dancmodis seu etiam Clauckmodis Uxor, Ludovico Filio eorum consentiente, media & Reditus non paucos pro Animarum Remedio ac salute tradiderunt, Filius quoque ipsorum prænominatus Ludovicus, contemptis Rebus Sæculi propter Amorem Regni Cælorum in eodem Loco Monachus factus est, & secundùm Regulam D. Patris Benedicti Religiosissimè vivens, usque ad vitæ terminum in Sancta illa Conversatione constanter perduravit.

In ejusdem etiam Monasterii Ambitu juxta Ecclesiam scilicet, præfatus Pontifex Ruthardus, Cœnobiolum pro Sanctimonialibus construxit, in quo Virgines Christo in Sancta Virginitate devotissimè servientes collocavit, quæ unà cum Monachis sub ejusdem Præpositi Cura constitutæ semper inclusæ manebant, Mundum cum omnibus suis Pompis, Superhorum intuitu contemnentes; in hoc ipso Cœnobiolo prædicti Comes & Comitissa Rhingaviæ Richolphus & Danckmodis etiam Filiam suam Wertrudim DEO Omnipotenti in perpetuum servituram, cum Hæreditatis suæ parte obtulerunt.

Hanc verò Præposituram Adelbertus I. Ruthardi in Archi-Episcopatu Moguntino Successor Anno MCXXX. consensu & permissione Werneri Abbatis ac totius Conventus S. Albani Moguntinensis, ad quos de Jure pertinebat, in Abbatiam sublimavit, in eaque primum Abbatem Egilvardum (rectiùs Eigelvvardum) Monachum ipsi Cœnobio incorporatum ordinavit, ut patet ex Litteris desuper confectis, quarum tenor hic est.

„In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego ADELBERTUS DEI Gratia „Moguntinus Archi-Episcopus & Apostolicæ Sedis Legatus, Omnibus Christi Fide„libus tam futuris quàm præsentibus Notum esse cupio, Dominum RUTHARDUM „Beatæ Memoriæ Antecessorem nostrum, Ecclesiæ S. Albani, Montem quendam „in Rhingavia, qui vocatur *Biscovesberc* potestativa manu tradidisse, ea videlicet „Ratione, ut Fidelium circumquaque positorum auxilio, Monasticæ ibidem Vitæ in„stitueretur Religio; eumque ex parte Monasterium in eodem Loco constructum „fuisset & ad dedicandum Altare prædictus Antecessor noster vocatus fuisset, volens „Laboris eorum qui ad Locum eundem excolendum manum porrexerant, particeps „existere, circumpositi Nemoris aliquantam partem usque ad Alveum, qui dicitur „Hunenklingen & ita deorsum usque ad Locum, qui dicitur Kalenberg in Septen„trionali Montis plaga & in aliis tribus Plagis usque ad Ruralia Loca, in Dotem su„pra Sacras Reliquias delegavit; insuper & Censum dimidii Mansi in Winekela,

„qui

„qui ad Jus Episcopale pertinebat, addidit, quem eidem Monasterio RUTHARDUS „Filius Regesonis, & quidam RABODO & DAMBURG ibidem Reclusi, pro Remedio „Animæ contulerunt: statutum est etiam à prædicto Archi-Episcopo, ut singulis „Annis à Mercatoribus tam Moguntinis quàm Provincialibus Nundinæ in Nativitate „S. Joannis Baptistæ ibi habeantur, omnemque Utilitatem, quæ Episcopo ibidem „provenire posset, Fratribus ejusdem Loci contradidit: præterea RICHOLPHUS Co-„mes in Rhingavia, & Uxor ejus CLANCMODIS, & Filius eorum LUDOVICUS com-„muni consensu Bona inferiùs descripta S. Joanni, in cujus Honore Principale Al-„tare suprædicti Monasterii dedicatum est, solenniter & sine omni contradictione do-„naverunt; videlicet Curtim, quæ è Regione Montis proxima adjacet cum appen-„dente sibi Prædiolo Vineis scilicet atque Arboribus, Molendino, Vinario, Pratis & „Hortis; item Vineam unam juxta Winckelam, quæ vocatur Ezelonis, alteram in „Campo, tertiam juxta Curtim, quartam in Culersberc, quintam in ejusdem „Montis Latere Orientali, sextam ad Radicem Montis juxta Aquæductum, & arabi-„lis Terræ Partes quatuor; obtulerunt etiam Filium suum & Filiam suam in eodem „Loco ad serviendum DEO & S. Joanni, quibus prædicta Bona Jure Hæreditario „provenissent, si in Sæculo remansissent; Nostris itaque Temporibus cum Fa-„cultas ejusdem Ecclesiæ, Divina operante Clementia excresceret, & ipsa sibi suffi-„ciens proprium Pastorem expeteret, visum est Nobis ut statum ipsius in melius ver-„teremus, & de adipiscenda ei Libertate ageremus, adhibito igitur Nobiscum HEN-„RICO Majoris Ecclesiæ Præposito, & aliis quamplurimis Personis Religiosis & Sa-„pientibus, Dominum Abbatem S. Albani adivimus, ejusque, & Fratrum suorum „omnium assensu & volunrate obtinuimus ut prænotata S. Joannis Ecclesia, à priori „subjectione libera, deinceps liberum de eligendo sibi Abbate arbitrium retineret, „liberéque & canonicè Electum, Nobis vel Successoribus nostris Baculum de manu „Episcopi suscepturum & consecrandum præsentaret; hac ergo à prædicto WERN-„HERO Abbate & ejus Fratribus concessione impetrata, postquam de manu & pote-„state eorum præmissam Ecclesiam, Abbatum, Archi-Diaconorum, & aliarum „Personarum nostrarum Consilio & Approbatione absolvimus quædam Bona in Lor-„cha, prædictorum Fratrum usibus antea tributa, partem quoque Decimæ in Burn-„heim, ab eisdem Fratribus jam multis annis possessam Abbati & Fratribus S. Albani „justa & legitima recompensatione absolutè & nullo contradicente donavimus: in-„super Filiæ Richolphi Comitis juxta Monasterium S. Albani Reclusæ, de Culers-„berc singulis annis vitæ suæ, Carratam Vini & Marcam Argenti donari, & post „ipsius obitum, idem Beneficium ad S. Joannis Ecclesiam referri statuimus: con-„cessimus etiam ipsorum Fratrum Rogatu, ut quicunque Fidelium ibidem baptizari „aut sepeliri voluerint, omni contradictione Presbyteri sui Parrochiani cessante, Ba-„ptismum & Sepulturam illic quietam inveniat: præterea Colonos prædictorum Fra-„trum in eodem Monte sub eis commanentes, ea Libertate donavimus, ut supra Ju-„stitiam, quam vel de Capitibus suis, vel de Prædiorum Episcopalium Redditibus „persolvere debent, nulli Officialium nostrorum respondere habeant, qui potiùs ab „omni exactione & pulsatione liberi, soli Abbati placidam & quietam Servitutem „exhibeant: item etiam à prædicto Loco omnes Advocatos exclusimus soliusque Ar-„chi-Episcopi Patrocinio observato, Abbatem eidem Loco Dominum EIGELWAR-„DUM solenniter consecratum, præfecimus, concedentes atque confirmantes, ut „quotiescunque ejusdem Fratribus Pater Monasterii ordinandus fuerit, is tantùm, „quem communi Consilio & Assensu, dictante Spiritu Sancto, unanimiter elegerint, „ab Archi-Episcopo investiatur: hujus autem Rei series ut stabilis & inconvulsa per-„severet, Paginam hanc imaginis nostræ Impressione signavimus, si quis verò, quod „tam legitimè factum est, infringere conabitur, eum Anathematis Gladio donec „resipiscat, percutimus. Testes sunt WERNBOLDUS Abbas S. Jacobi. HEINRICUS „Majoris Ecclesiæ Præpositus. CUNO Custos & Decanus, & alii quamplures.

„Acta sunt hæc Anno ab Incarnatione Domini MCXXX. Regnante LOTHARIO „Romanorum Rege Gloriosissimo, Anno Regni sui IV.

Hæc de Abbatiæ hujus Fundatione. Cœnobiolum autem illud seu Reclusorium, quod ad Occidentem Ecclesiæ hujus Partem, pro Virginibus DEO Omnipotenti in Puritate Mentis & Corporis servituris, constructum fuerat, in quo & præfati Richolfi

Comitis Rhingaviensis Filia WERTRUDIS, ut supradictum est, cum aliis multis Virginibus sub Obedientia Abbatis, qui iisdem de necessariis victu & amictu providebat, Reclusa fuerat; post annos plures propter Quietem tam earum, quàm ipsorum Fratrum, de Monte in Vallem vicinam translatum fuit, constructaque ibidem Ecclesia cum Mansionibus necessariis, eædem Virgines illuc transmigrarunt, qui Locus *Clusa* eo quod Virgines in eodem recluderentur, usque in præsentem diem appellatum fuit, quæ tamen Virgines propter dissolutam earum vitam, postmodum exclusæ fuerunt, ipsumque Cœnobiolum Principali Monasterio S. Joannis cum omnibus Redditibus & Proventibus Anno MCCCCLII. incorporatum ut infra dicetur.

Porrò quoniam hoc ipsum Monasterium S. Joannis hisce Temporibus nostris, ab annis XV. ab Archi-Episcopo Moguntino occupatum, desolatum penitus, ac Fratribus vacuum exstet, illiusque Litteræ ac Privilegia, aliaque hujusmodi documenta in Archivo Principali reserventur, Abbatum ejusdem Cathalogum certè habere non potui, quos tamen ex diversis Litteris ac Monumentis Sepulchralibus collegi, eos hic apponere non intermisi, adjunctis quibusdam sub singulorum Regimine Gestis.

SERIES ABBATUM.

EIGELWARDUS primus Abbas, ab Adalberto Archi-Episcopo Moguntino constitutus fuit, Anno Christi MCXXX. ut patet ex Litteris Fundationis Abbatiæ supra notatis.

ANSHELMUS citatur in Litteris Cœnobii Monialium S. Ruperti juxta Bingiam sub Anno MCLVIII. in quibus Abbas nominatur.

THEODORICUS citatur Testis in Litteris Cœnobii S. Ruperti sub Anno MCCXX.

EMBRICHO (c) vixit sub Anno MCCXLI.

(c) Huic ipsi ejusque Successoribus Sigifridus III. Archi-Episcopus Moguntinus usum Mitræ concessit per Dipl. dat. Anno MCCXL. VI. Idus Aprilis.

RUPERTUS inter alios ab Anonymo prætermissus, hic reponendus est: is enim in Abbatem electus & confirmatus fuit circa Annum MCCCXIII. ut discimus ex sequenti Charta authentica.

„Nos PETRUS DEI Gratia Sanctæ Moguntinæ Sedis Archi-Episcopus, Sacri Imperii per Germaniam Archi-Cancellarius, & Nos Frater SIBOLDUS Abbas eadem Gratia Monasterii Sancti Albani prope Muros Moguntinos, Recognoscimus & tenore præsentium publicè profitemur, quod Frater RUPERTUS Magister Hospitum in Monasterio S. Albani prædicto, nuper Electus & confirmatus & benedictus canonicè in Abbatem Monasterii S. Joannis in Rhingavia, propter suæ circumspectæ merita Probitatis, ex matura provisione Nostri & Fidelium aliorum stare & manere debet in Monasterio & Officio Magistri Hospitum sicut fuit hactenùs apud S. Albanum per Integrum anni circulum, à Festo Assumptionis B. MARIÆ Virginis proximo computandum, nichil omninò medio Tempore de Rebus aut Bonis ejusdem Monasterii S. Joannis prædicti, depressi magnis & variis debitorum Oneribus, consumpturus aut alienaturus; sed quando libet & potest, sollicitè provisurus de ipsis, ut eò citiùs & perfectiùs ejusdem Monasterii debita persolvantur. Datum Moguntiæ Anno Domini MCCCXIII. X. Kal. Julii.

HERMANNUS hic immediatè præcessit Hilgerum in Abbatiali Dignitate, ut ex vetustioribus Litteris quibusdam constat; quo anno autem obierit non patet: sepultum porrò fuisse ante Altare S. Crucis docuit ejusdem Sepulchri Inventio atque Inspectio, quæ contigit Anno Domini MDXXII. in die Sancti Joannis ante Portam Latinam coram Domino Friderico de Rüdesheim Abbate, plurimisque aliis Fratribus de Conventu, ut in Manuscripto quodam antiquo, à Fratre hujus Loci quondam relicto legi, in cujus Sepulchri apertione, in Sarcophago scilicet Lapideo inventum fuit Corpus Casula Serica ornatum, ac calceis indutum, sed absque capite, quoniam in pulverem planè fuerat redactum, Sigillum insuper cum Signeto æreo, in quo Cygnus instar Aquilæ cernebatur cum hac inscriptione *Hermannus Abbas Sancti Joannis Baptistæ Ringanus* in Lapide item parvo adjacente Cygnus quoque sculptus existebat: in Lapide autem Sarcophago super imposito, videbantur duo Baculi Pastorales, & in medio Signum Crucis, nulla Inscriptione superaddita.

HILGERUS de WALTHERDUM immediatus Hermanni Successor, ut Litteræ antiquæ docent, & quamvis Electionis seu Institutionis ejus Tempus non pateat, cum tamen

tamen jam Anno Domini MCCCCIII. in Officio constitutum fuisse patenter invenitur. Iste Venerabilis Pater non inutilis Monasterio huic, inter alia sui Regiminis bene merita, Calicem quendam optimum, eundemque pretiosissimum (quo Summis in Festis ad Missam principaliter Abbas utebatur) itemque alium non spernendi pretii suis Insigniis insignitos Ecclesiæ donavit. Obiit Anno Christi MCCCCXVIII. tertio Nonas Decembris, Tumulatus in Loco ipso ubi nunc D. Catharinæ Virginis Altare existit, quamvis ejus Tumulus jam ante Aram SS. Petri & Pauli cernatur, sed amotio hæc accidit Anno MCCCCLVIII. sub Joanne de Ickstein Abbate, quando illud Altare S. Catharinæ constructum est: ejus autem Tumuli Inscriptio est talis:

Anno Domini MCCCCXVIII. tertia Nonas Decembris obiit quondam Venerabilis in CHRISTO Pater & Dominus Hilgerus Waltherdum Abbas Montis S. Joannis C. A. R. I. P.

Helfricus de Cléen Nobilis Prosapiæ, hic Anno Domini MCCCCXXIV. præsedit Capitulo Provinciali, quod Herbipoli in Monasterio S. Stephani celebratum fuit Dominica Jubilate XIV. Maii, una cum Baldewino Lunenburgensi, Theodorico Nordheimensi Appellorie in Synsheim Abbatibus: de Morte ejus nihil compertum habeo. (f)

(f) Obiit Anno MCCCCXXVII. die XXVII. Maii. Eique successit in Abbatia non Emericus, ut videtur Anonymo, sed

Joannes à Waldeck ejusdem Cœnobii Conventualis, qui post tranquillam Administrationem obiit Anno MCCCCXXXIX.

Emericus Successor videtur Helfrici, obiit MCCCCXLIII. (g) cujus Epitaphium ante Aram S. Martini tale legitur:

Anno Domini MCCCCXLIII. VIII. Kal. Aprilis hanc Picturam fecit fieri Venerabilis Dominus Emmericus humilis Abbas hujus Monasterii cujus Anima post Obitum Regnet cum Christo.

(g) Fallitur iterum Anonymus, qui Inscriptionem hanc Epitaphium credidit: etenim Emericus ille, dictus *Nauta* de *Winckel*, electus & confirmatus Anno MCCCCXXXIX. XVI. Januarii, Abbatiæ Regimen postmodum abdicavit, ac Ulricum sibi Successorem dari passus est, quo aliquando absente, in causa urgenti, Procuratorem constituit, Anno MCCCCLVII. ut patet ex Litteris desuper confectis, quæ sic habent:

Emericus DEI Clementia Senior quondam Abbas, pro nunc ab Administratione relevatus, Venerabili Patre ac Domino Ulrico moderno Abbate absente; Joannes pro Tempore presidens & Locum tenens Prioris, Helfricus Cellerarius, Joannes de Homburg Custos, cæterique singillatim Fratres Conventuales Monasterii S. Joannis in Rhingawia Ord. S. Benedicti &c. propter Ingruentiam causarum & negotiorum Pericula &c. Hinc constat eum non obiisse Anno MCCCCXLIII. sed multò serius.

Udalricus interfuit Electioni Abbatis S. Jacobi Moguntinensis Eberhardi de Venlo Anno Christi MCCCCLVI. quo anno autem desierit ignoratur. Anno Domini MCCCCLII. Reformatum fuit hoc Monasterium Authoritate ac Cooperatione Reverendissimi atque Illustrissimi Principis D. Theodorici Pincernæ Domini in Erbach Archi-Episcopi Moguntini per Lubertum (h) Abbatem Montis S. Jacobi juxta Moguntiam, qui ibidem Eberhardum de Venlo in Priorem ordinavit, unde pia consideratione motus prælibatus Dominus Archi-Episcopus hoc ipsum Monasterium cum suis, Abbati Luberto subjecit: & quia hoc ipsum Monasterium annuis redditibus admodum tenue habebatur, idcirco Monasterium in Clusa huic Monasterio in pede Montis contiguum, de quo suprà dictum est, Monialibus dudum propter dissolutam ipsarum Vitam exclusis, Authoritate D. Nicolai de Cusa Presbyteri Cardinalis ad Vincula, Legati per Germaniam, & Rudolphi de Rudesheim Episcopi Vratislaviensis, cum omnibus suis redditibus, censibus ac proventibus universis incorporatum atque unitum fuit.

(h) Fuit is Lubertus Ruthard, qui eundem Eberhardum, quem Monachis S. Joannis Priorem constituerat, habuit postmodum in ipsa sua S. Jacobi Abbatia Successorem, omnium votis expetitum Anno MCCCCLVI. die VII. Id. Maii.

Joannes de Itzstein præfuit Anno MCCCCLXI. testantibus Litteris; hic Eberhardo de Venlo Abbate S. Jacobi Moguntiæ ad Regimen Monasterii Montis Monachorum prope Bambergam Anno MCCCCLXIII. (i) postulato atque assumpto, in ejusdem Locum in dicto S. Jacobi Monasterio postulatus fuit, ubi triennio præfuit. (k)

(i) Idib. Octobris.
(k) Præfuit Annis III. Mense I. diebus XVI.

Joannes Lauterbach. Joanne ad S. Jacobum Moguntiam translato eidem in Abbatia Anno MCCCCLXIII. successit: verum triennio post, Officio ac Dignitate resignata, suo Prædecessori iterum Locum dedit.

Joannes de Itzstein. Secundò post Resignationem Joannis, hic quoque suam Abbatiam S. Jacobi Moguntiæ resignans ad suam hanc priorem reversus est communi Fratrum voto ac consensu Anno Salutis MCCCCLXVI. (l) vixit adhuc MCCCLXVIII. qui annus Obitus ejus fuit. (m)

(l) Die IV. Decembr. (m) Dies verò XI. Septemb.

Conradus de Rotenberg ex S. Mathiæ Treviris & S. Martini Agrippinatum Urbe Colonia Monacho, hujus Loci Abbas constituitur Anno MCCCCLXVIII. Vir Moribus & Doctrina Insignis, ac sua ætate omni Literatura Nobilissimus, Philosophus, Orator ac Poëta celebris, nec non Theologus Summus, qui multa in Laudem B. MARIÆ Virginis conscripsit, item de Præparatione ante Missam & Cura Pastorali Commentarios edidit. Anno MCCCCLXIX. constitutus fuit ab Adolfo Moguntinæ Ecclesiæ Archi-Episcopo Commissarius Reformationis Monasterii Sponheimensis. Anno MCCCCLXXIV. interfuit Visitationi Monasterii Sancti Jacobi Moguntiæ, item Anno MCCCCLXXXV. Consecrationi Archi-Episcopi Moguntini Bertoldi Comitis de Henneberg adfuit: Obiit Anno MCCCCLXXXVI. in die Nativitatis Christi ante Aram D. Benedicti sepultus hac Tumuli Epigraphe:

Anno Domini MCCCCLXXXVI. in die Nativitatis CHRISTI obiit Venerabilis Pater & Dominus Conradus *de Rotenbergk Abbas hujus Monasterii.*

Hunc *Joannes Trithemius*, Virum valde Religiosum, Devotum & Eruditum, ac Regularis Observantiæ Amatorem præcipuum nominat, cui & Epitaphion scripsit, & juxta ejus Sepulchrum ad parietem fixit, quod tale est:

Siste parùm gressus, paulumque morare Viator
Conradi Rodeberg, hic quia Busta vides;
Mons Sacer, hunc Rhenus celebris quem conspicit amnis,
Moribus, Ingenio, par cui nullus erat,
Hujus Cœnobii fuerat Clarissimus Abbas,
Virtutum Cultor, Religionis Amans,
Primus enim nostræ fecit Fundamina Vitæ,
Quæ Bursfeldensi Nomine clara viget.
Sobrius & castus, pius, Integer atque quietus,
Cui cibus & cultus parcus & asper erat;
Hic etiam magno CHRISTI Genitricis Amore
Captus erat, Laudes scripsit & ille suas.
Ipse pius, magno Fratrum Dilectus Amore,
Exstinctusque Die qua Sacra Virgo parit;
Ergo DEUM justa cuncti Ratione precamur,
Ut sibi sydereo det residere Polo.
Hoc Tibi pro Merito, posuit Trithemius *Abbas,*
Quem Tua de Sponheim, Vota tulere Patrem.

GERARDUS de Motabaur Cellerarius Monasterii S. Jacobi Moguntiæ, Conrado in Abbatia successit Anno Christi MCCCCLXXXVII. Vir Bonus & Amator Observantiæ Regularis, qui in utroque statu bene gubernavit Monasterium Trithemio Teste, præfuit Annis VIII. Mensibus IX. mortuus Anno MCCCCXCVI. die verò mensis Augusti XXXI. ante Altare SS. Petri & Pauli sepultus, hac Tumuli Inscriptione:

Anno Domini MCCCCXCVI. *Die Mensis Augusti XXXI. Obiit Venerabilis Pater Dominus* GERHARDUS *de Montenbaur Abbas hujus Monasterii C. A. R. I. P.*

Sub hoc ipso Abbate Claruit *Petrus Sorbillo*, Frater hujus Monasterii germanicè *Schlorpff* dictus; Vir Doctus & Historicus peritissimus, qui Epistolam de Moguntinæ Civitatis initio scripsit, cui respondens Hermannus Piscator, de eodem Moguntinæ Urbis Principio bene longam Epistolam rescripsit, cujus initium est hoc: *Disertissimo ac multarum Historiarum peritissimo Petro Sorbillo, Monacho in Monte S. Joannis Baptistæ &c.*

JOANNES de Segen Gerardo in Abbatiali Dignitate Successor factus, Anno Christi MCCCCXCVI. Monachus hujus Cœnobii professus, Vir æque Pius & Religiosus, qui Ambitum Monasterii novum à Fundamentis pulchro Opere Lapideo construxit, cum Fenestris & Testudine, Eleemosinis & Subventione Fidelium & Amicorum adjutus, interfuit Capitulo annali Moguntiæ Anno MDVI. Item & Electioni Abbatis Novi Sponhemensis Nicolai Anno eodem V. Idus Decembris post Resignationem Joannis Trithemii. Obiit Anno MDXV. Die XVIII. Julii ante Aram Divi Benedicti Tumulatus, cum hac Inscriptione:

Anno Domini MDXV. Die verò Mensis Julii XVIII. Obiit Venerabilis Pater & Dominus JOANNES *de Segen Abbas hujus Monasterii.*

Ex M. S. hujus Monasterii. Anno Domini MDVII. quinta Feria ante Festum B. Georgii incepta est fossura Novi Fontis circa pistrinam nostram per Dominum Joannem de Segen Abbatem hujus Loci & Domicellum Joannem de Hostenstein & Filium ejus Philippum, qui suis expensis Fontem Aquæ vivæ, in Remedium Animarum suarum effodere concupiverunt: post annos autem VII. consummatus est hic Fons cum Domo, Rota, & Muro à fundo, & fuit summa Expensarum MD. florenorum.

FRIDERICUS de Rudesheim successit Joanni MDXV. Obiit Anno MDXXXVIII. X. Kalend. Septembris, ante Altare SS. Petri & Pauli Apostolorum sepultus cum hac Tumuli Inscriptione.

Anno Domini MDXXXVIII. decimo Kalend. Septembris obiit Venerabilis Pater Dominus FRIDERICUS *de Rudesheim Abbas hujus Monasterii C. A. R. I. P.*

HERMANNUS de Neus post Fridericum in Abbatem electus fuit Anno MDXXXVIII. præfuit adhuc Anno MDXLV. ut ex Litteris patet: de ejus morte nihil reperitur. (n)

(n) Obiit Anno MDLI.

VALENTINUS HORN de Rudesheim; ultimus hujus Loci Abbas vixit Anno MDLX. sub cujus Regimine (o) propter dissolutos fortassis Fratrum mores, & Æs alienum, quo Monasterium obstrictum fuerat; Reverendissimus D. Archi-Episcopus Moguntinus Daniel Monasterium occupavit, Fratribus hinc inde relegatis; Abbas verò Valentinus, ad antiquum suum S. Jacobi Moguntinense Monasterium, in quo quondam Prior exstiterat, secessit, in quo tandem Anno MDLXVII. die XXV. Julii Vitæ suæ Finem imposuit, in Ambitu Cœnobii sepultus.

(o) Infelix planè Regimen; sub cujus Initium Anno nimirùm MDLII. Monasterium exspoliatum, & flammis absumptum fuit ab Alberto Brandeburgico; quod ubi denuò resurgit, ruunt mores & Disciplina ac unà cum iis Valentinus Abbas, qui in Capitulo habito Moguntiæ Anno MDLX. à Patribus Ordinis frustra admonitus; tandem ex Decreto Werthinensis Capituli, Celebrati Anno MDLXIII. à Munere removetur, nec illi posthac datus est Successor.

XIV.
DOTATIONES CŒNOBII S. PETRI IN NIGRA SILVA.

I.

Bertholdi III. & Conradi Ducum Zaringæ Confirmatio sollemnis Fundati à Parentibus Cœnobii S. Petri.

An. 1112. IN CHRISTI Nomine Notum esse cupimus tam futuris quam præsentibus quod Dux III. BERTHOLDUS & Frater ejus Dominus CONRADUS, Filii Bonæ Memoriæ Bertholdi II. Ducis hujus Ecclesiæ Fundatoris Nigræ Silvæ, Loca vel Prædia seu possessiones hæreditario Jure ad se transmissas & his vocabulis determinatas videlicet, à Platano in Monte Randen & sic Jugum Montis, & per descensum dextræ partis montis ejusdem usque ad montem dictum Zewissperc ad terminum dictum Buggenhorn, de Buggenhorn ad terminum dictum Terrenbacherug, abinde Rivum dictum Usotta, & abinde ad terminum dictum *zum Burgstall*, quicquid ab ipso termino videlicet prædictæ Ripæ tendit extra dictum terminum Burgestal abinde erga Jugum ejusdem collis usque ad Montem Ettensperg ad terminum dictum Tietsol & descensum ejusdem termini usque in Bregenbach cum omnibus vallibus eundem Rivulum tangentibus ex parte dextra, abinde usque ad Paludem vulgariter appellatum Fotnlach situm super Strich, abinde usque Wiltbesanck, abinde usque Luhinspach abinde usque in vallem Fortram, deinde per ascensum Montis, qui dicitur Henekperg ad Fontem Schonenburne, abinde Schoneggenbach inferius usque ad terminum dictum Wessenordera, abinde sursum per vallem usque ad terminum qui dicitur Churgevelle, abinde usque ad terminum, qui vocatur Botnhapton, abinde usque Ripam Ubertspach, abinde usque ad medium Montis usque ad Castrum dictum Orsanegg, abinde usque ad Jugum Montis dicti Flausen, abinde per medium montis usque ad Tiliam sitam in monte dicto Uresperch, abinde per descensum montis ejusdem usque ad Ripam dictam Glater, abinde usque ad longum Lapidem situm in monte dicto Totli, abinde per descensum Montis usque ad Ripam quæ vocatur Schwartzenbrenbach, abinde per descensum ejusdem Rivuli usque ad Montem Channum, abinde usque ad terminum in principio nominatum *zum Buggenhorn* manu potestativa Beato Petro Apostolo Patrono nostro pro Redemptione Animarum suarum, nec non Parentum suorum hic sepultorum devoti tradiderunt.

Actum VI. Kal. Jun. id est in S. Joannis Evangelistæ Anno Dominicæ Incarnationis MCXII. Anno VI. HENRICI Regis hujus nominis Quinti. Ante Basilicam S. Petri Abbatis illic Sanctorum Relliquiis, hujus Loci Regimen tenente Venerabili Domino EPPONE Abbate, astantibus Venerabilibus Viris, quorum Nomina in rei gestæ Testimonium subscripta sunt. Cunone de Kunringen & Filio ejus Chunone. Waltero de Horwen. Ranzone de Stofflen. E. de Pestat. Lutelino & Adelberto de Uffhusen. Geroldo de Vittekofen. & de Domo Ducis, Cunone de Blanckenberg, Reinhardo de Weiler. Gerwordo de Verstatt, Henrico de Owen. Gisilwerdo de Weder, & aliis quam pluribus Fide dignis, circumstante quoque & hoc audiente, qui tali die ad Ecclesiam convenerat Cœtu copioso Plebis.

Verùm ne quis de hac Principum nostrorum solenni donatione & prædictorum Locorum vera positione scrupulosè moveatur, Memoriæ breviter est commendandum quod Comes Erlewinus de Namberg, & Arnoldus de Kentzvegen totam Portionem Ditionis, quam in ipsa Silva sive infra vel extra terminos prænotatos possederant, Ratione salubri, voto non dissimili S. Petro Apostolo Patrono nostro pro Redemptione Animarum suarum liberaliter tradiderunt.

II. *Re.*

II.

Renovatio cujusdam Privilegii facta Occasione Traditionis Rudingeri Militis.

IN Nomine Domini nostri JESU CHRISTI. Audite Karissimi, Membra CHRISTI An. 1123. & Matris Catholicæ Ecclesiæ Filii, auscultate Fideles tam futuri quam præsentes, qualiter præcellæ Nobilitatis Vir BERHTOLDUS cum Uxore sua Felicis Memoriæ AGNETE, nec non suis Temporibus Dominus BERHTOLDUS, & Frater ejus Dominus CUONRADUS hujus Sobolis Geminus Partus, inter cætera Pietatis Opera, huic Cœnobio ab Ædificationis primordio, hoc specialis Gratiæ Privilegium Jure hæreditario tradiderunt; quicumque de Clientibus suis vel Familia huic Ecclesiæ devotionis Gratia conferre vellent aliquas Facultates vel Patrimonia omnibus Liberam Potestatem Voti complendi permiserunt & firmaverunt, sicque factum est, ut revolutis annorum Curriculis quidam Miles ex Clientela ejusdem Ducis, Nomine RUDINGERUS insanabili dolore depressus, ac penitus desperatus volens in extremo articulo Saluti Animæ suæ consulere Divinæ Consolationis quærebat Auxilium, ad Monasterium nostrum, à suis est delatus & Domino EPPONI Reverendo Abbati Cœnobitarum S. Petri, corpore & Anima, affectiva donatione fideliter commendatus; hic flagrans Summum Bonum, pro CHRISTI Amore & Animæ suæ Redemptione tale Prædium quale sibi visum est in Vico qui Suandorff appellatur, partemque eorum, quæ in mobilibus possidebat, votiva oblatione donavit, ipse Monachus factus, post paucos dies naturæ cedens, in CHRISTO migravit; his ita peractis magna inter Duces orta est disceptatio, quidam ex illis sanioris partis laudabant & defendebant, quod peractum fuerat, quidam improbabant & ex toto refutabant, præterea Sæcularia Judicia objiciebant dicentes, quod præfatus Vir hujusmodi Traditionum in extremo vitæ suæ Tempore, sine Licentia Domini sui minimè facere deberet, nec Heredes sui Juris exhæredare posset: his taliter altercantibus honorabilis Dux Cunradus supra memoratus, Divino Spiramine inspiratus, volens nexibus Dilectionis determinare hujus altercationis dissidium, se interposuit Judicem, ne Ecclesiæ S. Petri ex tali discordia imposterum aliquod dispendium accideret, audita Sententia dijudicatum quod Hæredes præfati Viri Jure propinquitatis deberent exequi hæreditatem sibi debitam, Heros majorem protendit auxiliatricem Gratiam, nam in ipsa hora Domino & Sancto Petro hujus Cenobii Patrono, potestativa manu tradidit sui Prædii duos mansos in Pago qui dicitur Sulza, ut præscriptum Allodium sine detrimento Ecclesiæ restitueret, & vincula Caritatis utriusque Partis in unum redintegraret & sanaret, omnemque suspicionem Controversiæ deinceps destrueret; in illa etiam die cunctis suæ Ditionis Ministris hanc donavit Libertatem, ut quicumque ex iis, sive sanus sive infirmus, vel etiam in Novissima hora constitutus aliquod Caritatis Beneficium multum seu modicum, nihil exceptum ad prædictam Ecclesiam sollenniter offerret, & prius omnia abdicaret, vel se ipsum Conversionis causa extraderet, durabile & inmutabile permaneret. His verò ita compositis, quantum in ipso fuit, omnia Antecessorum suorum vota & instituta inconvulsa & intemerata authorizavit & renovata Traditione roboravit.

Actum VII. Kal. Januarii Luna XXVII. Anno Dominicæ Incarnationis MCXXIII. Gubernante Romanum Imperium Rege Heinrico hujus vocabuli Quinto. Indict. I. Feria II. in Castro quod vulgari Lingua Badin nuncupatur præsente cum reliquis suorum, Memorato Abbate. Interfuerunt hisce Traditionibus excepta magna numerositate Plebis aliqui Nobilium Virorum, quorum Nomina hic sunt signata in Rei gestæ Testimonium. Conradus de Nittensteine. Erckengerus de Steinstat. Heinricus de Hordegga. Heinricus de Wartha. Bertholdus & Cunradus de Bucheim. Egilolfus de Brandegga. Burchardus de Husen. Bertholdus Gundelvingen.

Aderant etiam ex Familia Ducis quam plures Senes & Juvenes Filii, quæ hæc viderunt & audierunt & devota mente unanimiter consensêre & laudavête, quorum ex multis pauca hic exprimuntur vocabula. Bertholdus de Musinheim & duo Filii ejus Rodolphus & Berhtoldus, Egilolfus de Blanckenberg. Wernherus, & Frater ejus de Altinchoven. Hugo de Modelheim. Bivo de Heppehoven.

III.

Honori II. Pont. Max. Diploma, quo Prædecessoris sui Urbani II. Privilegia Cœnobio S. Petri concessa confirmat.

Circa An. 1126. HONORIUS Episcopus Servus Servorum DEI, Dilecto in CHRISTO Filio EPPONI Abbati Monasterii, quod in Nigra Silva in Loco qui Cella Sancti Petri dicitur situm est, ejusque Successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Incomprehensibilis & ineffabilis Divina Miseratio Nos hac Providentiæ Ratione in Apostolicæ Sedis Administratione constituit, ut Paternam de omnibus Ecclesiis gerere sollicitudinem studeamus, siquidem hæc Romana Ecclesia, quæ à Domino sibi concessam omnium Ecclesiarum retinet Principatum, tanquam diligens Mater singulis debet Ecclesiis instanti Vigilantia providere, ad ipsam enim quasi ad Caput & Matrem ab omnibus concurrendum, ut ejus uberibus nutriantur & ab oppressionibus releventur; condecet ergo ut Ecclesias & alia Venerabilia Loca maximè, quæ ad speciale Jus & ad singularem Proprietatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Auctore Domino servimus, spectant, specialioris prærogativæ sortiantur Honorem, & Apostolicæ Auctoritatis communimine roborentur. Quia igitur Egregiæ Nobilitatis Vir BERCHTOLDUS Dux, in Comitatu Brisaquensi, in Constantiensi Episcopatu, in Silva quam dicunt Nigram, ad honorem Beati Petri Apostolorum Principis Monasterium ædificavit, ipsumque Allodium Romanæ Ecclesiæ Juri mancipavit, Nos ejus Devotionem Apostolica Auctoritate firmantes, & tuis Dilecte Fili Eppo Abbas, Postulationibus annuentes, ad Exemplar Domini Prædecessoris Nostri Felicis Memoriæ URBANI II. Papæ, ipsum Locum sub Apostolicæ Sedis Tutela specialiter fovendum suscipimus, & præsentis iterum Privilegii pagina, Apostolica Auctoritate statuimus, ut quæcumque Prædia sive Possessiones præfatus Dux Berchtoldus cum sua Uxore Agnete & Filiis tradiderit, & alii Viri ex suo Jure nostro Monasterio obtulerint, sive in futurum concessione Pontificum, Liberalitate Principum, seu Oblatione Fidelium justè & Canonicè poteritis adipisci, firma vobis & illibata permaneant: decernimus ergo, ut nulli Hominum liceat idem Monasterium temerè perturbare & ei subditas Possessiones auferre, minuere, aliquibus temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum sustentatione & Gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, porro . . . .

. . vestris sumptibus & Laboribus excoluntur vel nutriuntur, quietas & illibatas vobis manere censemus, nec vos super hoc aut ab Episcopo ejusdem Diœcesis aut ejus Ministris inquietari permittimus; sepulturam ipsius Cœnobii omnino liberam sancimus, ut eorum qui illic sepeliri deliberaverint, Devotioni & extremæ voluntati nisi fortè excommunicati sint, nullus obsistat; Ordinationes Monachorum, consecrationem Altarium sive Basilicarum ab Episcopo in cujus Diœcesi estis, accipiatis, si quidem Gratiam atque Communionem Sedis Apostolicæ habuerit ac sine pravitate postulata voluerit exhibere, alioquin liceat vobis Catholicum quem volueritis adire Antistitem, & ab eo Sacramenta suscipere, qui Apostolicæ Sedis Auctoritate fultus indulgeat obeunte Te, nunc ejus Loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum nullus ibi, qualibet Surreptionis Astutia seu violentia præponatur, nisi quem Fratres communi Consensu vel Fratrum pars Consilii sanioris, secundum DEI Timorem regulariter providerint eligendum. Advocatus quem vestris Juribus decreveritis nullam in Monasterio vestro aliquid disponendi habeat potestatem . . . .

IV.

Bertoldi IV. Zaringæ Ducis in Monasterium S. Petri constans Favor.

An. 1152. HUmani temporis quoniam labitur cursus, generationisque exordium nascitur alterius, nostro Tempore patrata litteris nostris transmisimus: audite itaque Catholicæ Matris Ecclesiæ Filii, sanguine Summi Patris Redempti Unigeniti Notum vobis

vobis facimus, qualiter Dux BERTHOLDUS hujus Nominis Quartus, Ducis CUNRADI Filius, in Festo Sanctorum Marcellini & Petri, ad hoc Monasterium à Parentibus suis in honore Beati Petri Apostoli Institutum, venit devotus, eique omne Jus quod à Progenitoribus suis possederat, in manum Domini GOTZMANNI hujus Loci Abbatis, dextera sua contulit & firmavit munificus: primum autem hujus Donationis fuit exordium, nunquam aliquem inter se huic Cellæ præponere Advocatum, illudque constituit deinceps manere inviolatum: addidit etiam idem Dux aliud Cœnobitis istius Monasterii munus; scilicet ut quicumque ex Clientibus suis, vel etiam Familia, sanus sive infirmus, nec non in novissima hora constitutus ad hoc Monasterium Conversionis gratia vellet venire, aut de Allodiis suis, sive aliis quibuscumque Rebus, CHRISTO inibi servientibus quicquam conferre, absque omni contradictione faceret, nec suam ulterius super hac re Licentiam quæreret. Hæc non solùm Pater ipsius & Patruus egerant, verùm etiam Avus ejus, cum Consilio & auxilio Fratris sui Domini GEBHARDI Constantiensis Episcopi devotissime fecerat: prætereà Domina CLEMENTIA Mater ejusdem Ducis primitùs, monitu Domini HERIMANNI prædictæ Constantiensis Ecclesiæ Præsulis in sepultura Mariti sui Ducis CUNRADI cum consensu Filiorum suorum videlicet RODOLFI, ADELBERTI, HUGONIS hæc eadem nobis concesserat atque in perpetuum illibata fore firmaverat.

Facta sunt autem hæc Tempore Domini Papæ EUGENII sub Rege FRIDERICO Anno ab Incarnat. Domini MCLII. IV. Non. Junii Indict. XV. in Choro S. Petri, cunctis ejusdem Loci Monachis astantibus, cum Aliis pluribus Liberis atque Nobilibus hominibus, quorum Nomina hic in Testimonium subjecimus. Cunradus de Lowenstein. Berchtoldus de Bergen. Diethelmus de Croja. Cunradus de Swarzinberc. Liutoldus de Tegernvelt. Egelolfus de Hasela. Vernherus de Ufhusin. Adalbero de Palma; hi verò de Clientibus supradicti Ducis adfuere, qui hæc audiverunt & viderunt Odalricus de Alcmar, Wernherus de Roggenbach, Wernherus de Reinvelden Dapifer & Frater ejus Gerhardus; Waltherus de Tachwangen, Cono de Blanckennegk cum aliis quamplurimis hoc videntibus & audientibus hæc eadem apud Uberlingen IV. Julii præfato Duce Berehtoldo una cum Matre sua præsente firmata sunt. Plurimis ipsius Clientibus astantibus & videntibus atque laudantibus. His gestis plures Personæ Nobilium adfuere quorum nomina hic scripta sunt in Testimonium, Herimannus Marchio. Alwicus Comes. Conradus Filius Advocati de Suarcinberc & Frater ejus Wernherus, Rodolfus de Windisloch, Walterus de Howe, Bertholdus de Steinegge, Heinricus de Tongin.

V.

Eberhardi de Betebur Donatio Prædii Villingen.

IN Nomine Domini Nostri JESU CHRISTI Salvatoris, DEI nostri Aure fideli percipite, & Corde perspicaci, menteque sagaci intelligite, auscultate omnes CHRISTI Fideles tam futuri quàm præsentes diffinitionis sententiam salubriter promulgatam, Cœnobitis Sancti Petri æternaliter profuturam. Quidam Presbiter per omnia laudabilis & devotus Nomine EBERHARDUS de Betebur, hoc est, ejusdem Filius ex cujus Beneficio & amminiculo possedimus tale Prædium, quale visi sumus habere in villa quæ Villingen dicitur, in structura scilicet Ecclesiæ & in aliis ædificiis, cum omnibus suis pertinentiis; Presbiter verò memoratus Divino Instinctu admonitus, ardenti desiderio anhelabat Summum Bonum in Cœlestibus pro CHRISTI Amore & Animæ suæ Redemptione, comparavit suis sumptibus quoddam Allodium, hoc est III. Mansos sitos apud villam vulgari Lingua Ascheine nuncupatam, ipsum Allodium potestativa manu tradidit & donavit Domino & Sanctæ MARIÆ & Sancto Petro hujus Cœnobii speciali Patrono, quatenùs perpetuò cedat in usum Monachorum, hoc in Monasterio, Domino & Sancto Petro Famulantium; de hac Donatione fecit talem editionem, ut quicunque hujus Monasterii Camerarius exstiterit sub Cura & Providentia suæ Obedientiæ hujus Traditionis Allodium habere debebit, tali ratione & cautione, ut remota omni ambiguitate singulis Annis in Recordatione Fidelium Animarum, quæ in Sancta Ecclesia recolitur in proxima die omnium Sanctorum,

 Fratri-

Fratribus in Loco commorantibus intus & foris Monachis & Barbatis devotè tribuat plenum & integrum servitium, ut ipsi Fratres per hoc conventi studiosius impleant ipsius Memoriæ Officium. Secundum Pactum Privilegii, in sequenti Clausula nominatim & distinctè determinatur, quod in cibis & potibus unicuique offeratur; unusquisque Fratrum accipiat panem pulchrum & candidum, duasque positiones piscium, unam Salsuginatam, alteram piperatam, ad tertiam verò positionem habere debebunt Placentas hoc est Fladones, qualiscumque occurrerit dies, si autem Feria VI. non fuerit inordinata causa impediminis (quia in ipsa die abstinendum ab adipe) Artocreæ aut Fladones in usus commedendum dentur honestè & abundanter & hæc pitantia singulis, in singulis Scutellis & ad Satietatem compositis; ad Prandium quoque singuli accipiant Scyphum Vinarium de bono vino plenum, serò autem & post Vesperas, quamvis minimè cœnetur ejusdem mensuræ pabulum inter duos partitum, ista ratio quæ consistit in prænotatis, distinguit de Fratribus Barbatis, Panis tribuatur Barbatis, ejusdem quantitatis & qualitatis sicut Monachis, una positio piscium, alteram de placentis, vascula eorum impleantur ad Summum, inter Refectionem Fratrum, XII. Pauperes collocentur in Loco opportuno, in honore XII. Apostolorum & tertius decimus in Persona CHRISTI addatur, & Camerario unicuique . . . .

XV.
NECROLOGIUM ABBATIÆ LUCIDÆ-VALLIS.

JANUARIUS.

VIII.	Idus.	*Elisabeth* de *Vrancken*, quæ legavit Conventui XII. Libras Hallensium.
VI.	Idus.	Illustris Domina MARIA Marchionissa, Abbatissa hujus Loci Anno MDXIX. Tumulata ante Summum Altare.
V.	Idus.	*Albertus* Ruder, dictus *Widenbusch*.
	Idus.	*Mechtildis* de *Lichtenberg*.
		RUDOLFUS Marchio de Baden. XXXX. Libras annuatim, sepultus ante Altare S. Andreæ.
XVIIII.	Kal. Febr.	Illustris Principessa MARGARETA, hujus Monasterii Prædigna Mater & Abbatissa, Filia Caroli Marchionis Badensis ex Catharina Archi-Ducissa Austriæ. Obiit Anno MCCCCXCVI.
		Adelheidis Schottinne.
XVII.	Kal.	Illustris HERIMANNUS Marchio de Baden, Fundator.
		Hildegardis de *Beckingen*, quæ legavit annuatim Conventui X. Solidos.
XV.	Kal.	Illustris Dominus CHRISTOPHORUS GUSTAVUS Marchio Frater Domini Eduardi Fortunati Marchionis Badæ, Comitis Spanheimensis.
XIII.	Kal.	*Elisabetha Roderinne*.
X.	Kal.	Anno MCCCLXXXXV. *Joannes Pfrumbæm* Senior.
IX.	Kal.	Anno MCCCXLVI. Illustris *Conradus* de *Furstemberg* Decanus Ecclesiæ Argentinensis, qui legavit Conventui C. Libras Argentinensis Monetæ.
VIII.	Kal.	Generosa Domina ANNA de Mersperg hujus Loci Abbatissa Anno MDLI.
VII.	Kal.	*Joannes* Confessor.
		Adelheidis Schallerin.
VI.	Kal.	Illustrissima Domina CECILIA Marchionissa, quondam Illustrissimi Principis Christophori Marchionis Badæ Conjux. Anno MDCXXVII.

V. Kal.

V. Kal. *Bertha* de *Oze*.
IV. Kal. Illuſtris Joannes Carolus Marchio, Frater Eduardi Fortunati Marchionis Badæ, Comitis Spanheimenſis.
Adelheidis de *Oze*.
II. Kal. *Eliſabeth* de *Boſſwilre*.

FEBRUARIUS.

IV. Nonas. Anno MCCCXXXI. Illuſtris Dominus Rudolfus Marchio de Baden, qui legavit Conventui C. Marcas.
Barbara Vublerin Abbatiſſa in VVunnenthal.
III. Non. *Joannes* Comes de *Aſperc*.
VII. Idus. *Henricus* dictus *Bube*.
VI. Idus. Illuſtris *Irmingardis* de *Wirtemberg*.
III. Idus. *Elgent* de *Butenken*.
Idus. *Margareta* de *Spira*.
Illuſtris Rudolfus Marchio de Baden dictus Hesse ſepultus ante Altare S. Catharinæ Anno MCCCXXXIII.
XVI. Kal. Mart. *Hildegardis* de *Vinſtingen* Senior Domina de Lichtemberg.
XV. Kal. *Cunradus* Miles dictus *Schöpfelin*, qui legavit L. Florenos pro Remedio Animæ ſuæ.
XIV. Kal. *Agnes* dicta *Buvinne* Senior, Piæ Memoriæ.
XIII. Kal. *Clara* Domina de *Eberſtein*.
XII. Kal. *Wernherus* dictus *Wizze*, ipſe dedit III. Libras in Anniverſario ejus.
IX. Kal. *Mezza* de *Oza*.
VIII. Kal. *Cunradus* dictus *Gepler* & *Mechtildis* Uxor ſua.
Eliſabeth de *Sunnezheim*.
VII. Kal. *Hermannus* dictus *Wiſſe* de Etteningen. Talentum in Refectorio ipſo die.
Agnes de *Eberſtein* apud Caſtrum, quæ legavit annuatim unum Quartale Siliginis.
Demudis de *Owingen*.
VI. Kal. Piæ Memoriæ Irmingardis Marchioniſſa Venerabilis Fundatrix Devota Lucidæ-Vallis.
Anno MCCCCLXXV. Illuſtris Dominus Carolus Marchio Felicis Memoriæ, qui hoc Monaſterium in Reformatione ſtricta manu tenuit, & temporalia Subſidia piè miniſtravit.
III. Kal. Soror *Eliſabeth* de *Kintwilre* & *Hugo* Frater ejus.
II. Kal. *Ludovicus Röder* dictus *Widenboſch*.
Domina *Walpurgis* de *Lichtenberg*.
Clara de *Greberin* Sanctimonialis Anno MCCCCXCVIII.

MARTIUS.

Nonas. Domina Elisabeth prima Abbatiſſa Lucidæ-Vallis.
VIII. Idus. *Burga* de *Stalhoven*.
Illuſtris Marchioniſſa Domina Agnes, Secunda Abbatiſſa in Lucida Valle.
VII. Idus. *Burtharius* de *Schowenburg*.
VI. Idus. *Clara* de *Blumenberg*, Roderine.
Conradus Glaz Armiger Anno MCCCCXIII.
V. Idus. *Rudolfus* Marchio de *Durmersheim* & Mater & Soror ejus *Irmengardis*.
IV. Idus. *Clara* de *Berſtein*, dabat Conventui I. Amam vini & II. Octalia Siliginis.
II. Idus. *Eslke* de *Spira*, Monialis.
Idus. *Eliſabeth* Uxor Hugonis Militis de Kintwilre.

Domina Agnes de Truhendingen, Uxor quondam Marchionis de Baden.
Otto Comes de *Strasberg*.
XVI. Kal. Apr. Domina *Adelheidis* de *Helfenſtein*.
XIV. Kal. Apr. Anno Domini MCCCXLVII. *Hartmannus* Armiger de *Boſſwilre*, qui legavit nobis C. florenos.
XIII. Kal. Elisabetha de Lichtenberg, Soror Domini Rudolfi Marchionis Badæ ſepulta in Capella apud Altare S. Catharinæ.
Adelheidis dicta *Simile*.
Anno Domini MCCCLXXII. Rudolfus Marchio de Baden piæ Memoriæ, ſepultus ante Altare S. Andreæ.
X. Kal. Domina Greda Marchioniſſa de Baden, dicta de Liningen.
VIII. Kal. *Eliſabeth* & *Henricus* de *Oberkirche*.
VII. Kal. *Agnes* dicta *Trigelin* de Ploeshem Monialis.
Mechtildis de *Helfenberc*.
VI. Kal. Dominus *Joannes* de *Lichtenberg*.
Guta Marchioniſſa.
Adelheidis de *Renechin*.
Domina Metza de Lichtenberg Abbatiſſa.
V. Kal. *Marquardus* de *Holzgeringen*.
III. Kal. *Wilhelmus* de *Eberſtein*.
Domicellus *Craffto* de *Kroſſwilre*.
II. Kal. *Mengoldus* de *Eberſtein*, dedit X. Solid. Hallenſium de Prato Crum, in villa Oza.

APRILIS.

Kalend. Kunigundis Marchioniſſa.
III. Non. *Irmentrudis* de *Butincheim*, dabitur illa die cuilibet Dominæ dimidium Picarium Vini.
Nonas. *Conradus* de *Kintwilre*.
VIII. Idus. *Mechtildis* de *Ingenheim*.
Domicella *Suſa* de *Kroſſwilre* Rœderin.
II. Idus. *Adelheidis* de *Berſe*. *Heinricus* Pater ejus & *Hedewigis* Mater ejus dederunt IV. Talenta pro Anniverſario ſuo.
Idus. *Fridericus Roder*.
Anno Domini MCCCLIII. Dominus Hermannus Marchio de Baden, qui legavit Conventui DCC. Libras Hallenſes, ſepultus in Introitu Eccleſiæ.
XVII. Kal. Maj. Domina Adelheidis de Lichtenberg Abbatiſſa in Clauſtro Lucidæ Vallis, obiit ipſa Die Palmarum Anno MCCCCXIII.
Bertha de *Heſin*, quæ legavit VI. Quartalia Siliginis ad Menſam.
XVI. Kal. *Waltherus* de *Weringen* piæ Memoriæ, Sacerdos & Monachus Novi-Caſtri.
XV. Kal. *Lucardis* de *Meisheim*.
XIV. Kal. Anno Domini MDXXVII. XIX. Aprilis Illuſtris Princeps Christophorus Marchio de Baden, qui Principatum Badenſem Maximè auxit.
XII. Kal. *Cunigundis* de *Lupfenſtein*.
XI. Kal. Piæ Memoriæ *Conradus* Abbas Novi-Caſtri.
X. Kal. Kunigundis Marchioniſſa. Rudolfus Marchio.
IX. Kal. *Otto* de *Selbah* Miles.
VIII. Kal. *Joannes Bechel* de *Malſch*. *Umb das gemein Gebett für ein Totſchlag.*
Joannes de *Nidelingen*, qui dedit partem Decimæ ſuæ in Iſingen, Monaſterio noſtro.
VII. Kal. Anno Domini MCCCCXXIX. *Anna* Comitiſſa de *Asberc*.
VI. Kal. *Kunegundis* de *Slegeldal*, X. Solidos in Refectorio.
IV. Kal. *Ruperti* Abbatis.

Hein-

		Heinricus de *Sunezheim*, qui legavit IV. Maldra Siliginis ad Refectorium.
II.	Kal.	*Demudis* de *Kintwilre* Monialis.
		Cunigundis Widembin Talentum Hall. in Refectorio.

MAJUS.

	Kalend.	*Berta* de *Windeke* & *Rempoldus*.
VI.	Nonas.	*Helka* de *VVolhusen*.
		Dominæ ANNETIS Marchionissæ de Winsberc, Uxor quondam Marchionis de Baden.
V.	Non.	*Conradus Bube*, ipse dedit III. Talenta.
IV.	Non.	*Henricus* de *Luterbah* Armiger, de quo habemus unum florenum. Obiit Anno MCCCLI.
		Elisabetha de *Owingen*.
II.	Non.	*Herburga* dicta *Wizzinne*.
		Maria Puella Marchionissæ.
	Nonas.	*Anna* de *Ratzenhusen*, quæ contulit Libram Argentinensis monetæ.
VIII.	Idus.	*Mehtildis* de *Remehingen* Monialis.
		Margareta Comitissa de *Sarwert* Conventualis hujus Monasterii Anno MDXLII.
VII.	Idus.	*Henricus* de *Selbach*, de quo habemus XXXIII. florenos.
		Agnes de *Sunezheim* & *Adelheidis* de *Augusta* XXX. florenos.
VI.	Idus.	*Joannes* dictus *Phlumbœm*, qui legavit II. Libras Hall.
IV.	Idus.	*Adelheidis* de *Kintwilre*.
		Conradus Pincerna de Baden.
III.	Idus.	Dominus *Wolfgangus* Abbas in Stircelbrunn hic in Circuitu sepultus.
	Idus.	*Luckardis Torlerinne*.
XVII.	Kal. Jun.	Domina de OSSENSTEIN Uxor quondam Marchionis de Baden, sepulta in Capella ante Altare S. Catharinæ.
		Maria Breinin Abbatissa in Wunnenthal.
XII.	Kal.	Domina AGNES de Monte-Lucis, quondam Abbatissa in Lucida-Valle.
XI.	Kal.	*Rudolfus Floesse* de *Steinbah*.
X.	Kal.	Anno Domini MCCCLXVI. *Elisabetha* de *Spira*.
		Berta de *Hergelheim* annuatim Libram Hallensis Monetæ.
IX.	Kal.	*Demudis* Monialis de *Schowenburg*.
V.	Kal.	*Bertholdus Phlümer*.

JUNIUS.

IV.	Nonas.	*Henricus* Cantor de *Lihtenberg*.
		Hac die circa Quintam manè, placidè in Christo obdormivit Anno MDCXL. Illustrissima Marchionissa, CATHARINA URSULA Comitissa ab Hohenzollern, sepulta in Baden.
III.	Non.	*Anna Strubwegin*, & Soror ejus *Engildrudis* Moniales hujus Claustri; dederunt DC. florenos.
VII.	Idus.	Illustrissimus ac Serenissimus Princeps Noster PHILIPPUS Marchio in Baden Anno MDLXXXVIII. sepultus in Baden ante Altare in Choro.
VI.	Idus.	*Clara* zum *Dorn*.
III.	Idus.	*Adelheidis* de *Lichtenberg*, Comitissa de *Salmis*, Anno MCCCLIII. quæ legavit LXXX. Libras Argentinensis Monetæ, de quibus tres Libræ dantur annuatim ad mensam Conventus.
XVII.	Kal. Jul.	*Irmengardis* de *Spira*.
XIII.	Kal.	Illustrissimus Princeps Noster EDUARDUS FORTUNATUS Marchio in Baden, cujus Anima Requiescat in Pace.
XI.	Kal.	Anno Domini MCCCXXXII. Dominus FRIDERICUS Marchio, sepultus in Introitu Ecclesiæ nostræ.

X. Kal. *Albertus Roder* dictus *Bube*.
IX. Kal. Illustris Dominus ALBERTUS CAROLUS, Filius Domini Eduardi Fortunati Anno MDCXXVI.
VIII. Kal. *Marcuvardus* de *Berverstein* Miles, de quo habemus II. Maldra in Rafelt.
VII. Kal. Anno MCCCXLVIII. RUDOLFUS Marchio, ante Altare majus in Capella.
Bertholdus de *Strasberc* Comes, ante Altare X. millium V.V. M.M.
V. Kal. *Adelheidis* de *Spira*.
Elisabetha de *Selbach* Anno MCCCLXVI.
IV. Kal. *Irmelhusa* de *Bach*.
II. Kal. *Adelheidis Meiserin*, Monialis X. maldra Siliginis.
Adelheidis dicta *Schererin* de *Tuwinnen* Monialis.

JULIUS.

Kalend. *Uta* & Vir ejus *Remboldus*.
VI. Non. *Hedelin* de *Pforzheim*.
CUNIGUNDIS Filia quondam Marchionis de Baden Uxor Comitis de Wertheim.
II. Non. Piæ memoriæ *Adelheidis* de *VVertenberc* Uxor Domini de Lichtenberg.
VIII. Idus. *Cunradus* de *Lichtenberg* X. marcas Argenti in Refectorium.
VII. Idus. *Joannes* de *Boswilre*.
Idus. Marchio HERMANNUS sepultus in Capella juxta Altare S. Joannis.
XVII. Kal. Aug. *VVilhelmus Zezurch*, qui legavit XX. florenos.
XVI. Kal. *Albertus* Miles de *Bach*, qui legavit VI. Quartalia Siliginis.
XV. Kal. Piæ memoriæ *Susanna* Comitissa, Lantgravii Filia de *Lihtenberg*.
XIII. Kal. *VVilhelmus* Comes de *Duwingen*.
XI. Kal. IRMENGARDIS de Zolre Filia antiqui Marchionis de Baden.
VIII. Kal. ELISABETH Wustin Ein alt Eptissin, Reformatrix de Regio Ponte, honestissimæ Vitæ Anno MDXLIV.
VII. Kal. *Eberhardus* de *Sickingen*.
VI. Kal. *Ermentrudis* de *Vroudenstein*.

AUGUSTUS.

II. Nonas. *Conradus* de *Kartunc*, ipse & *Benigna* Uxor ejus, dederunt Nobis Decimam in Sunsheim.
Nonas. *Adelheidis* de *Gartach*.
Belima de *Fegersheim* Monialis Anno MCCCCIX.
Venerabilis Domina ANNA dicta STRAUBERIN, olim Abbatissa Lucidæ-Vallis.
Ursula de *Riepers* Prebendaria, quæ Legavit CCC. florenos Anno MDIIII.
VII. Idus. *Gertrudis* de *Schopheim*.
Reverenda Domina BARBARA VAISEIN Abbatissa.
V. Idus. *Rudolfus* quondam Abbas Novi-Castri.
IIII. Idus. *Elisabetha* de *Remchingen* Monialis.
Generosa Domina *Margareta* Comitissa de *Furstemberg* Baronissa in Morsperg Anno MDLXXI.
Reverenda Domina CUNEGUNDIS de ZOLRE Abbatissa.
Albertus Roder.
XVIII. Kal. Sept. *Rudolfus* dictus *Bosman* Talentum in Refectorio.
Catharina Uxor *Alberti* de *Kintwilre* Armigeri.
XVI. Kal. Piæ memoriæ Domina *Susanna* dicta de *Horrenberg*.
XV. Kal. Domina Abbatissa & Marchionissa ADELHEIDIS.
XIIII. Kal. Domina *Agnes* de *Eberstein* Monialis Anno MCCCXCV.

XIII. Kal.

XIII.	Kal.	*Agnes* de *Floſſen* Monialis.
XII.	Kal.	*Guta* de *Fleckeſtein* Prioriſſa in Clauſtro Lucidæ-Vallis.
XI.	Kal.	*Matoldus* Miles de *Meinsheim.* Reverenda Domina MARGARETA STULZERIN Abbatiſſa in Lucida-Valle Anno MDCXXV.
X.	Kal.	*Catharina* de *Fleckenſtein* Monialis. *Gozo* de *Eberſtein.*
VII.	Kal.	*Urſula* de *Dieſenow* & *Anna* de *Nuwenſtein* Moniales hujus Clauſtri.
VI.	Kal.	Anno MDCLVIII. Obijt Venerabilis ac Religioſiſſima Domina EVA REGINA SPRINGAUFIN, Abbatiſſa Lucidæ-Vallis, quæ ſtatura parva, ſed Doctrina, Sapientia & Omnibus Spiritualibus Magna, cujus Anima vivat in Æternum. *Rudolfus* de *Azzenheim.*
V.	Kal.	Anno MCCCLXI. Marchio RUDOLFUS dictus WECKER Sepultus ante Altare S. Catharinæ.
IIII.	Kal.	*Eliſabetha* de *Dieſenow.* *Agnes* dicta *Harmannin* & Filius ejus *Fridemannus* Legaverunt omni Anno II. Quartalia Siliginis.
III.	Kal.	Venerabilis & Nobilis Domina ROSINA RODERIN Abbatiſſa hujus Loci Anno MDXLIIII.
II.	Kal.	*Eliſabetha Roderin* Monialis hujus Clauſtri.

SEPTEMBER.

	Kalend.	*Ellina* de *Hube.*
IV.	Nonas.	Anno MCCCLIII. Illuſtris FRIDERICUS Marchio de Baden. *Rudolfus* Comes de *Lewenſtein*, qui legavit annuatim X. Libras Hallenſes.
VI.	Idus.	*Jutta* dicta de *Flöſſen.*
V.	Idus.	Soror *Eliſabeth* de *Spira.*
IV.	Idus.	*Agnes* de *Kintwilre* Monialis Anno MCCCLXVII. Anno Domini MCCCXCIII. *Anna Zornin* de *Vegersheim.*
XVIII.	Kal. Oct.	*Marquuardus* Miles de *Frödenſtein.*
XVII.	Kal.	*Bertoldus* de *Oberndorf* Monachus de Alba, hic ſepultus.
XVI.	Kal.	*Neſelin* de *Wiſſenborg.*
XV.	Kal.	Illuſtris Princeps PHILIPPUS Marchio Badenſis, hujus Cenobii Clemens Patronus Anno MDXXXIII.
XIII.	Kal.	*Bertoldus* de *Oza*, qui legavit omnia Bona ſua ipſe & Mater ejus *Bertha* & Uxores ejus *Metza* & *Alheidis*: dantur in Anniverſario ejus de Bonis ſuper Curia ſua in Oza VI. Quartalia. *Rudolfus* Comes de Tuwingen. *Alheidis Kinnegelin* Monialis.
IX.	Kal.	Anno Domini MDXXXIII. Illuſtris RUDOLFUS Marchio Badenſis, Eccleſiæ Majoris Argentinenſis Cuſtos & Canonicus.
VI.	Kal.	*Giſila* de *Hofevvilre.*
IV.	Kal.	*Anna Elendin* Monialis hujus Clauſtri Anno MCCCLXXXIII.

OCTOBER.

VI.	Nonas.	Magiſter *Conradus* de *Genreſpach.*
V.	Nonas.	*Irmengardis* de *Etteningen.* Anno Domini MCCCLVIII. Illuſtris Domina *Renata* de *Bare* Comitiſſa, Uxor Domini *VVolframmi* de *Gemino-Ponte.* Illuſtris Princeps PHILIBERTUS Marchio Badenſis.
IV.	Nonas.	*Henricus Ryſe* Sacerdos in Ettilingen, qui dedit nobis C. florenos. *Eliſabeth* de *Selbah.*

Uu VI. Idus.

VI.	Idus.	*Nendungus* Abbas.
IV.	Idus.	*Junta* de *Uffensheim.*
		Catharina de *Achern.*
III.	Idus.	*Catharina* de *Kintwilre* Monialis Anno MCCCLXXXI. piæ Memoriæ.
		Fridericus Comes de *Otingen*, qui legavit Conventui XXXII. Solidos pro Anniverſario.
II.	Idus.	*Adelheidis* de *Meinsheim.*
		Eliſabetha Buningerin.
XVII.	Kal. Nov.	Anno MDXXXVII. Nobilis & Magnanimus *Guillelmus Roder* de *Hohenrodeck*. Fratet Germanus Reverendæ Dominæ Roſulæ Abbatiſſæ, qui Animam ſuam omnium Bonorum ſuorum inſtituit Hæredem.
XVI.	Kal.	*Andreas* de *Acher.*
XV.	Kal.	*Luckardis* de *Tuwingen* dictâ *Schererin.*
XIV.	Kal.	*Anna Roderin.*
XII.	Kal.	*Cunigundis* de *Slegeldal*. II. Maldra in Refectorio.
VIII.	Kal.	Domina ADELHEIDIS de Tuwingen Abbatiſſa Lucidæ-Vallis Anno Domini MCCCLXVII.
		Piæ Memoriæ Domina *Adelheidis* de *Liechtenberg* Monialis hujus Clauſtri Anno MCCCLXXXIII.
VI.	Kal.	Domina *Agneta Roderin* Monialis, Filia *Ludewici Roder*, Anno MCCCCXXVII.
		Hugo Miles de *Kintwilre.*
V.	Kal.	Anno Domini MDLXXXI. Nobilis & Honeſta Matrona, Domina *Margareta Vaiſin*, Excellenriſſimi quondam Viri *Joannis Balduini* Oppidi Friburgenſis Præſidis digniſſimi Vidua derelicta, Lampadis & Luminis in Dormitorio noſtri Cenobii perpetuò ardentis Fundatrix.

NOVEMBER.

	Kalend.	*Agnes* de *Asberc.*
IV.	Non.	*Catharina Phlumbommin*, quæ dedit dimidium Picarium & Piſces.
		Illuſtriſſima Domina MECHTILDA Marchioniſſa de Baden, Palatina Reni Duciſſa quondam Illuſtriſſimi ac Chriſtianiſſimi Principis PHILIBERTI Marchionis Badæ Conjux, in Chriſto dulciſſimè obdormivit.
III.	Non.	*Suigerus* Miles de *Ubeſtat.*
II.	Non.	*Adelheidis* dicta *Plumerin.*
		Joannes Miles de *Rodecke.*
	Nonas.	Piæ Memoriæ *Udelindis* Pincerna de Baden.
		Adelindis Sanctimonialis hujus Loci.
V.	Idus.	Illuſtris BERNARDUS Senior Marchio de Baden obiit An. MDXXXVI.
IV.	Idus.	*Nicolaus Zorn* Miles Anno MCCCLXXXIX.
III.	Idus.	*Irmengardis* de *Aſperg.*
	Idus.	*Junta* de *Selbah* Uxor dicti *Balhoven.*
XVIII.	Kal. Dec.	*Gerdrudis Kumberin.*
XVII.	Kal.	*Gerungus* Sacerdos & Plebanus in Baden.
XVI.	Kal.	Anno Domini MDCXX. Illuſtriſſimus Dominus PHILIPPUS Marchio, Frater Domini Eduardi Fortunati Marchionis Badæ, Comitis Sponhemenſis.
XV.	Kal.	Soror *Eliſabeth* de *Eberſtein.*
XIII.	Kal.	Illuſtris Marchio RUDOLFUS ſepultus in Capella juxta Altare S. Joannis.
		Ludovicus de *Lichtenberg.*
X.	Kal.	*Gerdrudis Floſſin.*
		Fridericus Abbas de Novo-Caſtro.
IX.	Kal.	*Margareta* de *Wizlembin* Monialis.
V.	Kal.	Devota *Eva Roderin* Monialis Anno MDXL.

Roſu-

		ROSULA RODERIN hujus Cœnobii digna Abbatissa obiit Anno MDX.
II.	Kal.	Piæ Memoriæ *Albertus* de *Kintweilre*.
		Kunigundis de *Selbach*.

DECEMBER.

	Kalend.	Reverenda Domina ROSINA HERTZOGIN Abbatissa hujus Cœnobii Anno MDCXLII.
III.	Non.	*Judela* de *Eppingen*.
II.	Non.	*Gertrudis* de *Ubestat*.
VIII.	Idus.	*Meza* dicta *Walpotin*.
VII.	Idus.	*Bertoldus*, *Osmut*, *Elisabeth* & *Adelheit*, V. Quartalia.
VI.	Idus.	*Rudolfus* Comes in *Tuwingen* pro cujus Anima Uxoris & Liberorum suorum dabit Abbatissa annuatim Conventui VIII. florenos.
V.	Idus.	*Mechtildis* de *Ereberg*.
III.	Idus.	*Ursula* Monialis de *Berstetten*, quæ legavit Bona sua Monasterio, & de Domo sua dabuntur Conventui annuatim V. Solidi Denariorum Argentinens.
XVIII.	Kal. Jan.	*Nicolaus Wizlamb* I. Lib. Hallens.
		Heinricus Miles & *Otto* Frater ejus de *Selbach*.
XV.	Kal.	*Bertoldus* Comes de *Eberstein*, qui dedit Conventui annuatim III. Libras Hallensium pro Anniversario suo.
XIV.	Kal.	*Bertoldus* piæ Memoriæ Monachus & Confessor noster de Argent.
XIII.	Kal.	*Burchardus Bube* Abbas in Ottenheim.
		Irmilina piæ Memoriæ.
XII.	Kal.	*Elisabetha* Comitissa de *Asperg* in Capella retro Altare S. Andreæ.
VIII.	Kal.	*Conradus Roder*.
		Margareta de *Spira*.
VII.	Kal.	*Waltherus* de *Badenstein*.
		Lukardis de *Spira*.
III.	Kal.	*Gerlatus* dictus *Bleiche* ipse dedit III. Maltra.
		Reverenda Domina MARGARETA GOLLIN Abbatissa in Lucida-Valle.
		Simon Clericus.

Sequuntur Fundationes Piæ.

I.

QUia Fragilitatis est humanæ, nunquam in eodem statu permanere, & ob id Res memoriæ dignæ per injuriam & oblivionem diuturnam solent oblitterari, idcirco lubet hujus paginæ scripto memoriæ commendare, quod ERKENBERTUS, Civis Spirensis, & Uxor ejus MARGARETA, quæ nunc obierunt, pro Remedio Animæ suæ contulerunt huic Ecclesiæ, Curiam in Barchusen cum Jugeribus attingentibus; de Bonis prædictis in Anniversario prædictorum Erkenberti & Uxoris suæ, Refectio singulis Annis ministrabitur Conventui in Festo S. Joannis ante Portam Latinam.

II.

HIc sanè Notandum est, & perpetuæ memoriæ commendandum, quod Dominus SYMON dictus de GREVENHUSEN, Capellanus piæ memoriæ Dominæ IRMINGARDIS Marchionissæ de Baden Fundatricis Ecclesiæ nostræ, obtulit & donavit ad Altare Principale B. Virginis, & per consequens Abbatissæ & Conventui usui deputavit Curiam, quæ vulgò dicitur Vrondorf, in villa Winden, quam comparavit pro XXIV. marcis pro Redemptione votorum suorum, ut & perpetua memoria ejus fiat tanquam pro speciali Benefactore nostro, & Anniversarius ejus dies agatur perpetuo cum Vigiliis & Missarum sollemniis, sicut pro valde Caris nostris fieri consuevit.

Idem, Revoluto Anno iterum obtulit & donavit ad prædictum Altare B. Virginis Bona, quæ comparavit in villula, quæ dicitur ad Schur, pro XL. Libris Hallensibus, volens & constituens ut de prædictis Bonis singulis annis in Vigilia Palmarum Refectio ministretur Conventui nostro Lucidæ-Vallis, in signum veræ Fraternitatis, & ut Communionem Orationum & aliorum Bonorum omnium, quæ fiunt in prædicto Conventu, plenè habeat.

III.

NOverint Universi præsentes & Posteri, quod Nos Abbatissa ADILHEIDIS & Conventus Lucidæ-Vallis promisimus hodie Bona Fide Dominæ ELISABETHÆ de Lichtenberg, Sorori Domini Marchionis, nostri Fundatoris, RUDOLFI, Anniversarium Mariti sui LUDOVICI in die Sanctæ Elisabeth, plenæ Refectionis Amministratione & Orationum persolutione, singulis annis celebrare.

IV.

IN Anniversario Nobilissimi Marchionis antiqui HERMANNI, & piæ memoriæ Dominæ Marchionissæ Uxoris ejus IRMINGARDIS Fundatricis Claustri hujus & Filii ejus Illustrissimi Ducis Austriæ HERMANNI, institutum est quoddam Prædium situm in Sunnesheim.

V.

IN Annuntiatione S. MARIÆ Virginis, celebrari promisimus Anniversarium Domini WERNHERI Præpositi Spirensis, & Dominæ MARGARETÆ ex Petitione & desiderio Domini SWIKERI de Brusella, qui dedit nobis XXX. Libras pro Redditibus trium Librarum Hallensium, perpetuò celebrandum.

VI.

ALBERTUS GOES Spirensis, dictus *von dem* PHLUMBOEM legavit in Remedium Animæ suæ Libram Hallensium singulis annis Conventui Lucidæ-Vallis, in cœna Domini in Pitantia in Refectorio ministranda.

VII.

MIles de RAVENSPERCH dictus GÖLER contulit nobis dimidiam Carratam Vini de Decima Gugelingen pro Remedio Animæ suæ, singulis annis.

VIII.

MIles DIETHERUS dictus RODER legavit quadrantem Vini pro Remedio Animæ suæ & Uxoris, Conventui singulis annis. Idem, legavit Frater ejus BURCHARDUS, tali conditione ut in die Anniversariorum suorum dimidium Picarium vini, cuilibet Dominæ ministretur.

IX.

NObilis Domina BERTA de Windecke legavit pro Remedio Animæ suæ, & Viri sui REMBOLDI X. Quartalia Siliginis ut in die Anniversarii eorum SS. Philippi & Jacobi Pitantia ministretur singulis annis, quæ datur de Curia Vinbuch.

X.

AGNES Vidua dicta Bosmennin contulit huic Monasterio V. marcas Argenti, tali conditione, ut quam citius fiat communis Transitus ad Terram sanctam, dentur alicui probo & honesto Viro prædictæ marcæ, in Remedio Animæ suæ, & Viri sui *Henrici*.

XVI. DI-

XVI.

DIPLOMATA ET EPISTOLÆ VARIÆ.

I.

Ulrici Comitis de Lenzburg Charta pro nova Ordinatione Ecclesiæ Beronensis. Ex Apographo.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego ULRICUS DEI Gratia Comes, An. 1036. ad reprimendas Lites futuras, cùm omne Patrimonium meum non in Filios, quoniam illis orbatus sum, sed in Nepotes meos sit transiturum, sæpe & diu mecum cogitavi de quadam Canonica mea, quæ est in loco qui dicitur Beronis-Monasterium à Parentibus meis primitùs, postmodùm à me Sancti Michaëlis Honori attributum, qualiter post obitum meum eadem Canonica liberaliter DEO servire valeat: Regalem nolui facere nisi coactus, quoniam sæpe accidit, si parva res in manus Magnorum venerit, ut vel omninò negligatur aut parum defendatur; rursus nolui eandem Canonicam Nepotibus meis in commune dimittere, ne quod soli DEO bene est coadunatum prava voluntate hominum malè divideretur: tandem inveni consilium ut eligerem unum de Nepotibus meis cui supradictum locum traderem sub quadam conditione, quam in sequentibus indicabo: tradidi enim dictum locum id est Beronis Monasterium cum omnibus ad illud pertinentibus prædiis & mancipiis Nepoti meo Arnulfo ea pactione ut ego habeam eundem locum in dies vitæ meæ, & Filius meus Henricus habeat præfatum locum quamdiu in hoc sæculo vivat & post ejus decessum præfatus Arnolfus firmiter teneat, & secundùm constitutionem nostram perpetualiter possideat & post obitum illius, unus de legitimis Hæredibus ejus, qui sit major ætate, sine contradictione aliorum, teneat atque possideat: Notate tam præsentes quàm futuri, quod dico, unus non omnes, ut unus semper Heredum prædicti Arnulfi, qui scilicet de stirpe mea generetur teneat atque possideat eo tenore, ut sit justus & pius Advocatus atque Defensor ejusdem Ecclesiæ & Canonicorum atque Familiæ, & Electionem à me datam Canonicis nequaquam auferre præsumat, quemcumque velint inter se Præpositum eligere, consentiat, & nullam Traditionem de Prædiis vel mancipiis hujus loci, sine utili & probabili Concambio faciat, & ipsum locum sublimare & reparare conetur si opus fuerit omnibus modis . . . . . . sed ne aliqua occasione quasi ad hæc perficienda de Canonicorum Annona injustè subtrahatur, placuit mihi secernere quid pertineat ad Dominum prædictæ Ecclesiæ, ad Dominum Advocatum, & quid ad Fratres Canonicos . . . . si autem ipse Arnolfus vel aliquis Hæredum ejus quod absit locum prædictum in quantum valuerit non bene defendat, vel de Annona Canonicorum aliquid, suadente diabolo, subtraxerit injustè, & sibi usurpatus fuerit, & inde semel aut bis appellatus à Canonicis non emendaverit, ad confirmandum Pactum meum, de semper Viventis Imperio DEI, ejusdem Loci Canonicis Precipio, constituo, Libertatem & Licentiam do, ut se reclament ad Episcopum Constantiensem, quicumque tunc temporis erit, ut quoniam suam & totius Provinciæ Ecclesias gubernat, supradictæ Canonicæ Advocatum constringat & Iniquitatem quam fecit, emendare præcipiat; quod si illum corrigere non potuerit, tunc idem Episcopus per Pactionem meam DEI voluntate atque Imperatoria Potestate prævaricantem Advocatum abjiciat, & ipse locum ejus subeat, & supradictam Canonicam teneat, atque constitutionem totam adimpleat tam ipse quàm Successores ejus: quod si idem Episcopus vel aliquis Advocatus, quem ille vice sua posuerit, suadente humana malitia præfatam Canonicam neglexerit & Canonicos injustè disturbaverit, & præscriptam constitutionem irritam fecerit, tunc ipse & Ecclesia sua prænominatum Locum & omnia quæ illius sunt, penitus amittat, & Imperator quicumque tunc temporis erit succedat, & teneat, & perpetuæ Libertatis Privilegio eundem Locum amplificet:

ipsi verò Imperatori non pono Auctorem vel Judicem nisi DEUM Regem Regum, à quo cogatur in die Judicii reddere Rationem quam bene & cautè prædictam Canonicam studuerit tueri.

Hæc Charta Traditionis Advocati facta est in Publico Mallo Rore, sub Comite Ulrico & Testibus . . . . . . Anno Dominicæ Incarnationis MXXXVI. Indict. IV. V. Idus Februarii. Luna Octava. Feria II. Anno autem Domini Chunradi Regis, Regni XII. Imperii X.

II.

Ex Autographo. *Charta Fundationis Cœnobii S. Stephani Herbipoli.*

An. 1057. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Adelbero Sacrosanctæ Ecclesiæ Wirciburgensis Episcopus, Universalis Ecclesiæ Gratia vobis & Pax à DEO multiplicetur Amen. Quoniam gratuita DEI Pietate, non nostris meritis, sed sola sua Dignatione in Opus Ministerii sui nos elegit, & licet minus idoneos super Familiam suam Dispensatores constituit, omni sollicitudine curare nos convenit, ne pro infossa Domini Pecunia ab ipso judicemur, sed pro ipsa discretè & fideliter erogata Euge Dominicum post finem Laboris audire mereamur: proinde Notum esse volumus Universæ Ecclesiæ nostræ Fidelibus, qualiter Nos pia Precedentium Patrum & Pontificum Facta sequi cupientes, DEUM in Sanctis suis honorare, Loca sancta instaurare, adjuvare, & Divinum servitium in ipsis ordinare Decrevimus: igitur quod mente concepimus Domino cooperante perficiendi oportunitatem invenimus, nam Locum & Cenobium in vicino Civitatis nostræ Suburbio positum & à Venerabili Prædecessore nostro Heinricho Antistite fundatum, Divinæ Religioni & Monasticæ Professioni cernentes aptissimum, qualiter ipsum sublimare & Divinum inibi servitium amplificare possemus Nobiscum cogitavimus, & super hoc Divinæ Clementiæ suffragium & Carissimorum Fratrum nostrorum cepimus flagitare consilium, quorum provido & prudenti admodùm usi consilio, Fratres Canonicæ Professionis, qui tunc in præfato Monasterio erant DEO Famulantes, in ipsam Civitatem transtulimus, & Canonicos cum Canonicis utpote ejusdem Professionis & Ordinis Homines, collocare non incongruum duximus: ut autem præfatum Locum & Cenobium in honore Beatæ DEI Genitricis MARIÆ & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli Sanctique Stephani Protho-Martiris dedicatum, condigno honore sublimaremus & Ecclesiam hactenus celebrem, Divinis celebriorem Servitiis redderemus XXX. Fratres Monachicæ Professionis ibidem instituimus, statuentes, ut ulterius ibi Monachica Conversatio & Monastica Professio sub Abbatis Regimine semper in Divino permaneat Famulatu; ad Supplementum verò ejusdem Monasterii eorundem Fratrum & postfuturorum Possessiones & Predia cum terminis & Parrochiis reditibus & exitibus aliisque pertinentiis, vel quæ ipse Episcopus Heinrichus primitus donaverat, vel ipse Locus ab aliis donata possederat, eidem ex integro assignavimus: communicato insuper cum Fratribus nostris Canonicis & Nostris Fidelibus Viris Religiosis Consilio & assensu, novem Mansos in villa Hettingesfelt, quos Hereditario Jure possedimus, Mancipiis utriusque sexus areis, Edificiis, terris cultis & incultis, agris, vineis, pratis, campis, silvis, pascuis, aquarum decursibus, piscationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis & hortum ante prædictum atrium Cenobii situm, ex Nostra parte cum omni Justitia, qua Nos & Ecclesia nostra habuimus pro nostra & Prædecessorum nostrorum ac Successorum nostrorum Memoria dedimus atque delegavimus, tali videlicet Respectu, ut Divini Servitii quod ibidem postmodum ageretur, participes efficeremur: ut autem hæc firma in perpetuum permaneant, duas inde Cartulas fieri & Banni nostri Auctoritate, Sigilli quoque nostri munimine signari ac roborari fecimus, & unam apud ejusdem Cenobii Fratres, alteram verò in nostra Ecclesia in Notitiam futurorum servari decrevimus, horum insuper Nomina affigentes, qui hæc ut acta sunt audierunt & viderunt.

Winther Cancellarius. Bernolf Præpositus. Aselo Decanus. Hazecho. Macelin. Ecelin Præpositi. Volraht. Betcelin. Hiltiget, Ebbo, Siccolf, Landolf, Presbiteri. Hatto Archi-Diaconus. Aselo. Cuno. Giso. Bezeman. Suigger. Sigefrit

frit Diaconi. Hatto Bilis. Bern. Diemo. Otolf. Retine Subdiaconi. EBERHARDUS Comes; Noſtræque Advocatus Eccleſiæ. BURKARDUS Comes. Guntbretht. Hacho. Serrat. Boppo. Thiemo. Reffolt. Gumpho. Almar. Sentuvin. Odoch. Liberi Miniſteriales Albgaſt. Wado. Bucko. Nureith. Hergebraht. Rutgaſt. Liemar. Vocko, Suiugkard. Volraht. Billunc. Waltrich. Ebbo. Babo. Arnolt. Rutzach. Gotefrit, & alii plures.

Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MLVII. Indict. XV. Non. Martii. Regnante Domino HEINRICHO Quarto. Anno Ordinationis ADELBERONIS Epiſcopi XII.

III.

Præceptum Henrici IV. Regis, quo Ruperto Cuidam Fideli ſuo, Prædium Morſtat largitur. Ex Authentico.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HEINRICUS Divina favente Clementia Rex. Omnibus CHRISTI Noſtrique Fidelibus tam futuris quam præſentibus notum eſſe volumus; qualiter Nos ob interventum ac petitionem Dilectiſſimæ Genitricis noſtræ AGNETIS Imperatricis Auguſtæ, RUPPERTO, & ob ejus Servitium tale Prædium, quale Nos habuimus in loco Morſtat, in Pago Tubergewe in Comitatu Mergintaim, cum omnibus ſuis pertinentiis, hoc eſt utriusque Sexus Mancipiis, Areis, Ædificiis, Terris cultis & incultis, Agris, Pratis, Paſcuis, Campis, Silvis, Venationibus, Aquis, Aquarumque decurſibus, Molis, Molendinis, Piſcationibus exitibus & reditibus, viis & inviis, quæſitis & inquirendis, ſeu cum omni utilitate, quæ ullo modo inde provenire poteſt in proprium dedimus atque tradidimus: ea videlicet Ratione, ut prædictus Rupprehr de præfato Prædio liberam dehinc Poteſtatem habeat, tenendi, dandi, vendendi, commutandi, precariandi, Poſteris relinquendi, vel quicquid ſibimet placuerit inde faciendi, & ut hæc noſtra Regalis Traditio ſtabilis & inconvulſa omni permaneat Ævo, hanc Paginam inde conſcribi, manuque propria, ut Subtus videtur corroborantes, Sigilli noſtri Impreſſione juſſimus inſigniri. An. 1058.

Data II. Idus Junii Anno Dominicæ Incarnationis MLVIII. Indict. XI. Anno autem Domini HEINRICI Quarti Regis. Ordinationis ejus IV. Regni verò II. Actum AUGUSTÆ in DEI Nomine feliciter Amen.

IV.

Ejusdem Henrici IV. Regis Præceptum pro Confirmatione Rerum, quas Bodo Vir Illuſtris Thariſſenſi Cœnobio Tradidit. Ex Authentico.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HEINRICUS Divina favente Clementia Tertius Romanorum Imperator Auguſtus. Noverit omnium Fidelium tam præſens Modernitas, quam ſucceſſiva Poſteritas, qualiter Dilectiſſimus noſter BODO Noricus Natione, vivens Bavarica Lege, Divino inſtinctus Amore, pro Peccatorum ſuorum cogitare cœperit Remiſſione, nactusque Conſilium bonum ſtatuerit ex Bonis à DEO ſibi conceſſis aliquid conferre ad Loca Sanctorum, quod bene conceptum ad meliorem perducere cupiens effectum pro Medio Animæ ſuæ & Conjugis ſuæ JUDITHÆ, ceterorumque, quibus debitor erat, Noſtra favente Authoritate, per manum MARQUARDI Legatarii ſui ad Altare Sanctorum Chriſti Martyrum Viti & Stephani in Caſtello Thariſſe dicto, proprium Jus quod habuit legitimè in Villa Rounfeld nuncupata cum Capella ibidem ſita duobus manſis dotata, in Pago Wernigewe Comitatu WERNIGERI, cum omnibus ad eandem Curtem pertinentibus contradidit; videlicet Curtilibus Ædificiis, Terris cultis & incultis, agris, paſcuis, Vineis, Silvis, campis, pratis, aquis, aquarumque decurſibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, acquiſitis & acquirendis, cunctisque Utenſilibus, quæ nominari vel haberi poſſunt ea videlicet conditione & conſtitutione, ut nulli Epiſcopo vel Abbati quidquam exinde alicui in Beneficium An. 1094.

ficium concedere liceat, sed pro Memoria ejus suorumque, specialiter Fratribus inibi DEO Sanctisque Vito & Stephano Famulantibus in Supplementum sustentationis eorum deserviat; corpus verò ejus, Domino & eisdem Sanctis annuentibus in eodem loco sepeliatur, & Anniversarius ejus & Conjugis ejus Juditha, Ducumque OTTONIS & HUNONIS, celebri memoria agatur, quam constitutionem si quis Episcopus vel Abbas infringere tentaverit, quod absit, Odium DEI Sanctorumque suorum Martyrum Viti & Stephani atque omnium Sanctorum cum Anathemate incurrat, & si quis Fratrum Proclamationi super hac re infrà unius anni spatium non satisfaciat, liceat Heredibus meis Mansos quinque in legitimum Jus eidem Monasterio donare, & suprascriptam donationem suo Juri legitimè vindicare: hæc est autem Summa Prædii attinens ad villam supranominatam, quæ dicitur Rounfeld; in ipsa villa XXII. Mansi, tot porcos reddentes & Dominicale Magnum & dimidius mansus; tres Silvæ solventes singulis annis unum corium Bovinum & alterum Hircinium, pelles caprinas tres, avenæ modios sex, sex Equorum ferramenta in ipsum Dominicale; ter in Anno à Spiesheim, à Gloeksheim, & Rounfeld universa Aratra debentur, & unicuique aratro unus modius; universa etiam molendinorum loca usque ad locum qui dicitur Hohenweyden juxta inferiorem Rounfeld, in Carnestat XI. mansi & Dominicale, Vinea una & universa molendinorum loca Oratorium unum in Sindefeld, septem mansi & Dominicale, stagnum quoque quod ibi est, dimidium in Schwebeheim XII. mansi & Dominicale in Sendelfeld. VII. mansi in Hilpoldesdorf, unus Regius mansus & unum Pratum in Gloskheim, unus Regius mansus in Decheim, tres mansi in Delheim, tres mansi in Witoldeshusen; XXX. Jugera & Nemus quod Lengenloch dicitur in Tugendorff, V. mansi in Gretstad, Prædium quoddam in Kistheim, unus mansus in Tharissa: IX. mansi & Dominicale tertia pars in Eginolfshausen; qui Prædia habent XXV. sive qui Prædia vendiderunt & deposuerunt, aut ex aliena Familia Conjuges duxerunt triginta tres sunt in Swinefurt, IV. Vineæ in Sultzthal, III. Vineæ in Uraw, Curtile unum & Agri XII. & tertia pars totius Utilitatis in Vurdorf: duo Viri cum Prædiis & Vineis suis in Brachova VII. mansi Curtilia III. utilitas pascuarum & piscationum in Richersdorff usque Hirzfurt in Datelhausen & Hertingen, in Davuirsleben in Datgarstat; & ut hæc Traditio & Constitutio rata & inconcussa permaneat coram Testibus subnotatis per manum supradicti Marquuardi Legatarii delegatione confirmavit. Testes hi sunt RUPERTUS Episcopus Babenbergensis, ALTERICUS Abbas ejusdem Monasterii Tharisiensis, EMEHARDUS Episcopus Wirceburgensis. Otto Advocatus, Vuolframus Comes. Wigant. Beruvich. Boppo. Ernst. Herman. Eppo. Burchart. Brun. Rudolf. Udescalch. Cujus Donationis Authoritas & omnium posthac ut stabilis & inconcussa permaneat, Rogatu Dilectissimi nostri Bodonis hanc Cartam inde conscriptam, sicut inferius apparet, Sigilli nostri Impressione jussimus insigniri.

Signum Domini HEINRICI Tertii Romanorum Imperatoris Invictissimi.

HUNIBERTUS Cancellarius Vice RUTHARDI Archi-Cancellarii Recognovi.

Data Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXXIV. Indictione II. Anno autem Domini HEINRICI Imperatoris, Regni ejusdem XXXVII. Imperii verò XII. IV. Non. Septembris. Actum WIRCEBURGI feliciter Amen.

V.

Ex Autographo.

Charta Emehardi Herbipolensis Episcopi, qua Cœnobio S. Stephani quædam Prædia confert, eique Xenodochii à se erecti Curam committit.

An. 1097. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. EMEHARDUS superna DEI Clementia favente, Herbipolitanæ Sedis Minister humilis: si CHRISTUS DEUS æternus Oleo Nos Letitiæ, Oleo inquam singularis Gratiæ præ Filiis Hominum sibi & Ecclesiæ universali Matri & Sponsæ in Ministerium Pastoralis Curæ prælectos Infulatosque unxit & sanctificavit, justum quippe est nobisque omninò salutare, quod propter ipsum Dominum & Salvatorem nostrum decorem domus suæ in quibuscumque Sacrosanctis Ordinibus quorumvis Pauperum CHRISTI Hominumque Religiosorum studiosissimè ample-

amplectentes amplificemus & promoveamus, nam summa felicitas Bonorum Operum est, si Summo DEO Auctori libenter & diligenter intenti sumus servire, quia sic ad habitationem Gloriosæ Vitæ poterimus pervenire: cunctis igitur CHRISTI & Ecclesiæ Filiis in præsenti Privilegio Testamentalis Tuba Veritatis veraciter intonat, quia nimirùm cupimus & optamus, ut Fideles quique in Fide CHRISTI fideliter audiant & attendant, quoniam sicut Altissimo placuit DEO, Spiritu Auræ Lenis leniter attactus, suaviter edoctus, Ecclesiam in Suburbio Civitatis nostræ in honore Principis Apostolorum Petri & Pauli Beatique Stephani Protho-Martyris Triumphalis Signiferi honorificè constructam, Divinis Servitiis mancipatam, aliquali ope, nostræ Serenitati placuit suffultam relevare, nostrosque Confratres, JESU CHRISTI Pauperes, inopes, egentes, fame, siti & nuditate afflictos ibibi degentes curavimus consolari & adjuvare: Parrochiam namque Hocheim cum omnibus suis pertinentiis, hoc est, Agris cultis & incultis, campis, silvis, in collibus & in vallibus pascuis, aquis piscosis seu in Rivis, seu in Flumine Mogo, seu in vadis ad molendina, commodis & aptis, cum universis decimis Pomorum, olerum, frugum, fructuum, Animalium præter Montem Rabinesberge, ad honorandas prædictorum Sanctorum Reliquias, cum præclaro Testimonio Sacri Cleri Populique Christiani Civitatis, cumque plena conniventia Reverendi Capituli Sancti & Magnifici Martyris Kyliani coram Testibus idoneis Liberis & Ministerialibus unicè annuentibus propter æternæ vitæ Regnum, nobis nostrisque Antecessoribus & Successoribus Episcopis possidendum delegantes, per manum Principalis Advocati donavimus & Jure perpetuo illic servitura irrevocabiliter contradimus; verumtamen hac lege talique forma hæc salutaris donatio habita est atque celebrata, maximè hoc corde & animo intendentes & hoc celebri sermone promulgato stabilientes, scilicet quod Parrochia prædicta, ut paulo ante prætaxatum est, Confratribus nostris in præfata Ecclesia consistentibus in subsidium & stipendium temporalis vitæ perpetualiter subserviat, quorum numerus hac beatissima ope suffultus in Ordine Monastico crescat, & Conversatione Religiosa florescat, ut tamquam Beati in Domo Domini cum Symphonia & Choro tota die ac nocte ymnizantes à Domino DEO Nobis Nostrisque Antecessoribus & Successoribus devotissimè implorantes perpetuum conferant subsidium: præterea quoque hoc summoperè inviolabiliter tenendum est, quod Abbas qui præsidet & præest memoratæ Ecclesiæ nullatenus quidquam in Parrochia Hocheym de omnibus præscriptis attinentiis ulli Mortalium infeudare aut invadiare seu inbeneficiati unquam præsumat, neque ipsam Parrochiam alicui locare aut dimittere audeat, nisi ei, qui procul dubio in propria persona ibidem habitare velit, & valeat, populumque Parrochitanum Katholicè, in his quæ sunt ad DEUM & ad salutem Animarum doctrinaliter instruat, gubernet, & regat, atque Fratribus Fide ac devotione devotissimè subjaceat & subserviat, & quoniam Nobis nostrisque Successoribus æternæ vitæ Præmium, hac DEO devota & utique gratulta Donatione preparari speramus, sub Potestate & inviolabili Auctoritate Altissimi DEI hoc præcipuè ordinamus & disponimus, quod Abbas nequaquam quemvis Advocatum super bona aut super populum in eadem Parrochia vel accipiat, aut esse sustincat, qui, ut solent, jugiter eadem Bona velut ventus urens exedat, devoret & absumat, Populumque Angaria vel pro Angaria millenisque precariis insatiabiliter atterat & obprimat, ipse verò omne Judicium & Justitiam liberè habeat & possideat atque potenter excolat & exerceat, & si fortè gravis violentaque Controversia emerserit, continuò nos indubitanter adiens & promptissimo suffragio nostro adjutus, edomet reprimat & corrigat: statuentes igitur firma stabilitate indissolubiliter solidamus quatenùs ipsi Fratres in præfata Ecclesia constituti, in Vigilia Sancti Michahelis Archangeli, ob honorem Summi DEI Regisque Seculorum pro Salute & Requie omnium Animarum plena Fide & Devotione Vigiliarum Missarumque sollempnia omnes uniformiter in commune celebrare studeant, in quibus & nostram nostrorumque Antecessorum salutarem Recordationem annualiter agant, eisque ob Laboris sanctique Servitii relevationem, Abbas suique Provisores eodem die in Refectorio præter solitam prebendam, plenum Servitium ex eisdem Bonis Parrochiæ devoti persolvant, sicque pro utroque laudabili Ministerio post vitæ suæ terminum perhennem consolationem nobiscum utique indubitanter percipiant; siquidem his Negotiis probabiliter celebratis aliud sollempne factum in præsenti Privilegio adjungere curavimus, scilicet, quod sancta intentione beataque Devotione inductus Xenodochium hoc est Hospitalem Domum Pauperum infra muros Civitatis prope Capel-

lam Beatæ Margaretæ Virginis exstruximus & quibusque Bonis hoc est in Prædiis & in Vineis locupletare atque amplificare studuimus, in quo minimè profecimus, quia, proh dolor! à Provisoribus inibi constitutis Pauperes ac Debiles illuc advenientes desolati, voce injuriosa contristati, tamquam demonicæ Phalanges reretibus phalangis, duratisque fustibus cedebantur cesique miserabiliter expulsi abinde ejiciebantur, qui dum querelosо strepitu nostras adeuntes ædes, nostraque gregatim terentes limina singultuosis vocibus & nostras & omnium creberrimè atque egerrimè replessent aures, meritò nos omnes pusilli & magni commoti propter evidentem Necessitatem, ipsum Xenodochium Summo DEO ordinante infra muros præfati Cenobii exstruximus, hoc nempe facto considerantes, ne Fratres nostri inibi commorantes ampliori Dolore aut Labore afficerentur Parrochiam Cellingijn cum omni Justitia ac Proprietate cum dote & cum decimis per omnes terminos suos, cuncto sacro Clero, Populoque Christiano Civitatis applaudente ac favore pleno affectante ad sacras Reliquias Principum Apostolorum, quæ in præfata Ecclesia dignè venerantur, irrevocabiliter delegantes, Jure perpetuo illic servitura donavimus: hæc autem Lex & hæc Benignissima series in hac donatione Kanonicè atque Katholicè habita est & celebrata, videlicet quod Abbas ut Fidelis dispensator Domus DEI, idem Xenodochium hoc est domum Pauperum ex Bonis Parrochiæ Cellingijn, edificiis honestis & congruis tamquam habitationem DEI disponeret atque ordinaret, unumque è Fratribus suis ordine Presbiterum, vita & conversatione beatum, senem ac placidum, in ministerium & Officium Xenodochii destinaret, qui officiosè Vespere & mane & meridie, quemadmodum CHRISTUS Dominus voce propria velut imperiosa Tuba docet, monet & imperat, agiliter exeat, Pauperes quosque & debiles, scabidos, famidos, turgidos & thabidos querat & colligat, collectosque inhumeris atque in Lectis in Xenodochium gestare non negligat; ibique consolandos, recreandos, resovendosque fore collocet, ac defunctos sepelire non cesset, quoniam his Beneficentiis & Hostiis placari poreſt DEUS meritò & Jure Divino super Divitias Cresi, superque deliciosam Aulam Babylonici Regis, velut altum Cenaculum cum Principe Apostolorum conscendens visionem Divinam visurus, Hospitalem Domum Pauperum de prædicta Parrochia edificare, edificatamque amplificare constituimus in Fide Sanctorum sperantes Nos, Nostros tam Successores quàm Antecessores per hoc posse Domino Salvatori Nostro JESU CHRISTO suæque Genitrici, perpetuæ Virgini MARIÆ devotissimum præstare Obsequium, nobisque in celesti Curia æternæ vitæ participes adaptare Regnum. Has igitur sacras Donationes in præsenti Testamento conscriptas & pragmatica Sanctione Kanonizatas & Kanonicè privilegiatas, Reverenda Apostolicæ Sedis & nostri Officii Auctoritate confirmamus, easque Sacro Sigilli nostri Karactere velut æterna Clausura Posteris corroboramus, ea videlicet Lege, ut si quis tam salutaria Facta violare aut immutare præsumat, æternos ignium calores & infernales Nivium, Anathema Maranatha, in æternum subeat Algores. Testes Abbates Ezzo. Abrich. Adelger. Ruprecht Præpositus. Clerici Otto Præpositus. Udalricus Decanus. Wecil. Gebehard. Cunradus Præpositus. Boppo Cantor. Cunrat. Adelbreth. Gunderam. Burkart. Reginolt. Heinrich. Fridehalm, Luтuvin. Liberi Heinricus Comes. Gozuvin Comes. Gotebolt Præfectus & Frater ejus Crapht. Ruprecht. Ministeriales Rycholf. Engilbreht. Yrinc. Eber. Ruprecht. Dietrich. Billunc. Eberhart. Bern. Arn. Herman. Eusprehе. Aliique plures.

Acta Anno Dominicæ Incarnationis M. Nonagesimo VII. Heinrico Quarto Regnante. Indictione VII.

VI.

Ex Cod. M.S. Erford.

Epistola Monachorum Cluniacensium ad Alphonsum VI. Regem Leonis & Castellæ.

Pie Dignationis vestre Gratiam, qua Nos Regie Salutationis Alloquio prevenistis, obviis Brachiis prone Humilitatis amplectimur, Gratias agentes DEO, qui sic Vos fecit gratia Terrene Dignitatis Excelsum, ut magis Amore Celestium, Humilitatis vos fecit apice gloriosum, sic enim humiliter, sic benignè Vestra se Nobis Gratia

Gratia in litteris, quas misistis, insinuat, ut Militem potius videatur sonare quam Principem, nisi quod ille est verè Eminentissimus Principatus, qui Fide CHRISTI cernitur & Humilitate subnixus: jam verò quas Vobis Gratias reddere poterimus, qui Paupertatem Fratrum nostrorum pauperem esse non sinistis, quam continue Beneficentie donis, & protensis Locorum Finibus ampliatis. Intende quesumus Domine JESU, & hæc sancta Opera Regie hujus Pietatis accepta, ut qui Pauperibus tuis liberam reddit hujus Seculi Solitudinem, perhennem cum eis habeat in Domo Patris tui, tuo munere mansionem: Nos quoque pro Modulo nostro piissime Princeps Benivolentie Vestre Divitias venerantes, Oblatione Monasterii de Castineria quod pie Religionis Amore in Ordinis nostri Titulum transcribere cogitastis, gratanter accepimus, promptam gerentes in Domino Voluntatem, ut cum Abbas Loci venerit subventionem à Vobis & Opem recipiat congruentem: quod autem ad Orationum pertinet Suffragia quæ petistis, nunquid potestis Bonorum nostrorum non esse Participes? Quibus in tantum sumus pro tanta Benivolentia debitores.

VII.

Altera eorundem Epistola ad Tharasiam Alphonsi Regis Filiam.

Ex Cod. M.S. Erfurd.

PErvenit ad Nos quam misistis Pagina Litterarum, quæ eximie Devotionis erat plena dulcedine & Regie rutilabat Fidei Claritate, liquido namque illarum tenore innotuit, quod etsi presto sit vobis de Honore Principali sublimitas mentis, multo magis Humilitas nos honorat que in Serenissimo Corde vestro mundane Potentie Fastum reprimit dum illud in Archam Beatitudinis celestis attollit; hinc est quod preter notam ceterarum nostris temporibus Feminarum in Pauperibus CHRISTI, Christianam non erubescitis Paupertatem, dum Suffragia devotissimè queritis . . . . & unde tantus tenor Humilitatis in Virgine? nisi de Amore & unitate illius, qui se ipsum exinanivit, Nasci dignatus ex Virgine: Nunc ergo Domine JESU, Seminator Pietatis Humilisque Consilii, accipe seminum Fructus, quos in THARASIA seminasti; Vos autem Excellentissima Domina, quam Supremus Dominus tanta Benedictione prevenit, ut prius didiceritis Celos amare quam Terras, agite quod agitis, Diligite quod Amatis, ut post presentis Glorie floridum Principatum corruptibilem Mundi hujus Coronam, incorrupto Diademate commutetis, Pauperes verò Fratres, immò ex magna Familiaritate jam Divites, Magnificentie Vestre, & cum non oporteat, commendamus, quatinus & Vos circa illos Paterne Sollicitudinis comprobetis Affectum, & Nobis . . . . geminetur.

VIII.

Henrici IV. Regis Præceptum quo Tharissensi Cœnobio, Telonii, Mercatus & Monetæ cudendæ Jura concedit.

Ex Authentico.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HEINRICUS Divina favente Clementia Tertius Romanorum Imperator Augustus. Cunctis DEI Nostrisque Fidelibus Notum esse volumus tam futuris quam præsentibus, qualiter Nos interveniente Fideli Nostro Babenbergensis Sedis Episcopo RUPERTO, & collaudante EINEHARDO Wirceburgensi Episcopo, ad Monasterium S. Viti, situm in Loco Tharessa, quem Pater Noster Felicis Memoriæ HEINRICUS Imperator unicè dilexit, pro Remedio Animæ Nostræ Parentumque nostrorum, ac totius Posteritatis salute, Telonium in Mogo, Mercatum, sed & Monetæ usum ex Imperiali Authoritate tradidimus, ea videlicet Ratione, ut deinceps eadem quæ apud Babenberg habita fuerit, in prædicto Loco Moneta sine omni contradictione vel Angaria libere cudatur, & omni utilitate quæ ullo modo ex his tribus provenire poterit, Abbas ejusdem Monasterii potestativè utatur: ut hujus ergo Donationis Authoritas in perpetuum stabilis & in- An. 1097.

convulsa permaneat, Testamentum hoc conscribi & sicut inferius apparet Sigilli Nostri Impressione jussimus Insigniri.

Signum Domini HEINRICI Tertii Romanorum Imperatoris Invictissimi.

HUNIBERTUS Cancellarius Vice RUTHARDI Archi-Cancellarii Recognovi.

Data Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXXVII. Indictione V. XII. Kal. Septemb. Anno autem Domini HENRICI Imperatoris, Regni quidem XLI. Imperii verò XIV. Actum WIRCEBURGI in CHRISTI Nomine feliciter Amen.

IX.

Ex Cod. M.S. Erford.

Charta Fundationis Cellæ S. Martini ad Werram.

An. 1104. NOtum sit Omnibus CHRISTI Fidelibus tam futuris quàm præsentibus, quod Ego RUTHARDUS Sanctæ Moguntiuæ Ecclesiæ DEI Gratia Archi-Episcopus, supernæ Remunerationis intuitu, cum consilio Fidelium meorum construxi Altare in spem superædificandæ Ecclesiæ & dedicavi illud in Honore Sancti Martini juxta Folchanaha, in loco usque ad id temporis inculto, & dotavi illud quatuor Mansis in Stembeche rectè ex opposito in altera parte Ripæ sitis cum parte Silvæ eidem Loco contiguæ, est autem ejusdem Silvæ terminus ad hoc denominatus, ab eo Loco qui vulgari Lingua *Wagental* nuncupatur: dedimus item sub eadem dote & ex altera parte Ripæ molendinum, & Silvæ quicquid interjacet inter molendinum & terminum Frankenrot cum aquæ Piscatura. In Hohingon tres mansos, in Hasenrote V. mansos, in Snelmaneshuson III. mansos: Anno verò secundo post Dedicationem Altaris, Beneficium cujusdam nostri Militis Nomine Hartmanni exhæredatum & à Nobis Retentum in usum Fratrum ibidem DEO Famulantium contradidi: est autem idem Beneficium, villa quæ Biscophorot nuncupatur: postea verò non multum, visum est quibusdam nostris Fidelibus, eo quod Nos ipsa quæ tunc erat temporis, Inquietudo à Proposito nostro disturbaret & Rerum Facultas ad præsens per se stabiliendi minus suppeteret, visum est, inquam, illis ut Locum eundem alicujus Providentiæ commendarem quatinus & ab ipsius Sollicitudine Regulari Disciplina gubernaretur, & quod Nos minus contulimus in rebus necessariis suppleretur; tali utique Nos usi consilio Locum eundem cum omnibus appendiciis ad Abbatiam quæ est Erpesfurt in monte in honore Beatorum Apostolorum Petri & Pauli donavimus & Lege Monastica deinceps disponendum subjugavimus; illud etiam statuimus, quod hæc Cella ac omnia ad eam pertinentia nullum omnino Advocatum habere debet, nisi illum quem Abbas & Fratres ejus Erpesfortensis Cenobii in Monte positi, ad quod illa cum omnibus appendiciis suis pertinet sibi elegerint: placuit itaque Abbati BURCHARDO qui tunc temporis eidem Abbatiæ paterna dilectione præfuit, ut hæc duæ villæ Frankenrot & Aschera, quæ prius ad eum pertinebant ad Locum noviter suæ collatum providentiæ sine aliqua diminutione perpetualiter deservirent: concedimus autem Fratribus in eadem Cella DEO militantibus Verbum DEI Populo annunciare, baptisare, Infirmos visitare, Mortuos sepelire, & si quis ad DEUM converti voluerit, liberè cum omnibus quæ DEO & usui ejusdem Loci dare voluerit, sine alicujus contradictione recipere, quod Nos ratum & inconvulsum permanere volentes Cartam hanc Sigilli nostri Impressione consignavimus & interminabiliter sancitum sub Anathemate mediante Patre & Filio & Spiritu Sancto confirmamus. Hujus rei Testes sunt. EMBRICO Præpositus, ORTO Præpositus. Heinricus Moguntinæ Ecclesiæ Archi-Diaconus, Wigo.

Acta sunt autem hæc Anno Incarnationis Dominicæ MCIV. Indict. XIII.

X.

Ex Apographo.

Charta Fundationis & Consecrationis Ecclesiæ in Dittenborn.

An. 1104. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus Sanctæ Ecclesiæ Fidelibus quod Vir quidam REINFRIDUS, & ejus Uxor WICELA Jure Seculi Liberi fuerunt,

fuerunt, sed in Fide & dilectione DEI multò liberiores, nam memores DEI, & Ejus cupientes Gratiæ participes fieri, Loco proprii Prædii sui, quod dicitur Dittenborn condiderunt Ecclesiam ad Honorem DEI ejusque Matris perpetuæ Virginis, non magnam quidem sed Opere Lapideo satis decenter compositam nam quanto verius crediderunt hoc genere Benefacti Gratiam DEI se posse amplius promereri, tanto ambitiosius pro Redemptione Animarum suarum Parentumque suorum construere atque ornare studuerunt: quia verò Domus Nomini Domini facta, particeps esse debet Aulæ Cœlestis, in Laude videlicet Regis Celorum & in Ceremoniis Virtutis DEI, propter hoc eandem Ecclesiam copiosius suis Facultatibus extulerunt, ut certis Temporibus & statutis diebus nullus ibi esset Divinæ Servitutis defectus, hujus rei Gratia, ut diximus, tradiderunt eidem Ecclesiæ circumjacentem sibi Terram, ea tamen conditione, ut quamdiu viverent Terra ipsa & Locus, imò & Ecclesia in ipsorum esset Potestate, & ut nullus ibi alius esset præter eos Advocatus: adhæc contulerunt eidem Ecclesiæ X. mansos, cum omnibus eorum Ustensilibus & X. Mancipia, sex eorum Censualia, & quatuor servili Opere mancipata, præterea recognoverunt ibidem DEO omnem Decimationem Terrarum Dominicalium suarum, quæ quoniam in mea erant Potestate, Ego Rothardus Moguntinæ Sedis Archi-Episcopus, qui eandem Ecclesiam dedicavi, pro Gratia DEI ejusque Matris perpetuæ scilicet Virginis MARIÆ, nec non Rogatu eorum, qui eam Recognoverunt, DEO tradidi eandem Decimationem Ecclesiæ illi ad usum Sacerdotis ibidem DEO servientis, sicut & cetera supradicta tradita sunt ad usum illius, hoc est circumjacens Terra & X. mansos & totidem Mancipia; consecravimus etiam Ecclesiæ Cemiterium & Auctoritate nostra concessimus eos ibidem sepeliri, & omnes ad se pertinentes similiter Baptisari, ibi & sepeliri: ut autem hæc nostra Traditio & prædictorum Fidelium, firma & inconvulsa permaneat, Pacem eidem Ecclesiæ DEI bannivimus Banno DEI & Nostro, nec non & omnibus Bonis ad eam pertinentibus; eandem quoque Traditionem scripto hoc Memoriæ commendavimus, & Sigilli nostri Impressione signavimus, ut si quis forte aliquid eorum quæ prædiximus irritum facere præsumpserit, hujus Privilegii nostri Auctoritate Divinæ Majestatis reus & Banni nostri Anathemate perpetuo nisi resipiscat damnatus facilè convincatur.

Facta sunt autem hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCIV. Indictione XII. Regnante Heinrico Imp. III.

XI.

Brunonis Abbatis Hirsaugiensis Constitutio circa Homines Censuales.

Ex M. S. Ecclef. Equestr. Comburg. Circa An. 1120.

NOtum sit cunctis JESU Crismate perunctis, quod Piæ Memoriæ Dominus Abbas Hirsaugiensis Bruno, Misericordia motus super Homines Censuales Ecclesiæ, habitantes in villa quæ vocatur Halla & in contiguis ejus Locis, talem Gratiam eis concesserit, ut unusquisque Virorum qui omni Anno debuerat solvere XX. Denarios, ponat V. denariatas Ceræ super Altare S. Petri, & unaquæque Fœminarum, quæ debebat dare XII. Denarios ponat III. denariatas & sic Liberi sint ab omni Jure, & hoc constituit ut nulli Ecclesiæ, nullique Hominum tradantur in Concambium absque illorum Rogatu: post mortem autem singulorum ab Homine accipiantur optimum Pecus vel Gladius, & à Muliere optimum Indumentum quicumque hæc Instituta dissipaverit, cum Dathan & Abiron mergatur in profundum Abyssi.

XII.

Diploma Henrici Archi-Episcopi Moguntini, quo Bona & Possessiones Monasterii S. Petri Erfordiæ, sub Protectione sua Recipit.

Ex Cod. M. S. Erford.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus CHRISTI Fidelibus tam modernis, quàm postfuturis, quod Ego Henricus DEI Gratia Moguntinæ An. 1143.

tinæ Sedis Archi-Episcopus Prædecessorum meorum Religiosis Institutis devota Mente Consentio & quidquid ab eis in honorem DEI, & laudem sancitum est, sanctum teneo, & quidquid ab eis Canonicè reprobatum est, irritum teneo & quidquid ab Eis Ecclesiastica Authoritate in melius commutatum est, utilitatis aut necessitatis Causa, Ratum esse Censeo: si quid verò ex his, quæ decreverint per Negligentiam, vel Antiquitatem depravatum est, aut oblivioni traditum est, libenter & devotè pro Consilio Catholicorum Virorum, & pro posse meo restauro; hujus itaque Benevolentiæ Constantia firmatus, Abbatiam S. Petri in Erffort in Patrocinium meæ defensionis assumo, & quidquid Honoris & Utilitatis ab Antecessoribus meis ei collatum est, Ego non imminuo, imò si adhuc quid deest, libenter supplebo: enim verò cum tempore Archi-Episcopi SIGFRIDI, Canonici absque Monachis Erphesfurt DEO servirent, & contemnentes Sæculum se extra Erphesfurt ad Monachorum transferrent Consortium, ex Consilio Canonicorum, Monachorum, Laicorum, Zelum DEI habentium, Canonicos, qui tunc Montem S. Petri inhabitabant, cum Charitate, & Pastorali Dispensatione Removit, & celebrata Synodo omnibus Catholicis, qui ibi aderant unanimiter in ipsum consentientibus, Monachos ibi substituit, ut in tam celebri loco pœnitentes invenirent quo confugerent, & Sæcularium hominum ineptias, Monachorum Orationes, & Exempla temperarent, quod postquam Banno, & Privilegii sui Attestatione confirmavit, prædictam Abbatiam, tam ipse, quàm Successores illius Prædiis & Mancipiis, cæterarumque necessariarum Rerum Largitionibus, magnificè locupletavit, & ab omni sæculari Exactione, & ab omni personarum sæcularium prægravatione, eam liberam esse constituit, sicque factum est, ut Locus ille cooperante Gratiâ DEI in Omnibus feliciter procederet, & per Oblationes Fidelium, usque ad hæc tempora pulchrè & honestè subsisteret: unde & Antecessores mei eundem Locum in defensione sua habuerunt, & cum diligentes instituta illius Privilegiis firmaverunt, Ego quoque Majorum meorum Beneficentiæ consentiens, Litterarum & Sigilli mei Confirmatione & sub Vinculo Anathematis decerno, ut quidquid ipse Locus habet in Prædiis, in Mancipiis, Pascuis, Sylvis, cultis & incultis, in Areis, ædificatis & ædificandis, in Pratis, & Agris, in Molendinis, in Hortis, Aquis, Piscationibus, Aquarumque decursibus, denique in omnibus Rebus Utensilibus & Possessionibus seu modò habitis & hic subscriptis in Erffort, in Alich, Bindersleben, Tutelstete, Weytere, Mulhusen, Stuchsfurt, Honige, Tisental, Crotendorf. Nabawinede, Bachstete, Franckenrode, Enzenrode, Eiflelyben, Asschere, Abterode, Huren, Baldestete, Walren, Swestete, Urstette, Gotenstete, Rode, Frinstete, Geurislyben, Ingerislyben, Eislyben, Buseleyben, Kirspeleyben, Vipeche, Tutileyben, Aroltishausen, Tunzrenhusen, Fladehindorf, Hainme, Rugerisleyben, Suzere, Summeringen, Tabelia, Talheym, Topfstete, Blanckenberg, Urleyben, Hagen, Hochdorff, Golsa, Kirchenheiligen, Gisbotisleyben, Hachstete, Linderbach, Mittelhausen, Tundorf, Eichelborn, Bulnhusen, Bolestete, Dachebeche, Turowa, Bisschoverode, Berringen, Muntheszelle: seu adhuc justè adipiscendis, a Nullo lædatur, à Nullo Calumniam malitiosè patiatur, sit Liber ab omni Sæculari Exactione, ab injusta Advocatorum, seu Aliarum Laicarum personarum prægravatione, in Eligendo Abbate Liberam in DEO habeat Potestatem, vel in proprio, vel alieno Claustro ejusdem conversationis: quod si omnium Prædecessorum meorum Privilegia, vel per Negligentiam perdita, vel quod absit incendio fuerint concremata, hujus Privilegii nostri Authoritate, sint cuncta pleniter reparata: si quis contra Authoritatem, Rapinis, Incendiis, vastationibus, seu aliis infestationibus inquietaverit locum illum, cum Diabolo & Angelis ejus, æterno nunquam salvandus, deputetur Incendio. Hujus ita nostræ Confirmationis Testes sunt: BURCHARDUS Argentinensis Episcopus, ANSELMUS Havelbergensis Episcopus, Hartmannus Majoris Ecclesiæ Decanus & S. Stephani Præpositus, Henricus Majoris Ecclesiæ Custos, & Erffordiensis Præpositus, Getlacus S. Victoris Præpositus, Arnoldus Præpositus & Camerarius, Goteboldus Frislariensis Præpositus, Magister Wilhelmus, Gozbertus Curator & Præpositus, Adelhardus S. Severi Præpositus. Capellani, Godefridus, Conradus, Gisilbertus. Abbates, Wernherus de S. Albano, Volmarus Hirsaugiensis. Cuno S. Disiboti, Henricus electus S. Jacobi. Regulares Præpositi, Erenfridus, Wdewinchele, Antonius de Elesestat, Gunterus de Lupoldesberg. Emicho de Linungen, Conradus de Chireberech, Tammo de Hagenowe Wiger, & Frater ejus Godefridus de Huste, Retherus de Werede, Dudo de Rusteberg Urbis Præfectus;

fectus; Ministeriales, Embrico, Ringevig; Dudo, & Megengotus Frater ejus, Ruthardus Vice-Dominus. Dudo Sculcetus, Conradus de Gesmare.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo, Centesimo quadragesimo tertio, indictione sexta Regnante Rege CONRADO hujus Nominis tertio. Data Moguntiæ XIII. Kal. Aprilis, per manum SIGELOI Notarii.

XIII.

Ejusdem Henrici Archi-Episcopi Charta pro eodem Monasterio.

Ex Cod. M.S. Erford.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS DEI favente Clementia Sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ Archi-Episcopus. Notum fieri volumus cunctis CHRISTI Fidelibus, quibus Traditionibus Prædia in Hochstett jacentia, Principibus Apostolorum Petro & Paulo in Erpesfurt sint delegata. DIEMO quidam Ministerialis Domini CONRADI Marchionis, Gratia Spiritus Sancti inspiratus, deliberavit mutare Terrena cum Cœlestibus, adiensque prædictum Marchionem, Rogavit ut illius permissu se suaque Bona liceret tradere Erphesfurtensi Cœnobio in Honore supradictorum Principum Apostolorum ædificato. Cujus precibus Nobilis Marchio devotissimè assensum præbuit, atque Omnia Prædia, & Homines, quæ prædictus Diemo in Hochstett possidet, Liberis Manibus duorum Comitum, videlicet SYZONIS Comitis, & LAMBERTI tradidit: ut ipsi nihilominùs super Altare prædictorum Apostolorum ipsa Prædia contraderent: est autem idem Prædium VIII. Mansi cum hominibus & una vineâ in Hochstett, & tres Mansi in Unleyben. Qua traditione legitimè peracta, & Prædecessoris nostri ADALBERTI Archi-Episcopi Senioris Banno confirmata, sæpedictus Diemo Monasticæ vitæ Regulam subiit in supradicto Cœnobio, in quo dormit Feliciter in Domino. In prædicta villa habent iidem Fratres aliud Prædium quod Dominus HERMANNUS de Wocenesberc Jerosolimam pergere desiderans, DEO & Sanctis Apostolis delegavit, multis Nobilibus, & Liberis & Religiosis Viris cum Advocato assistentibus; tradidit autem XV. Mansos, cum omni utilitate, domi, & foris, viis, & inviis, agris cultis, & incultis, pascuis, pratis, aquis piscinis, aquarum decursibus, silvis, molendinis, deditque unam Vineam cum pomerio, & homines suos, quosdam ad Ministerium, quosdam ad Censum. Tradidit præterea Reinhardum quendam de Berchacha cum dimidio manso, & Curtilibus, tali Conditione, ut perpetim duæ Quadrigæ de hoc Prædio ligna in usus Fratrum exportarent. De Prædio & Prædii Jure parum diffidens Landtgravii Mater cum Filiis, aliquantis Annis legitima illius Prædii Fratribus impediverat; verùm à Nobis & aliis Viris Religiosis commonita, idem Prædium dividi permisit, & dimidiam partem Curtilium in Barchacha & Agrorum cultorum, & incultorum, & Evectionem unius Quadrigæ de sylva liberè & publicè cum Filiis Sanctis Apostolorum Principibus remisit, & dimidia, quam sibi retinuit, dimidium Mansum in Hochstett tradidit, & hæc omnia Banno & Scriptis firmari Rogavit. Harum Rerum Veritatem Respectu Pacis, & stabilitatis Litteris demandavimus, & Sigilli nostri impressione corroboravimus, & in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Banno Antecessorum nostrorum, Bannum addidimus. Hujus rei Testes sunt . . An. 1144.

Acta sunt hæc apud ERPHESFURT Anno Dominicæ Incarnationis MCXLIV. Indictione VII. Regnante CONRADO Rege; Sedi Ecclesiæ Præsidente HENRICO DEI Gratia Venerabili Archi-Episcopo. ERNESTUS Comes Advocatus fuerat, & Rutelius Sculcetus feliciter Amen.

XIV.

Ejusdem Charta Tertia.

Ex eodem Cod. M.S.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego HENRICUS DEI Gratia Moguntinus Archi-Episcopus. Notum esse volumus Universis CHRISTI Fidelibus, quod quidam Ministerialis Domini BERNHARDI Comitis, GUNTHERUS Nomine de Ditten- An. 1147.

 dorff,

dorff, & Filii ejus, ALEXANDER videlicet, & HENRICUS, & GUNTHERUS, duos Mansos, & dimidium in Hochstett Abbati WERNHERO hujus Nominis II. suisque Fratribus in Erphesfurt pro octo Marcis, & quinque Talentis vendidit, & propria Manu Filiorumque & Aliorum, quorum ad hoc negotium assensu indiguit, præcipuéque præfati Principis Bernhardi super Altare Apostolorum Petri & Pauli, data sibi prædictâ pecuniâ ab Abbate Wernhero in Erphesfurt tradidit: hanc Ego HENRICUS DEI Gratia Mogunt. Archi-Episcopus Emptionem, & Traditionem Ratam, & firmam esse volens, Sigilli mei Impressione Roboravi & Banni mei vinculo colligavi: ut si quis hanc Traditionem infringere conetur, in Die Judicii cum Angelo Sathanæ damnetur. Hujus rei Testes sunt Wernherus Abbas Erphesfurtensis, Hiltene Abbas Aldesleybensis, Bernhardus Comes, & Advocatus ejusdem Cœnobii, Gunzelinus, & Frater ejus Goltmarus de Dachebeche, Hugo, Guntherus, Henricus Sub-Advocatus, Gisilherus, & alii quam plures.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCXLVII. Indictione X. Regnante CONRADO Rege hujus Nominis Tertio, eodem Rege in expeditione Jerosolimitana posita.

XV.

Ex eodem Cod. M.S.

Ejusdem Charta quarta in Gratiam prædicti Cœnobii.

An. 1149. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS DEI Gratiâ Moguntinæ Sedis Archi-Episcopus, cum Sanctorum Patrum Decreta, sicut & Canonum Instituta, ut quæcunque Nobis Divinâ favente Clementiâ commissa sunt, Paterno Intuitu regere, & si fortè dispersa sunt, recolligere, & discretè augmentare debeamus, insinuant; conveniens & irrefragabile esse videtur, ut quibuscunque Diœcesis nostræ Locis corporaliter præesse non possumus, Religiosi Fratris nostri alicujus præsentia, si fortè in vicino est, providâ Dispensatione, ut tunc vice nostrâ fungatur, studeamus adimplere; quocirca Notum facimus Universis, tam futuri, quàm instantis ævi, CHRISTI Fidelibus, quod tam pro necessitate Ovium nostratum, DEI permissione Provisioni nostræ commissarum, quàm pro Petitione Ministerialium nostrorum, & cæterorum inibi manentium, venerabili Gelphrado Abbati, & Successoribus suis de Monte S. Petri in Erpesfurt, hoc Authoritate nostrâ & Licentiâ concessimus, ut pueros baptizent, Infirmos, si fortè petierint, visitent, mortuos sepeliant, & sicut hucusque fecerunt, deinceps faciant, & cum Cruce & Reliquiis Ecclesiam suam Dominicis diebus solito more circumeant, ut quod labor noster per absentiam minimè potest explere, devotio eorundem Fratrum studeat consummare, ut autem hujus Traditionis series rata, & in perpetuum inconvulsa permaneat & Testes subscribi & paginam hanc Sigilli nostri Impressione insigniri præcepimus &c.

Acta sunt hæc Anno MCXLIX.

XVI.

Ex Autographo.

Charta Exemptionis à Jure Advocati, concessa ex Authoritate Gebehardi Episcopi Herbipolensis.

An. 1153. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Nos VOLGERUS, CUNO & ADELOLDUS cum Reliquis ex Tribu & Cognatione nostra, ad Ecclesiam Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Sanctique Stephani Protho-Martyris in Wirzburg pertinentibus cautum nobis esse credimus notum facere tam futuri quàm præsentis ævi Fidelibus, quod pro vitando gravamine ab Advocato, pro Nobis nostrisque Filiis disposuimus: in villa etenim quæ Boppenlure dicitur mansionem habentes, Domini BOPPONIS Advocati in Wolfericheshusun ad cujus Jus attinere videbamur, dura sæpius Potentia nimis gravabamur; unde consilium facientes tandem hoc apud ipsum obtinuimus, ut datis ex Rebus nostris VI. Talentis ab omni Jure & Justitia quam ei vel Successori-

ceſſoribus ipſius debebamus, deinceps & in perpetuum omnimodis Liberi eſſemus; hoc autem facto, ipſe nobiscum Wirciburg venit, ibique Venerabili Epiſcopo G. Jus Beneficii quod in Nos hactenus pro Advocatia habuit, manu propria reſignavit, præſente Domino R. * Abbate Sancti Stephani, atque Urbis Præfecto Boppone, ceterisque tam Liberis quàm Miniſterialibus plurimis: præterea Teſtamentum hoc ſcribi per Gratiam ſuam Domnus Epiſcopus fecit, ac pro tutamine noſtro, Sigilli ſui Impreſſione inſignivit. Teſtes hujus rei ſunt BOPPO Comes. BERTHOLDUS Comes. GERHARDUS Comes de Kercheim. WOLFRAMMUS Comes de Wertheim. Gyſo. Manegolt. Marcuvart de Grumbach. Billungus Vice-Dominus. Yring de Zabelſtein. Heroldus Camerarius. Goteboldus & Frater ejus Gotefridus. Billungus Junior. & Richolf & Sigeloch Canonici.

* Rapholdo.

Acta ſunt hæc Anno Domini MCLIII. Indict. I. Imperante CUNRADO, Epiſcopo Wirceburgenſe GEBEHARDO.

XVII.

Præceptum Henrici VI. Regis ſuper Inveſtitura Præpoſiti Beronenſis.

Ex Apographo.

An. 1192.

HENRICUS DEI Gratiâ Romanorum Rex & ſemper Auguſtus Fidelibus ſuis Univerſis Canonicis Beronenſibus Gratiam ſuam & omne Bonum: accedentem ad Nos Dilectum Conſanguineum noſtrum ULRICUM Comitem de KIBURG Baſileenſis Eccleſiæ Canonicum benignè ſuſcepimus, & ipſum Electum à Vobis de Præpoſitura Beronenſi inveſtivimus, conſtituentes eum Imperialis Aulæ Capellanum, veluti tenemur facere Præpoſitos dicti Loci, cupientes ei Dignitates ſuas Loco & tempore ampliare.

Datum HAGENOWE VIII. Kal. Junii Indictione IV. Anno Dominicæ Incarnationis MCXCII.

XVIII.

Gardulfi Epiſcopi Halberſtadenſis Notitia pro Donatione Dedonis Viri Nobilis.

Ex Cod. M. S. Erford.

An. 1200.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. GARDULPHUS DEI Gratia Halberſtadenſis Epiſcopus: Pontificalem decet Sollicitudinem Eccleſiarum Utilitatibus invigilare, & contra varios futurorum incurſus omni Diligentia præmunire, Notum igitur eſſe volumus tam præſentis quam futuri temporis Fidelibus, quod Nobilis quidam ſcilicet DEDO de CREZUC, Benedictionis Memoriam ſibi comparare cupiens, pro Remedio Animæ ſuæ Fratrisque ſui, Prædeceſſoris noſtri T. * Epiſcopi Manſum unum in Seburg ſitum Eccleſiæ B. MARIÆ cum omni Integritate contulit. Hujus rei Teſtes ſunt C. Major Præpoſitus V. Decanus & alii quam plures.

* Theodoricus.

Factum eſt Anno MCC. Indictione IV. Anno Pontificatus noſtri primo. Ut autem hæc Donatio rata & inconvulſa permaneat, in virtute Spiritus Sancti Banno noſtro confirmavimus & hanc Paginam Teſtimonialem Sigilli noſtri Impreſſione ſignavimus.

XIX.

Bulla Innocentii III. Papæ, qua Capitulo Hildesheimenſi præcipit, ut relicto Conrado Ex-Epiſcopo, Heriberto in ejus Locum ſuffecto firmiter adhæreat.

Ex Cod. M. S. Mogunt.

An. 1201.

INNOCENTIUS Servus Servorum DEI Dilectis Filiis. H. * Electo & Capitulo Hildesheimenſi Salutem & Apoſtolicam Benedictionem illud Dominus in Beato Petro, cui licet inſufficientes in Apoſtolatus ſucceſſimus Dignitate, ſingularis Prærogativæ Privilegium

* Heriberto.

vilegium Ecclesiæ Romanæ concessit, ut Universorum Fidelium Caput & Mater existat, ita ut alienum sit à Corpore illo de quo ait Apostolus: omnes unum Corpus sumus in Christo, Membrum quod in ejus non perstitit unitate, nec ad illud Ovile pertineat de quo in Evangelio legitur: fiet unum Ovile & unus Pastor, qui Matrem eam non habuerit & Magistram, Nos quoque, qui ad ejus Regimen DEO disponente sumus vocati, etsi vita simus impares & meritis inæquales, primis Prædecessoribus nostris, qui pro Ecclesia suas Animas posuerunt ex eodem tamen Privilegio, pari cum eodem fungimur potestate cum legimus dictum à Domino: quodcumque ligaveris super Terram erit ligatum in Cœlo, & quodcumque solveris super Terram erit solutum & in Cœlo: licet autem Apostolica Sedes Imperfectionem Humanam & injunctam sibi Oneris gravitatem attendens, multos in sortem creditæ sibi Sollicitudinis evocaverit, sibi tamen retinuit plenitudinem Potestatis, multa suæ solius Potestati reservans, quæ præter specialem Auctoritatem ipsius, nec de Jure debent nec possunt impune ab aliquibus dispensari, utpote Cessiones & Translationes Episcoporum, & alia quædam quæ cum nota sint Vobis non opus est litteris explicare: hæc autem Venerabilis Frater noster Conradus quondam Hildesheimensis Episcopus Imperialis Aulæ Cancellarius
1 non attendens, Licentia non solùm non obtenta, sed nec etiam postulata; Ecclesia Hildesheimensi relicta, Herbipolensem occupavit, & sic in litteris quas Nobis destinavit . . . . Herbipolensem se præsumpsit appellare, unde Nos præsumptionem ipsius debita volentes Animadversione punire, Venerabili Fratri nostro Magdeburgensi Archi-Episcopo & aliis quibusdam in Teutonia constitutis dedimus in mandatis, ut cum Factum ipsum non posset in partibus illis non esse non notorium, nec dictus Episcopus infra XX. dies, post susceptionem Litterarum, quas super hoc ipsi direximus, ab Herbipolensis Ecclesiæ amministratione cessaret, eum Excommunicatum publicè nuntiarent, & Excommunicationem ejus facerent pulsatis Campanis & Candelis accensis, Festivis Diebus & Dominicis innovari, id quod Magdeburgensis studuit adimplere, licet autem in manifestis non esset Ordo Indiciarius requirendus & ipse confessus de . . . . . . videretur cum Litteris ad Nos directis se præsumpserit Herbipolensem Episcopum appellare, ad vincendam Omnem Malitiam, eidem denuò non præmissa salutatione, mandavimus ut omni occasione cessante, si apud Nos vellet Gratiam invenire, mandatum Apostolicum adimpleret: cum ipse nihilominus in sua contumacia perduraret, & posteaquam alius in Hildesheimensi Ecclesia de mandato nostro electus & confirmatus fuerat, se præsumeret Hildesheimensem Episcopum appellare, ne Apostolica Sedes dissimulare videretur, ipsum excommunicatum inter Missarum sollempnia nuntiavimus & mandavimus ab Omnibus evitari: ceterum, ipse tandem Temeritatem propriam Recognoscens, primo coram jam dicto Archi-Episcopo & multis Principibus Alamanniæ, secundò coram Venerabili Fratre nostro C. * Moguntino Archi-Episcopo, Episcopo Sabinensi, & multis Principibus Juramento firmavit quod Mandatis Apostolicis obediret, & exinde nec Viarum vitans discrimina, nec incommoda, temporis impatiens, ad Apostolicam Sedem accessit, & sponte suum confessus excessum, in multa Contritione cordis & magna Humilitate corporis, Absolutionis Beneficium postulavit: Nos autem, ejus sequentes Exemplum, qui non vult mortem Peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat, per Fratres nostros ab eo accepimus Juratoriam Cautionem, sic videlicet, quod ipse Pacto quolibet & tenore juravit quod universa Mandata nostra bona Fide reciperet, & servaret quæcumque diceremus ipsi, super his, pro quibus fuerat Excommunicatus per Nos aut per Nuntium nostrum seu per Litteras injungendo: postmodum autem fecimus ei Absolutionis Beneficium exhiberi: ipse verò cùm in Nostra Præsentia postmodum constitutus etsi suum recognosceret & confiteretur Excessum, & non Judicium sed misericordiam postularet, aliqua in sui excusationem induxit; sic tamen, ut nec Formam Humilitatis excederet, neque usque adeò rationibus inniteretur inductis, quin semper damnaret quod fecerat, & se ipsum excusans spontaneè accusaret; videbatur autem tribus specialius deliquisse. Primò videlicet in eo quod præter specialem Auctoritatem nostram ab Ecclesia Hildesheimensi ad Herbipolensem de Facto, quod Jure non potuit, transire præsumpsit, ac postquam alius in Hildesheimensi Ecclesia Electus & Confirmatus de Mandato nostro fuerat, se ipsum Hildesheimensem Episcopum nominavit. Secundò in eo videlicet, quod postquam dictus Archi-Episcopus Magdeburgensis in eum de Mandato nostro Senten-

* Conrado I.

Sententiam Excommunicationis promulgavit, Divina præſumpſit Officia in ſollempni Curia celebrare; & poſtquam ſe novit Excommunicatum à Nobis, ſibi fecit ſæpius celebrari & Communioni frequenter ſe ingeſſit. Tertiò, quod ſi ab Herbipolenſis Eccleſiæ ſe ſimulavit Amminiſtratione ceſſare, nunquam tamen plenè receſſit ab ea, utpote, cùm interrogatus à Nobis confeſſus fuerit ſe adhuc Temporalia detinere: verùm idem Epiſcopus ſuper primo Capitulo ſe voluit taliter excuſare, quod ad Herbipolenſem Eccleſiam ex ſpeciali Apoſtolica Auctoritate tranſiviſſet, cum Bonæ Memoriæ Celestinus Papa Prædeceſſor noſter, ei duxerit Indulgendum Licentiam ad aliam Eccleſiam tranſeundi, ſed verba ipſius Indulgentiæ ac vim eorum diligentius attendentes, ex ea Cauſam non habuit tranſeundi, priuſquàm per eum Poſtulatio examinata fuiſſet cujus fuerat facienda, ne quid fortè per Impreſſionem fieret, ne quid ageretur per ſymoniacam Pravitatem, ne quid attentare contra canonicas Sanctiones poſſet, quod ex tenore Indulgentiæ ſatis patet, in qua ſubjungitur circa finem; *dummodo canonicis non obviet Statutis*: præterea etſi videretur ei indultum ut invitatus majorem aſſumeret Dignitatem, conceſſum tamen ipſi non fuit, ut ad paris Dignitatis Eccleſiam ſe transferret, cum Indulgentiæ majoris exiſtat Epiſcopo ut ad parem Eccleſiam tranſeat . . . . magis . . . . nunquam invenimus diſpenſatum, conſtat autem Hildeshelmenſem & Herbipolenſem Eccleſias quantum ad Dignitatem pertinet eſſe pares, cum utraque ſuffraganea ſit Eccleſiæ Moguntinæ, nam licet Herbipolenſis ſit in Temporalibus habundantior, Hildesheimenſis tamen in Spiritualibus Nobilior perhibetur: adjecit idem Epiſcopus in ſuam Excuſationem allegans, quod cum dictus Magdeburgenſis non eſſet Ordinarius Judex, nec crediderat nec credebat quod . . . . præmiſſa . . . . . delegata poſſet procedere contra ipſum, aut Sententiam aliquam promulgare, unde cum nec ante Factum commonitorias, nec poſt Factum aliquas recepiſſet, peccare non credidit ſi Divina quacumque ſollemnitate celebravit; quod autem poſtquam ſe cognovit excommunicatum à Nobis Divina ſibi fecerit Officia celebrari & communioni Fidelium ſe ingeſſerat frequenter, id non in contemptum Apoſtolicæ Sedis vel tanti etiam Sacramenti ſed ſpe veniæ aſſerit ſe feciſſe, ne videlicet indureſceret amplius, vel durius ejus animus fieret ſi nunquam Divinis Officiis intereſſet, licet in diebus ſollemnibus ſe nunquam celebrationi Divinorum ingeſſerit, ſed cum paucis in angulo alicujus Eccleſiæ occultè non Feſtivis Diebus Divina ſibi fecerit interdum Officia celebrari: licet enim in primo Capitulo non videatur omnino culpabilis exſtitiſſe, quia tamen in dubiis eſt via tutior eligenda, etiamſi de lata in eum Sententia dubitaret, debuerat potius abſtinere quam Sacramenta Eccleſiaſtica pertractare: illud autem quod ſub ſpe Veniæ Divina ſibi fecit, poſtquam ſe excommunicatum à Nobis ſcivit, celebrari & communioni Fidelium ſe ingeſſerit, potius contra eum facere credimus quam pro eo, cum ſub Fiducia pœnitentiæ non debuerit deliquiſſe, & excummunicato non vitare, multò magis quam non vitari periculoſum exiſtat; non vitare ſiquidem cum ſit excommunicatus ſine Delicto non poteſt, ſed cum ex aliis pendeat, ſine ſuo peccato poterit non vitari: Munitiones autem & Oppida Herbipolenſis Eccleſiæ in Utilitatem ipſius ſe aſſeruit tenuiſſe ne ſi ad alienas manus forſitan deveniſſent, non eſſet quia ea poſtmodum liberatet; ſed cum Spiritualia ſint temporalibus digniora, & Obedientia melior quam Victimæ & auſcultare melius quam adipem arietum offerre, non debuerat idem Epiſcopus pro temporali commodo Herbipolenſis Eccleſiæ, Inobedientiæ Notam incurrere & Apoſtolicis Juſſionibus contraire: attendentes igitur quod non vult Dominus mortem peccatoris, ne videremur Apoſtolicæ Sedis benignitatis immemores cum eodem Epiſcopo miſericordiam in quibuſdam duximus faciendam; ſed quoniam idem Dominus miſericors . . . .

. . . . ſi una ſine altera teneatur, cum & quædam ſint culpæ, in quibus ſecundùm Canonicas Sanctiones culpa eſt relaxare vindictam, Temperavimus ergo, & per diſciplinam Miſericordiam, & per miſericordiam diſciplinam, ut ſic commiſſos ab eodem Epiſcopo puniremus exceſſus, ne ipſum cogeremus de Venia deſperare; ipſum igitur ſub Noſtra & Fratrum noſtrorum præſentia in publico Conſiſtorio conſtitutum, ſequentes Canonicas Sanctiones, quibus eſt cautum: ut qui ad majorem Plebem ſe tranſtulerint, & à Cathedra pelli debeant aliena, &

carere propria, ut nec illis præsideant quos per superbiam spernunt, nec illis quos per avaritiam concupiunt, tam Herbipolensi quam Hildesheimensi Episcopatu per Sententiam curavimus spoliare, in eo cum ipso misericordiam facientes, quam Canon his qui post Excommunicationem Divina præsumpserunt Officia, vel qui Celebrationi se ingesserint Divinorum infringit, ei non duximus infligendam: mandavimus ergo ei sub debito præstiti Juramenti, ut bona Fide servata Hildesheimensem Ecclesiam & Te, nec per se nec per alium gravaret aut molestaret, vel gravari faceret aut molestari, & Herbipolensem Episcopatum cum omnibus ad eum spectantibus, Liberum & Absolutum dimitteret, & ad Episcopatum vel Archi-Episcopatum sine Apostolicæ Sedis Licentia non transiret; ne verò per incautam Resignationem maximè temporalium, Herbipolensis Ecclesia Jacturam incurreret graviorem, volumus & mandamus ut eadem Temporalia in manus memorati Moguntini Archi-Episcopi ad Opus ipsius Ecclesiæ custodienda resignet, donec ei juxta nostræ Voluntatis Arbitrium provisum fuerit in Pastore, cui proventus Episcopales tam de Spiritualibus quam de temporalibus volumus resignari. Discretionem igitur Vestram Filii Capituli monemus attentius & districtè Vobis præcipiendo mandamus, quod ad Memoriam reducentes quod Obedientia etiam victimis præponatur Vos, & omnes Ecclesiarum Prælati & Clerici Hildesheimensis Diœcesis Electo vestro tanquam proprio, Juramentis illicitis non obstantibus, & pro eo quod nondum est Munus Consecrationis adeptus eum jam sit Confirmationis Gratiam consecutus, omni Contradictione & Appellatione cessante & devotam Obedientiam & debitam Reverentiam impendatis & via Regia incedentes non declinetis amplius ad Dextram sive sinistram . . . . Apostolicæ Sedis incurratis Offensam, cum injuriam Electo vestro illatam non alienam, sed tanquam propriam reputemus, & in Contemptum nostrum & Sedis Apostolicæ redundare.

Datum LATERANIS V. Idus Aprilis Pontif. nostri Anno III.

XX.

Ex Cod. M.S. Erford.

Exemplar Litterarum Testimonialium in favorem Cruce-Signatorum.

An. 1209. UNiversis CHRISTI Fidelibus ad quos presentes Littere pervenerint Decanus & Consules Opidi Bekemensis, sinceram in Domino Karitatem; licet omnibus CHRISTI Fidelibus, intuitu Karitatis & Conpassionis ad Munificentie Largitatem Quilibet teneatur, illorum tamen promotionibus est propensius intendendum, quorum Devotio hoc inducit, ut se presumant opponere Adversariis Fidei Cristiane, & pro Fide suum proprium Sanguinem fundere non verentur: cum igitur N. N. presentium Exhibitores nostri Parochiani & Cooppidani, bone utique fame, nec aliqua respersi infamia, ex Instinctu Spiritus Sancti, prout in Cordibus suis destinatur; Animabus suis consulendo, decreverunt ut in Remissione suorum peccatorum, compuncti, contriti, & confessi, in hoc Passagio iter Peregrinationis arriperent, videlicet circa festum N. ituri versus Partes ultra Marinas, in subsidium Terræ Sanctæ, Sarracenorum perfidiis Resistendo, & ut ibidem unà cum aliis Fidem Catholicam propugnarent: verum tamen ut in hoc multis CHRISTI Fidelibus bonum prebeant Exemplum, non ad id ipsis propriè suppetant Facultates & Expense, suadet Ratio, & docet consuetudo, ut eisdem Parrochianis nostris, & Co-Opidanis, presentium Exhibitoribus, Munificentiæ vestræ Dextram apetiatis, & nihilominus Universitatem vestram Rogamus, monemus, & in Domino exhortamur, quatinus nostris predictis Parrochianis seu Coopidanis manum porrigentes adjutricem, de Bonis Vobis à DEO collatis, pias Elemosinas, & Karitatis subsidia erogetis, ut per subveniционem vestram ipsorum inopie consulatur, & bonum propositum laudabiliter inceptum, vestris subsidiis mediantibus ad finem perducere valeant peroptatum, Vos propter hoc & alia bona Opera, que, Domino Inspirante feceritis, possitis ad eterne Felicitatis gaudia pervenire, ne quid mala suspicio aliquem vestrum retrahat, ut cis non impendat Opera Pietatis, scire vos cupimus quod sepedicti Parrochiani nostri, & Co-Opidani, in nostris voverunt manibus, sub Sacramento Fidei, quod in Baptismo rece-

ceperunt, & Juramento corporaliter prestito, quatinus predictum iter arrepturi, & quantum in ipsis etiam completuri, sicut diximus; quod si dictum Votum, quod absit, non complerent, ad Nos nunquam essent reversuri: ut ergo premissis plenariam adhibeatis Fidem, Nos Predicti, Decanus & Consules Opidi Bekemensis, presentem Litteram, Sigillorum nostrorum munimine duximus roborandam.

Datum & actum Bechem, sub Anno Domini MCC. nono III. Idus Junii Indictione VII. Pontificatus Domini Clementis PP. Quinti, Anno quarto.

XXI.

Testamentum Ludolfi Canonici ad Terram Sanctam Proficiscentis.

Ex Cod. M. S. Mogunt.

ANno Domini MCCXI. Kal. Maj. Ego Ludolfus Canonicus Sanctæ Crucis in Hildesheim, arripere volens iter Jerosolimitanæ Peregrinationis, considerans quod varia Terrarum ac Marium pericula solent Peregrinantibus obviare, ut igitur adventum Supremi Judicis migraturus à corpore, securius præstolari audeam, assigno Ecclesiæ meæ ad Consolationem Fratrum meorum in Anniversario meo, si in via defecero, Mansum . . . . Ecclesia Sancti Petri habeat Libros meos, Curiam meam habebit Frater meus A. de reliqua suppellectili mea ordinabunt Salamanni, sicut Fidei eorum commisi; ut igitur hanc Ordinationem nullus irritare valeat, obtinui ut huic Cartulæ Domini mei H. Ducis Sigillum annotetur. An. 1211.

XXII.

Conventio inter Capitulum Majoris Ecclesiæ Herbipolensis & Cœnobium S. Stephani.

Ex Autographo.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Capitulum Majoris Ecclesiæ Wirziburgensis. Cum Fraternæ Caritatis sit Officium, ita propriis intendere Commodis, ut Proximorum Utilitas non negligatur, justum est, ut Nos in his, quæ cum Ecclesiis Consororibus nostris nobis profutura contrahimus, non studio circumveniendi, sed amore subveniendi circa eas serveamus: Notum itaque esse desideramus omnibus tam præsentis quàm futuræ CHRISTI Ecclesiæ Fidelibus, quod cum tempore Cismatis, quod fuit inter Sacerdotium & Imperium sub Papâ Domino Innocentio III. & Ottone Imperatore multis Tribulationibus & malis tota DEI turbaretur Ecclesia, propter Cautelam Civitatis nostræ, ne aliquis nocivus nobis Angulus hostibus ad obsidendum nos in circuitu remaneret, Curia nostra ante Civitatem, in qua erant Torcularia nostra, & reliqua Vindemiarum Utensilia demolita fuisset, & locum his Commoditatibus aptum infra Fossatum & Muros Civitatis non inveniremus, à Dilecto nostro Heinrico Venerabili Abbate S. Stephani & ejus Capitulo multa Instantia Rogavimus concedi nobis Ortum Ecclesiæ suæ ante Portam Monasterii ejus situm, ad ædificandum Curiam Auctumnalibus nostris commoditatibus oportunam, quæ petitio licet eidem Abbati & omnibus suis Confratribus molesta esset, & omninò contraria, tandem pro nostra Dilectione & sperando semper à nobis majori Favore Petitioni nostræ satisfecerunt, concedendo nobis Aream hanc, quæ est à Domo Beringeri Carpentarii ipsius Ecclesiæ usque ad Domum Matris ipsius B. tali conditione, ut inter Nos & stratam, quæ est inter Curiam eorum & hortum denominatum, Murus firmus à nobis erigeretur, relicto eis Puteo extra ipsum murum & de omni ipsius Putei apparatu nihil diminuendo, & ut neque Portas nec aliqua hostiola versus Curiam & Cimiterium eorum poneremus, Introitus verò nostros & exitus versus veterem murum Civitatis sine molestatione ipsorum semper haberemus, & annuatim in Festo Apostolorum Philippi & Jacobi duo Talenta eis inde persolveremus: hic Contractus inter Nos & Ecclesiam S. Stephani in Capitulo nostro celebratus est: ubi à manu supradicti Abbatis Heinrici nomine Ecclesiæ suæ, Dominus Persius Decanus noster nomine nostro prædictam Aream sub forma prælibata Ecclesiæ nostræ in perpetuum pos- An. 1213.

ſidendam ſuſcepit, & conſtitutum eſt, ut non ab alio quàm à Decano, quicunque fuerit ille & Capitulo Cenſus denominatus ritè & ſine omni protractione in Feſto denominato Eccleſiæ dictæ omni Anno perſolvatur; & quicunque Inhabitator ejuſdem Curiæ à nobis conſtituatur, nec ipſe nec etiam aliquis de Familia noſtra per ſe ipſos, nec etiam per Operarios noſtros mercede conductos tempore Autumnali ſive aliquo alio tempore, Eccleſiæ S. Stephani vel Hominibus ſuis unquam graves exiſtant & infeſti, ſuper formâ totius Contractûs coram Domino noſtro OTTONE Venerabili Epiſcopo Nos & Abbas cum ſuo Capitulo comparuimus, & hanc conſtitutionem de conſenſu & benignitate ſua promoveri poſtulantes, utrique Eccleſiæ in perpetuum eam ſuæ Auctoritatis Sigillo corroborari obtinuimus. Teſtes hujus rei Nos ſumus Fratres majoris Capituli. OTTO Præpoſitus, PERSIUS Decanus. Dittericus Floſculus. Berno. Heinricus Cellerarius. Yringus Cantor. GOTEFRIDUS Præpoſitus. Gerungus. DITTERICUS Præpoſitus de Hogiie. Bertholdus de Hotingin. Fridericus. Heinricus. Cunradus. Albertus. Cuno. Boppo. Cunradus. Fridericus. Arnoldus. Adolfus Portenarius. Boppo. Cunradus. Albertus. Arnoldus. Heinricus. Canonici de Hoguie, GERNOLDUS Decanus. Albertus. Heggehardus Cuſtos. Canonici de Novo Monaſterio. WILLEHELMUS Decanus. Gotefridus Cuſtos. Gerurgus. Wernherus & Frater ejus Siffridus. Laici Hidungus & Heinricus Sculteti. Billungus Camerarius. Heinricus Dapifer. Bertholdus & Arnoldus Fratres. de villa S. Burchardi. Marquardus. Orphanus. Marquardus. Auctumnus. Rudigerus & Marquardus Fratres de Sande. Arn de Hochiem. Cunradus Fuegirher, & alii quàm plures.

Acta Anno Dominicæ Incarnationis MCCXIII. Indictione I. Menſe Julio FRIDERICO Romanorum Rege, Domino OTTONE Wirziburgenſi Epiſcopo, BERTHOLDO Puero de Henninberc Urbis Præfecto.

XXIII.

Ex Cod. M. S. Erford.

Ejusdem Pontificis Mandatum Apoſtolicum quo Tuſculanum Epiſcopum à Legatione ſua revocat.

HONORIUS Epiſcopus Servus Servorum DEI. Venerabili in CHRISTO Fratri Tuſculano Epiſcopo: divulgata eſt ſatis Hæreſis, quæ diutius in Terra Comitis Sancti Ægidii pullulavit, & longè lateque ſe diffundens quotidie ſerpit ut Cancer, Diabolo ſeminante ſemen ſuum, qui Fel Draconum & Venenum aſpidum inſanabile in Calice Babylonis vicinis . . . . jam propinat; ad eam ergo de Terra radicitùs extirpandam te miſimus è Latere noſtro tanquam Potentem in Opere & Sermone; tu autem cum deberes inſiſtere Operi Prædicationis, laboraſti potiùs pro Denariis colligendis, & ſcandalizati ſunt per Te plurimi in Regno Franciæ, dicentes; Ecce, qui prædicat non Furandum, furatur, de Contemptu Rerum clamat in publico & Res ipſe colligit, & non dat Pauperibus nec diſpergit, ejiciat primùm Trabem de Oculo ſuo, & tunc ejiciat Feſtucam de Oculo Fratris ſui: inde Nomen DEI blaſphematur in Gentibus & contemnuntur Claves Eccleſiæ, cùm Medicus primùm curare ſe ipſum debeat, & turpe eſt Doctori cum redarguit ipſum culpa; deberes enim habere Pennas Columbæ deargentatæ ne quid in te appareret, quod poſſet obfuſcare Candorem Eccleſiaſticæ Puritatis; ſed cum intendas Avaritiæ, quæ eſt Idolorum Servitus, uteris potiùs pennis Corvi denigratis per Opera Tenebrarum; cogitaſſe debueras quid liceat, quid deceat, quid expediat ſecundùm æquitatem, quid deceat ſecundùm Honeſtatem, quid expediat ſecundùm utilitatem; ſed . . . . . tanquam contrarium & indecens quia contra Bonos Mores & inutile, quia contra Profectum Nominis Chriſtiani: ob hoc te Revocamus, mandantes tibi ne de cetero Legationis Officio ingerere te præſumas, cujus enim Vita deſpicitur, Reſtat ut ejus Prædicatio contemnatur.

XXIV.

XXIV.

Sigifridi II. Archi-Epiſcopi Moguntini Epiſtola Gratulatoria ad Eccleſiam Hildesheimenſem. Ex Cod. M. S. Mogunt.

S. DEI Gratia Moguntinus Archi-Epiſcopus. Comitibus Miniſterialibus &c. Salutem & Plenitudinem omnis Boni. Cùm omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum ſit & à Patre Luminum ſuccedat, regratiamur Altiſſimo & ipſius Clemenriam veneramur, qui per Electionem Kariſſimi Filii Magiſtri Conradi Scolaſtici Moguntini, in Hildesheimenſem Epiſcopum, ipſi Eccleſiæ atque vobis ſua inſcrutabili Bonitate providit: equidem quod à DEO eſt perfectiſſimum habet Auctorem, cui debet humanæ voluntatis Devotio inclinari, & ut Divina Gratia comitetur quos in ipſarum Proviſione reſpexit: ceterùm quod Magiſtrum C. Dominus ad Miniſterium Pontificatus elegit, non quod ipſe requirat ſed requiratur ab ipſo in virtute Altiſſimi, ſub cujus nutu cuncta conſiſtunt, vobis ſuademus, conſulimus & mandamus, quod ei, qui veſtrarum Pontifex erit Animarum Fidelitate debita ſuccurraris: unde credimus & firmiter opinamur Epiſcopatus veſtri utilitatem in omnibus ſecuturam, & vos qui Eccleſiæ membra eſtis, exhibitione Reverentiæ quam feceritis Patri veſtro, Patris Celeſtis merebimini Benedictione repleri. An. 1221.

XXV.

Epiſtola aliquot Germaniæ Præſulum, qua Henrico Regi ſupplicant pro Obtentu Regalium in favorem Conradi Electi Hildesheimenſis. Ex eodem Cod. M.S.

SEreniſſimo Domino ſuo H. Romanorum Regi & ſemper Auguſto. T.* DEI Gratia Treverorum Archi-Epiſcopus C. * Metenſis & Spirenſis Imperialis Aulæ Cancellarius . . . . Ratiſponenſis & Baſileenſis Epiſcopi . . . . de Wizenburc & Morbach Abbates. Tam promptum quàm debitum in omnibus ſuæ Devotionis Obſequium. Acceſſit ad præſentiam noſtram Wizzenburc, Dilectus noſter & honorabilis Vir Magiſter C. Hildeſienſis Electus, ſupplicans Nobis ut per Conſilium & Auxilium noſtrum, per manum veſtram Donationem Regalium obtinerer, utpote rationabiliter & convenienter electus à ſuo Capitulo, apud quod Poteſtas reſidet Epiſcopum eligendi, cum per voluntarem Sereniſſimi Imperatoris Patris veſtri, & Principum conſenſum, eadem conferendi plenariam habeatis poteſtatem: ex adverſo autem Chunradus Marſcalcus & Ekkebertus Milites, Miniſteriales Hildesheimenſes ex ſua & ſuorum Miniſterialium Parte rogaverunt attentius ne hoc faceremus, dicentes quod Petitioni Electi conſentire non deberetis, pro eo quod eis in Electione ipſius facta eſſet injuria, quæ ex Jure & longa conſuetudine in Electione Epiſcoporum Hildesheimenſium, Juſtitiam habuiſſet; quod quia nobis inconveniens & inauditum & contra Imperii & communem omnium Eccleſiarum Juſtitiam videbatur, conſentientibus in id ipſum ram Nobilibus & omnium Eccleſiarum Miniſterialibus nec non & Imperii, qui multi nobiscum aderant minimè duximus exaudiendas, conſiderantes igitur plenam præfati Electi & Eccleſiæ ſuæ Juſtitiam, & omnium Nobilium ſui Epiſcopatus, & multorum Miniſterialium Favorem, quoniam ipſi in Jure ſuo, quod noſtrum reputamus deeſſe nec volumus nec debemus, veſtram nihilominus in hoc Utilitatem attendentes & Honorem, communi & deliberato Conſilio Rogamus & monemus Serenitatem veſtram, fidelitet conſulentes ut non obſtante prædictorum Laicorum contradictione quæ nulla eſt, & à vobis nullatenus audienda, Electo eidem donum Regalium indubitanter & ſine dilatione porrigatis, cum paratus ſit tam Domino Imperatori quàm vobis veſtram Juſtitiam exhibere, & ipſum in ſuis & Eccleſiæ ſuæ Petitionibus exaudire dignemini, ut tam Vobis quàm Patri veſtro ex devoto fiat devotior, & preces noſtras & Conſilium, in quibus & alii Principes, qui pro ipſo nobis ſcribentes bene concordant, apud veſtram Majeſtatem ſibi ſentiat profuiſſe: noverit

An. 1221. * Theodoricus. * Conradus.

præterea vestra sublimitas. Nos etiam præsentibus respondisse, ut ad vestram præsentiam irent si vellent, & absentibus scripsisse, ut si in his sibi fore injuriam contendant, in Festo Egidii, Frankenfort veniant si placet ipsis, coram nobis & Principibus, Justitiæ Plenitudinem Recepturi.

XXVI.

Henrici Regis ad Fridericum Imp. Epistola, super eodem Negotio.

An. 1221. CArissimo Genitori suo ac Domino Magnifico Romanorum Imperatori F. semper Augusto H. DEI Gratia & sua Romanorum Rex semper Augustus cum Filiali Dilectione debitam in omnibus Reverentiam; accedens ad Præsentiam nostram Dilectus Princeps noster CONRADUS Electus, à nostra Serenitate Regalium Episcopatus Hildesheimensis investituram, secundùm Consuetudinem & Justitiam Imperii, petivit instanter, Præpositus etiam & Decanus & Capitulum Hildesheimense per Litteras & Nuntios suos hoc ei fieri, à Nobis devotissime postulabant, eo quod ab ipsis concorditer & Canonicè fuisset Electus, & ab Archi-Episcopo suo legitimè confirmatus sicut Litteræ ipsius ad Nos super hoc transmissæ testabantur: Nos igitur, Dilectorum Principum, qui circa Nos erant, & eorum qui super hoc Nobis scribere curaverunt Moguntini, Trevirensis Archi-Episcoporum, Spirensis Imperialis Aulæ Cancellarii, Herbipolensis, Ratisponensis, Basileensis Episcoporum, Morabacensis & Wizzeburgensis Abbatum, Dilecti nostri & Consanguinei H. Ducis Saxoniæ & multorum Nobilium & aliorum Fidelium nostrorum consilia secuti, attendentes nihilominùs ipsius Dilecti Devotionem erga vestram Magnificentiam & magnam de vestro erga se Favore Fiduciam sicut debuimus & Sententia de hoc quæsita dictabar, eundem tam vestra quàm Nostra Auctoritate de Regalibus sive temporalibus Episcopatus Hildesheimensis, & omni honore quem sui Anteecessores de Gratia Imperii ejusdem Episcopatus Ratione tenuerunt investivimus: eapropter amantissimam Paternitatem vestram diligentissimè cupimus à nobis exoratam esse ut Divinæ Retributionis intuitu, nostræ quoque Interventionis respectu, quod circa præmemoratum nostrum devotum Electum consulrè fecimus, & justè magnificè confirmare & ipsum cum Ecclesia sua in vestræ Majestatis Protectionem Recipere dignemini, & ita eum in suis Petitionibus audiatis, ut Favorem & Preces Regias sibi sentiat profuisse.

XXVII.

Ex eodem Cod. M.S.

Engelberti Archi-Episcopi Coloniensis Hortatoria Epistola ad Ministeriales Ecclesiæ Hildesheimensis.

An. 1221. E. DEI Gratia Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus Universis Ministerialibus Hildesheimensis Ecclesiæ Salutem in Salutis Auctore. Intelleximus & Intelligentes de Prudentia vestra sumus non modicum ammirati, quod cum nuper missis Nuntiis ad Illustrem Dominum nostrum H. Regem contra Venerabilem Dominum C. Episcopum Hildesheimensem, ipsum impedire nitemini si possetis ne Regalia reciperet ab eodem, nunc ad aliam viam sibi resistendi divertitis, asserentes ipsum Dominum Regem non habere Potestatem, cuiquam Regalia porrigendi, unde non solùm inconsideratæ præsumptionis sed præsumptuosæ Temeritatis estis graviter arguendi, qui tam ipsi Domino Regi quàm Universis Principibus Notam falsæ Usurpationis impingitis, quod sibi Jus & Potestatem ad ipsos, ut putatis, non spectantem usurpent, maximè cum hoc esset ipsis Principibus omninò contrarium, & suo Periculo sive Honori: nam, si essent incerti quod Dominus Rex haberet hujusmodi Potestatem, quicumque Regalia sua ab ipso reciperet, consequenter esset etiam incertus utrum hoc Dominus Imperator Ratum haberet, cùm posset, quod eo Auctore non esset factum in irritum revocare, sicque esset talis Princeps in suæ Dignitatis Periculo constitutus, propterea indignationem & offensam Imperialem simul & Regiam in hac parte potestis non immeritò

meritò formidare, qui quantum in Nobis eſt impenſiùs nitimur contraire, cum tamen Niſus & Conatus Veſter, nec Effectum nec Exitum bonum valeat obtinere cum non ſolùm gravis ſit ipſa præſumptio ſed & cauſa veſtra usque adeo infirma ſit & debilis & abſurda, ut in toto Imperio nec Principem unum Fautorem & Defenſorem veſtri reperiatis Erroris; quanquam enim præfatus Epiſcopus veſter Honeſtatis ſuæ Merito, ab omnibus diligatur, tamen ſi cauſa veſtra Juris aliquid vel Favoris haberet, ſeu etiam videretur habere, Promotio ejus non adeò accelerata fuiſſet, ſed data vobis Audientia, Cauſam veſtram ſicut Ordo exigeret proſequendi. Hinc eſt quod Univerſitatem veſtram monemus & hortamur attentius, ac fideliter vobis conſulimus, ut rei exitum providentes & utentes Conſilio ſaniori, deſiſtatis ab his in quibus proficere non poteſtis.

XXVIII.

Henrici Regis Mandatum in Cauſa Præcedenti. Ex eodem Cod.M.S.

H. DEI Gratia Romanorum Rex. Dilecto Conſanguineo ſuo H. Duci. Noverit An. 1222. tua Dilectio, quod accedens ad noſtram perſonam Dilectus Princeps C. Hildesheimenſis Epiſcopus, à noſtra Serenitate Regalium Epiſcopatus Hildesheimenſis inveſtituram ſecundùm Juſtitiam & Conſuetudinem Imperii petivit inſtanter, Præpoſito etiam & Decano ac Capitulo Hildesheimenſi per Litteras & Nuntios ſuos hoc ei fieri, à nobis devotè poſtulabant, eo quod ab ipſis concorditer & Canonicè fuiſſet electus, & à ſuo Archi-Epiſcopo legitimè confirmatus, ſicut Litteræ ipſius ad Nos ſuper hoc transmiſſæ teſtabantur: Nos igitur Dilectorum Principum qui circa Nos erant, & eorum qui ſimiliter hoc Nobis ſcribere curaverunt, & aliorum Fidelium noſtrorum Conſilia ſecuti, ſicut de Jure debuimus, & Sententia de hoc quæſita dictabat, prædicti Capituli nec non & Electi ſui juſtas preces libenter admiſimus, Eundem Electum tam Sereniſſimi Patris noſtri Imperatoris, quam noſtra Auctoritate de Regalibus Epiſcopatus Hildesheimenſis, & omni Honore, quem ſui Anteceſſores de Imperio tenebant Ratione Epiſcopatus ejusdem veſtientes: verùm quia Miniſteriales ejusdem Eccleſiæ in Electione Epiſcoporum Hildesheimenſium Jus ſibi dicunt, & quod eum non elegerint cum Capitulo adhuc ei contradicunt, ſicut eorum Nuntii quibusdam ex Principibus retulerunt; Nobilitatem & Honeſtatem tuam de qua multum præſumimus, Rogamus ut noſtræ Serenitatis Intuitu prædictos Miniſteriales ad te venire facias, eosque quos & ubi viſum fuerit evocare & ipſos ad Devotionem & Pacem & Gratiam Domini ſui Electi modis quibus ſcis & potes & expedire videris, inducere ſtudeas diligenter: quod enim Epiſcopos ſuos Eligere debere ſe aſſerunt, & ideo quia hoc factum non eſt, difficiles ei ſe reddunt & graves, incongruum judicamus & omnibus Principibus, Nobilibus & Miniſterialibus inconveniens videtur & inauditum, ſicut eorum Nuntiis à multis novimus reſponſum; gratiſſimum enim habebimus ſi veſtris in hoc Monitionibus acquieverint & mandatis, alioquin ſciant pro certo, quod præfato Electo in Juſtitia & Honore ſuo, modis quibus poſſumus adeſſe volumus & prodeſſe; de ipſorum igitur Reſponſo per tuas Nos Litteras facias certiores, ut ſciamus quid pro nobis & Imperii mandato & tua Exhortatione facturi ſunt & quid Nobis ſuper his fuerit faciendum.

XXIX.

Sigifridi II. Archi-Epiſcopi Moguntini Litteræ ad Conradum Hildesheimenſem Epiſcopum. Ex eodem Cod.M.S.

VEnerabili Fratri in CHRISTO Domino C. Epiſcopo Hildesheimenſi. S. DEI Circa An. 1223. Gratia Sanctæ Moguntinæ Sedis Archi-Epiſcopus, Salutem & Obſequium benivolum, cum fraterna in Domino Caritate. Sicut Vobis diximus cum meœum Heiligenſtat eſſetis, quod Imperator nos ad ſuam præſentiam accerſiſſet, ita ſecundariò poſtquam receſſiſtis, nos in tantum arctius & attentius fecit vocari, quod nullo modo audemus omittere ut tota feſtinatione acceleremus ad eum venire: quare nos

omni quo possumus affectu Rogamus, quatinus per Litteras vestras, vel si esse potest personaliter apud Ducem de Brunswik dignemini nos super eo quod diei & Placito inter vos constituto & ipsum, non intersimus ista vice, habere propensius excusatos; firmiter enim habemus propositum cum ad partes istas reversi fuerimus, ad hoc quod inter vos conveniens Ordinatio fiat accedere ad eundem, & suæ obtemperare, quatenùs possumus voluntati.

XXX.

Ex Cod. M. S. Mogunt.

Litteræ Friderici II. Imp. ad Conradum Hildesheimensem Episcopum, quibus præter Filium Henricum Regem, eidem alia Imperii Negotia Commendat.

An. 1224. FRIDERICUS DEI Gratia Romanorum Imperator &c. Dilecto Principi suo Hildesheimensi C. Episcopo Gratiam suam & omne Bonum. Felices nostræ Serenitatis Eventus quos affectare te scimus tecum participare volentes, Affectioni tuæ sæpè sæpius ducimus intimandum quod per illius Gratiam à quo provenit omne Bonum ad vota Nobis in Regno nostro cuncta succedunt; Sarracenis qui Cacumina Montium & Loca inexpugnabilia ceperant ad Inferiora & plana Loca jam omnibus Revocatis; de tua itaque Fidelitate certissimam Fiduciam obtinentes H. Karissimum Filium nostrum Romanorum Regem Illustrem circumspectioni tuæ duximus commendandum pro Servitiis eidem Filio nostro à te modo exhibitis in Absentia nostra, tanto tibi uberes gratias referentes, quanto in Absentia nostra, magis quàm in præsentia purissimæ Fidei tuæ Animus approbatur ut igitur Ecce Nobis in Alemanniam venientibus gratissimis tuis possimus meritis respondere Rogamus plurimum & monemus, quatinus in Servitiis nostris & ejusdem Filii nostri, more solito perseveres: sane Relatum est Celsitudini nostræ, quod Rex Daciæ ac Filius ejus capti à Comite H. de Zwrin Dilecto Fideli nostro, in Custodia detinentur, qui Rex, sicut tu ipse nosti, præter præcedentem Causam, multa de Bonis Imperii occupavit, ad Nos & Imperium, Respectum quem debuit non habendo; unde cum ad Recuperationem Bonorum Imperii totis viribus & affectibus anhelemus ut ipsa possimus ad Imperium revocare, affectionem tuam Rogandam duximus omnimodis & monendam quatenus ad hoc quod ipse Rex & Filius ejus ad manus vestras deveniant, prorsus & totaliter elabores, facturus quod quicquid Venerabilis Erbipolensis Episcopus propter hoc promisit vel dehinc promiserit Comiti prædicto, & ipse promittas cum eo, quia Nos illud Ratum habebimus, & omnia cum Consilio tuo curabimus efficaciter observare.

XXXI.

Ex Cod. M. S. Mogunt.

Conradi II. Hildesheimensis Episcopi Litteræ Commendatitiæ ad Honorium III. Pont. Max. in Gratiam Engelberti Archi-Episcopi Coloniensis.

An. 1225. REverendo Domino ac Patri H. Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici C. DEI Gratia & sua Hildesheimensis Episcopus tam debitam quam devotam cum Osculo Pedum Reverentiam. Pro Dilecto & Venerabili Fratre nostro Coloniensi Archi-Episcopo, de maxima Paternitatis vestræ Benignitate confisus, quantum audeo Sanctitati vestræ supplico devotissimè, ut pro multa ejus Honestate & meæ Devotionis intuitu in omnibus ipsum Gratiæ vestræ Recommendatum habere dignemini, scientes quod circumspectis omnibus, Ecclesiarum Alemanniæ Status post DEUM & vestram Providentiam ab ipso dependet, etenim Laicalis Insolentiæ Fræna jam adeò contra Clerum laxata sunt quod nisi esset terror ejus & à DEO provisa . . . . Ecclesiasticæ Districtionis Vigor . . . . . . nullus esset . . . . Pacis Alemannia non haberet: foveat igitur ipsum & promoveat vestra Paternitas cum Devotione, ac Servitium oportuno tempore Vobis & Ecclesiæ commune spero plurimum profuturum: Ego autem ad supplicandum vobis

vobis tam obnixè prædicto Domino Archi-Epiſcopo, ob hoc adeò ſum aſtrictus, quod veſtri mandati & Eccleſiæ Ratione, cujus ſemper volo & teneor eſſe devotiſſimus, mihi & Hildesheimenſi Eccleſiæ impendit Favorem ſuum efficaciter & libenter.

XXXII.

Ejusdem Epiſtolæ Encyclicæ ad univerſum Clerum pro Reſtauratione Eccleſiæ ſuæ Cathedralis Hildesheimenſis.

Ex Cod. M. S. Mogunt.

C. DEI Gratia Hildesheimenſis Epiſcopus. Dilectis in CHRISTO Filiis Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus ac Sacerdotibus Univerſis, per Hildesheimenſem Diœceſim conſtitutis Salutem in eo, qui eſt omnium vera Salus: quia nunc major inſtat neceſſitas, quam unquam inſtiterit ut Eccleſiæ noſtræ ſuccurratur, & veſtro Conſilio ſperatur nunc major quam unquam provenerit Utilitas proventura: Ecce reſumpto clamore clamamus ad vos & pro illo clamamus ad vos, qui in Cruce DEO Patri usque ad mortem Crucis factus eſt obediens moriendo, ut nos ab æternæ mortis eriperet cruciatu: cùm igitur Venerabilis Eccleſia noſtra Hildesheimenſis ad quam omnes tanquam ad Matrem reſpicitis & Magiſtram, miſerabiliter ſit vetuſtate conſumpta, ſtillicidio pervia, & in pluribus locis ſit adeò Ruinoſa quod ſine periculo Divinum Officium non poſſit celebrari nec ad redintegrandas ſumptuoſas ejus ſtructuras ſufficiat ipſa ſibi, neceſſe eſt & conſentaneum Rationi, Capiti membra condeſcendere, ac maternam decet Filiorum cultibus operiri Nuditatem; eapropter diſcretionem veſtram exoramus ſtudio diligenti quod Divinæ Remunerationis intuitu ac noſtrarum precum obtentu in propriis perſonis ſicut à Nunciis noſtris fueritis inſtructi fidelem & diligentem operam impendatis, ut per hoc & alia, quæ Domino Inſpirante feceritis, ad æternæ poſſitis felicitatis gaudia pervenire: ut autem ad hoc Negotium, animus veſter ferventius incendatur, auctoritate nobis à DEO conceſſa, quicquid vel ex torpore ſeu Negligentia vel oblivione omiſiſtis in Officiis Divinorum contra Præceptum DEI & Ordinem noſtrum in Miſſis & Horis Canonicis Nocturnis ſive Diurnis, dummodò veri pœnitentes & contriti fueritis, miſericorditer relaxamus.

XXXIII.

Oliverii Cardinalis Epiſtola pro Cruce-Signatis.

Magiſtro SALOMONI, OLIVERIUS Cardinalis. Conſtituti in Romana Curia Nuntii Venerabilis in CHRISTO Patris D. Epiſcopi publicè ſunt proteſtati quod idem, à ſex Annis vel quinque præteritis, nullos omnino ad prædicandum in Teutoniam miſerit, neque SINDRADUM nec HENRICUM Laicum ad id recipi fecerit à Cruce-Signatis Terræ Sanctæ Pauperibus aut Debilibus habentibus citra decem vel duodecim Marcas, commutare volentibus vota ſua, cum ſuper his apud Sedem Apoſtolicam fuerit diffamatus; cupiens igitur Servos Crucis Chriſti, Pſeudo-Prophetarum Doctrinis variis non abduci, qui præfati Epiſcopi falſis Litteris, ut accepimus innituntur: ſed & obſtruere viam Fraudis eis, Diſcretionem veſtram monemus attentiùs & Rogamus quod his falſis Prædicatoribus largas Indulgentias facientibus, obliti Salutis propriæ, Cruce-Signatorum Vota fraudulenter commutantibus, cum Auctoritatem non habeant ſuper his, Reſiſtatis viriliter & potenter, non permittentes Crucis Negotium ab aliquibus defraudari, præmonendo Cruce-Signatos per Teutoniam univerſaliter ſingulos, & ſingulariter univerſos.

Circa An. 1226.

XXXIV.

Ex Cod. M. S. Mogunt.

Alberti Orlamundani Comitis Epistola ad Honorium III. Pont. Max.

An. 1226. VEstræ Gratiæ significo, Pater Sancte, quod cum Dominus & Avunculus meus Rex Dacis à Vasallo suo modicæ Reputationis Viro perfidè captus esset: Ego Ratione Sanguinis injuriam ejus meam reputans, absolutionem ejus procuravi celeriter ne mora traheret ad se Periculum & Jacturam: postmodum excogitans quod expediret Reipublicæ ne remanerent Crimina impunita, volebam vindicare quod factum fuerat fraudulenter, cum Nemini patrocinari debeant Fraus & Dolus; sed quia varii sunt eventus Rerum, id quod conceperam, non poteram perducere ad effectum, sed ex insperato etiam captus fui & diutissimè detentus in vinculis ferreis, à quibus eripi non potui nec absolvi donec Castrum quoddam munitissimum ad me spectans hæreditario Jure, oportuit me dimittere, vellem nollem: Juravi, & Renuntians quod illud nunquam repetam, nec pro Recuperando eo pet me vel per alium Arma sumam: cùm igitur valde grave mihi sit quod occasione Juramenti quod vi inductus præstiti tam enormem sustinere debeam Læsionem, Beatitudini vestræ supplico, quod illud relaxare dignemini, & ut mea possim repetere, dispensetis mecum, cum habeatis plenitudinem Potestatis; non enim Juravi voluntariè sed per metum, qui cadere poterat in constantem Virum, & ob hoc meritò debeo excusari: præterea cum Fidem non servanti Fides servanda non sit, nemo de facto isto rationabiliter me redarguete & vindicare poterit, ut videtur.

XXXV.

Friderici II. Imp. Præceptum, quod Magistros Civium absque Episcoporum Consensu, fieri vetat.

An. 1233. FRIDERICUS DEI Gratia Romanorum Imperator & semper Augustus. Cum Romanæ Monarchia Dignitatis ipso Auctore per quem Reges Regnant & Principes obtinent Principatum, qui super Regna constituit Sedem nostram, principaliter teneamus & simus in Potestatis plenitudine constituti, Imperatoriam condecet Majestatem, eos per quos cœpit & consistit Nostræ Gloriæ Celsitudo, qui & nobiscum vocati sunt in partem Sollicitudinis, ut à nostra Celsitudine Decus recipiant & Decorem, non solùm in suis Juribus tueri pariter & fovere, immò quantùm æquitas favet & permittit tam Juris quàm Gratiæ muneribus tam decenter quàm honorificè decorare: sane cum ex Defectu . . . . hac nostra Edictali Sanctione dampnamus pariter & Cassamus in omni Civitate & Oppido Allamaniæ, communi Consilio, Magistros Civium, qui ab Universitate Archi-Episcoporum vel Episcoporum Consilio vel Beneplacito statuuntur, Damnamus etiam Sacrificium & Confraternitates seu Societates quæ *in Giulzge* vulgariter appellantur; ut igitur cesset omnis ambiguitas hanc Paginam conscribi jussimus, & Bulla aurea Typario nostræ Majestatis impressa fecimus consignari, hujus autem rei Testes sunt . . . . Sanctæ Moguntinæ C. Sancti Petri Coloniensis Archi-Episcopi. Item Aquilejensis & alii Episcopi. Laici . . . . . . & Alii plures.

* Sigifridus.

Signum FRIDERICI DEI Gratia Invictissimi Imperatoris Ego S. * DEI Gratia Ratisponensis Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius Recognovi.

Acta sunt hæc Anno Domini MCCXXXIII. Mense Majo Imperante FRIDERICO Invictissimo Imperatore Jerusalem & Siciliæ Rege. Anno Romani Imperii ejus XIII. Feliciter Amen Datum in FORO-JULII.

XXXVI.

XXXVI.

Ejusdem Friderici Imp. Encyclicæ ad Univerſos Germaniæ Principes pro ſtabilienda Pace. Ex Cod. M. S. Mogunt.

F. DEI Gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus & Rex Siciliæ. Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Nobilibus, Liberis & Miniſterialibus omnibus in Imperio conſtitutis, Gratiam ſuam & omne Bonum. Scire debetis certiſſimè & nullatenùs dubitare, quod ſi ſtatus Terræ veſtræ malus eſt, & Turbatio eſt in Partibus veſtris, ut audivimus, ſupramodum Nobis diſplicet, & ut emendetur in melius, omnem diligentiam quam poterimus intendimus adhibere; mandamus ergo vobis ſub obtentu Gratiæ noſtræ ut pacem firmatam in Curia celebrata Frankenfurt infra IV. Ebdomadas juretis, tam Divitibus quàm Pauperibus nobis ſubjectis, ut ſimiliter jurent & ſervent injungentes, diligentius & mandantes: quicunque enim non juraverit, & Mandatum noſtrum adimplere neglexerit Indignationem noſtram indubitanter ſe noverit incurriſſe, & hoc etiam volumus, ut Præcepti noſtri Contemptores in proxima Curia quam celebraturi ſumus manifeſtè in Noſtra Præſentia Nominentur. An. 1234.

XXXVII.

Ejusdem Imperatoris Præceptum in favorem Conradi II. Epiſcopi Hildesheimenſis. Ex eodem Cod. M.S.

F. DEI Gratia Romanorum Imperarot. H. Illuſtri Duci Saxoniæ Dilecto Principi ſuo, cum Venerabilis Hildeſienſis Epiſcopus Dilectus Princeps noſter Evangeliſando Verbum Crucis DEO totique Chriſtianitati Obſequium Gratioſum impendat, meritò DEUM & Homines graviter videretur offendere quicumque eundem Epiſcopum & maximè quamdiu in Servitio Terræ Sanctæ laborat, moleſtare, fortè hactenus vel de cetero præſumpſerint moleſtare, propter quod diſcretioni tuæ mandamus, monemus atque rogamus, quod moleſtatores hujusmodi, niſi dicto Epiſcopo ſatisfaciant de illatis, & de hujusmodi vexationibus omninò deſtiterint, eos auctoritate noſtra proſcribas, quoties fueris requiſitus ab ipſo. Datum Parmæ.

XXXVIII.

Conradi II. Epiſcopi Hildesheimenſis Mandatum pro vitandis à ſe excommunicatis. Ex eodem Cod. M.S.

C. Epiſcopus Hildesheimenſis. Acceſſimus Anno præterito pro Negotiis noſtris & Eccleſiæ noſtræ, & ſpecialiter pro Generali Statu Terræ noſtræ, quæ malicia temporis . . . . premebatur ad Dominum Papam ac Sereniſſimum Dominum noſtrum F. Romanorum Imperatorem, à quibus Mandatum accepimus ſpeciale ut Paci Reformandæ in Terra noſtra, cum propter iniquorum malitiam reprimendam, tum propter Negotium Crucis efficaciter promovendum impenderemus Operam diligentem, Auctoritate ab ipſis accepta ut Pacis Turbatores animadverſione debita puniremus: cum igitur G. Dapifer & Filii ſui ac ipſorum complices Pacem à Principibus Terræ noſtræ, ac Nobilibus procuratam auſu temerario violaverit, ipſos exigente Juſtitia Auctoritate Domini Papæ propter Imperatoris Juriſdictionis proſecutionem, Excommunicamus ſollemniter, & eos vobis Excommunicatos denuntiamus, devotè ſupplicantes Univerſitati veſtræ, quod ipſos pro Domini Papæ Reverentia Excommunicatos dignemini arctius evitare. An. 1234.

XXXIX.

Ex eodem Cod. M.S.

Henrici Regis Apologetica Epistola ad Conradum Hildesheimensem Episcopum.

An. 1235. H DEI Gratia Romanorum Rex & semper Augustus Dilecto Principi suo C. Venerabili Hildesheimensi Episcopo Gratiam suam & omne Bonum. Recolit plene Sinceritas tua, nec à memoria credimus esse lapsum, qualiter Serenissimus Dominus Imperator Pater noster ad Apicem Regni Alemanniæ, in Imperio ei feliciter successuros de Paternæ Dilectionis Benevolentia & Principum Gratia Nos promovit, cumque Filiali Reverentia, ut tenemur, intenderemus huc usque ipsius per omnia beneplacitis & mandatis insistentes, sollicitè . . . . cordis desiderio affectando, omnia quæ fecimus in Allemannia digna Relatu & Consilio Principum & Baronum ad augmentum Imperii disposuimus, & ad promovendum Serenissimi Patris nostri Commodum & Honorem: novit enim Prudentia tua quomodo Dominus Papa, sumpta occasione volebat Dominum ac Patrem nostrum non solùm gravare, verùm etiam ab Imperialis Honoris Culmine deponere, ad hoc omni Ingenio & totis viribus aspirando, cui Nos patenter & potenter resistimus & Nos opposuimus, submittentes periculo Personam Res pariter & Honorem, & cum super eodem Negotio Dominus OTO Cardinalis, Legationis Officio specialiter in partibus Alamanniæ fungeretur Archi-Episcoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum colloquia quæ ad incommodum Patris nostri, idem Cardinalis indixerat, pro posse & nosse fecimus impediri; propter quod non solùm prædicti Legati, verùm etiam Domini Papæ & Cardinalium omnium indignationem gravissimam incurrimus, sicut etiam Principibus omnibus non ignorum: adhæc cùm LUDEWICUS olim Dux Bavariæ Domino & Patri nostro opposuisset se cum suis Fautoribus manifestè, Nos collecto Exercitu, cum non modico Rerum nostrarum dispendio, Terram suam hostiliter ingrediendo, coëgimus eum quod à vexatione & resistentia Patris nostri destitit & cessavit, ac obsides dare promiserat super eo, licet postmodum causis aliis emergentibus non dederit; quo facto reversi de Bawaria cum Triumpho, alium collegimus Exercitum ad obsidendum apud Argentinam prædictum Cardinalem, qui, ut dictum est, Allemanniam intraverat ad Impedimentum & Humiliationem Imperatoriæ Majestatis; veruntamen ad Instantiam & Consilium multorum Principum videlicet Archi-Episcoporum & Episcoporum & etiam Magnatum Imperii, solvimus Exercitum nostrum & dimisimus illa vice . . . . laboribus & expensis.

Sane cùm propter causas quasdam Junior Dux Bawariæ manifestè se opponeret Patri nostro, Exercitum collegimus, iterato contra eundem, arctantes ipsum dare obsidem Filium suum tali adhibito Laudamento quod nunquam se opponere attemptaret Imperatoriæ vel Regiæ Majestati: demum habito tali Triumpho de ipso Duce, ad Consilium Principum & Magnarum pro Pace & Tranquillitate Patriæ Reformanda & pro aliis urgentibus Negociis ac nominatim ad extirpandam Hereticam Pravitatem; sollempnem Curiam apud Frankenfort celebravimus gloriosè, ubi tanta erat Principum multitudo, qualis longè à retroactis temporibus non est visa, in qua Curia, multas intelleximus querimonias de Castris & Munitionibus aliis, de quibus Rapinæ & Incendia fieri consueverunt, & dictante Sententia Principum & aliorum Nobilium deffinivimus statuendo; quod eadem Castra & Munitiones, propter dampna data & Incendia perpetrata debeant destrui & funditùs demolliri, & quia singula Loca, non poteramus personaliter pertransire, de Prudentia Consilii nostri, Fidelem nostrum HEINRICUM de NYFEN ad Executionem prædictorum, à Latere nostro duximus destinandum, quod Officium sibi commissum à Nobis pro posse & nosse fideliter executus, inter cetera quædam Castra Nobilium Virorum, Fratrum de Hohenloch, dictante Sententia & Justitia destruebat; super his omnibus, primò DEI Altissimi & tuum ac aliorum Principum Testimonium invocamus;

Verùm cùm super his præmissis grata ac debita debuimus præmia reportare, quidam Æmuli nostri, qui forsan per alia non possent Servitia, familiares & gratos se reddere Imperatoriæ Dignitati, aut quia utriusque diligunt incommodum & sitiunt

Læsio-

Læsiones, attemptant & attemptarunt inter Dominum Imperatorem & Nos discordiæ scandalum suscitare; quorum malignis suggestionibus & malitiosis Dominus & Pater noster, Eheu! faciliter inclinatus immeritam erga nos videtur Ingratitudinem exercere usque adeò quod Litteras durissimas, & mandata nobis dirigit inconsueta, multa alia faciendo quæ nec ei expediunt neque nobis, nam cum de pietate & gratia paterna, & ad Consilium Principum, sæpe dictus Dominus Imperator potestatem nobis plenariam contulisset conferendi & concedendi Beneficia & Feoda vacantia, ut ex hoc Magnates & Nobiles ad utriusque servitium promptiores & plus benivolos haberemus, idem hoc in quibusdam postmodum non servavit in nostrum præjudicium & gravamen: insuper Castra Nobilium de Hohenloch superius memorata, quæ per sententiam diruta fuerant & destructa, nostra Nos compulit pecunia reparare & nominatim Castrum Langenberc, quod cuidam Pupillo in sollempni Curia Frankenfort, Justitia nos cogente, per sententiam fuerat restitutum, à Patre nostro jussi fuimus revocare & Godefrido de Hohenloch assignare; quod cum de Jure & salvo honore facere non possemus, nolentes in aliquo Paternis Beneplacitis obviare, eidem Godefrido, duo millia Marcarum de Camera nostra in Restaurum Castri dedimus memorati: præterea sine causa necessaria Civitatem Northusen, quæ Nobis & Imperio plus esset utilis, obligavit, & eandem obligationem ratam compulit nos habere; Filium Ducis Bawariæ quem obsidem habuimus pro utriusque cautela, ac Filium Marchionis de Baden quem spontè & ultrò nobis obtulit immo devotius supplicavit, ut ne aliquam de ipso diffidentiam haberemus, eum in obsidem recipere dignaremur, per dura Præcepta Patris nostri, quibus contraire nec volumus nec debemus, non sine maxima Verecundia restituere cogebamur: Telonium quoque in Baccherah, quod in sollempni Curia Frankenfort, dictante Sententia Principum, inhibitum fuerat Duci Bawariæ, & deinde idem Dux expresse abjuravit, contra Factum nostrum & Principum veniens, Feodali Jure Duci contulit memorato, siquidem Nobiles & Magnates, Vasallos & Ministeriales seu alios quoscumque venientes ad ipsum, & detrahentes hinc inde nobis, eis credulas aures adhibendo, audit & exaudit, dans Litteras & Mandata revocatoria de factis nostris, in non modicam nostram ac suam & Imperii Læsionem; prædictis itaque Mandatis & Præceptis Dominus & Pater noster quasdam Comminationes addidit inconsuetas, videlicet si in aliquo eorum, quæ nobis specialiter tunc mandavit inveniremur etiam in minimo negligentes, quod Nuntios & Litteras nostras, de cetero non reciperet vel audiret: procuravit etiam apud Sedem Apostolicam quod per quosdam Allamanniæ Principes denuntiati, deberemus excommunicationis Vinculo innodati, quod tanto gravius erat nobis quantum perniciosius est exemplo & contra omnia Jura tam Ecclesiastica quam mundana, cum de ulla contumacia vel delicto convicti fuerimus vel confessi, immo etiam nec commoniti nec citati; unde meritò credendum non esset vel etiam præsumendum à Sede Apostolica à qua Jura prodire debent, & non injuriæ, tales Litteras & Mandata contra personam nostram de certa Scientia emanasse;

Ad obviandum itaque salutiferè his malis sæpe sæplus direximus sollempnes Nuntios nostros & nunc Excellentissimos quos habemus videlicet Venerabiles Moguntinum Archi-Episcopum & Bambergensem Episcopum, Dilectos Familiares Principes nostros, ad Pedes Imperialis Eminentiæ misimus, iteratò supplicantes devotissimè Patri nostro, ut Emulorum nostrorum relatibus credulus non existens, filialem devotionem à Paternæ Dilectionis Gratia non excludat; hæc salva Gratia Serenissimi Patris nostri scribi fecimus, non in modum querimoniæ & querelæ sed recitando ea leviter & de plano, Rogantes attentissimè & monentes Prudentiam tuam, de qua indubitatam Fiduciam obtinemus, quod tu & alii Principes, cùm Imperium maximè consistat in Vobis, detis Consilium oportunum qualiter Imperium & Subditi Imperio in Tranquillitate & pace permaneant & quod Serenissimus Pater noster & Vos, sic nos ad invicem habeamus, quod non solum ipsi & vobis, sed etiam omnibus subditis Imperio cedat ad Commodum & Honorem, & supplicetis eidem una nobiscum humiliter & devotè, quod honorem nostrum quem de Gratia DEI Omnipotentis, & sua habere dinoscimur in nullo diminuat vel immutet: novit verò ille, qui nihil ignorat & qui Scrutator Cordium est & Rerum, noverunt & Allamanniæ Principes Universi, specialiter illi, qui in nostro latere sunt frequenter, quod postquam à tenera ætate recessimus, inter Bonum & malum, æquum & iniquum, justum & injustum, honestum & minus honestum

ftum difcernere poteramus, nunquam aliquid eorum fecimus ex certa fcientia vel ex animo, quæ deberent paterno affectui difplicere, aut etiam quæ offendere poffent Imperatoriam Majeftatem.

Datum apud Ezzelingen IV. Non. Septembris.

XL.

Ex eodem Cod. M.S.

Litteræ Conradi Hildesheimenfis Epifcopi ad Gregorium IX. Pont. Max.

An. 1235. SAnctiffimo Patri ac Domino fuo G. Sacrofanctæ Romanæ Ecclefiæ Summo Pontifici CONRADUS DEI Gratia Hildesheimenfis Epifcopus promptam fuæ poffibilitatis Obedientiam & devotam. Cum per incremenrum & Honorem Sanctæ Matris Ecclefiæ crefcat & proficiat honor DEI, non immeritò congratulatur & congaudet univerfæ Chriftianitati fuper eo quod Ecclefia Romana cum Honoris tanto Profectu Reformata, ut dicitur, per Pacem Spes futuræ Tranquillitatis & Pacis repromittitur Ecclefiis univerfis; hinc eft etiam quod Sedes Apoftolica non tantùm fuis fed Devotorum ejus incrementis intendens, Imperialem ftatim provehens in fublime, Gloriofo Domino Imperatori per veftrum Favorem & Divinum Confilium in partibus Alemanniæ tantum profperari conceffit, ut Omnibus ad ejus votum cedentibus tam majores, quàm minores Principes omni refiftentia & contradictione remota, ad voluntatem ejus inveniat benivolos & paratos; Filio fiquidem ipfius ad ejus gratiam accedente coram pluribus Principibus, Archi-Epifcopis & Epifcopis, Ducibus Marchionibus, Baronibus, & Nobilibus multis apud Warmatiam die Iduum Julii fuas Nuptias follempniter celebravit; confequente Auctore Domino iturus Moguntiam ad celebrandam Curiam ibidem in Affumptione B. Virginis ad quam Univerfi Principes Alemanniæ, ficut fperatur, occurrent, de Generali Bono Pacis & commodo totius Ecclefiæ mutuum Confilium habituri: Negotia verò Ecclefiæ admodùm ardua Magiftro H. Clerico meo fecreto commifi, coram Vobis in veftræ Sanctitatis Præfentia exponenda, fupplicans humiliter & devotè, quod intuitu Divinæ Remunerationis juxta confuetam Apoftolicæ Sedis Clementiam eisdem Negotiis Favorem & Confilium impendatis.

XLI.

Ex Autographo.

Henrici Abbatis Charta pro Matrimonio inter Hartungum Ecclefiæ fuæ Proprium, & Lukardam de Rieden inito.

An. 1214. HEINRICUS DEI Gratia humilis Sancti Stephani in Wirceburch Abbas; ut ea quæ circa Fideles ad Statuum fuorum commoda geruntur Pofterorum Notitiæ clarius illucefcant. Expediens eft ea Litterarum Teftimonio commendare: Noverit igitur Omnium tam præfentium Ætas, quàm futurorum fucceffura Pofteritas quod conftituti in præfentia noftra HARTINGUS & Uxor fua quod liberæ effent conditionis, feptima manu Teftibus fcilicet idoneis & omni exceptione Majoribus Friderico, Bertholdo Fratre fuo, Theodorico, Conrado, Hartmanno de Rieden. Arnone & aliis rationabiliter comprobarunt, quorum Filiam LUKARDAM Hartungus nofter & Ecclefiæ noftræ & S. Stephani proprius exiftens mutuis Confenfibus hinc inde legitimè accedentibus, traduxit matrimonialiter in Uxorem, unde Nobis & Ecclefiæ noftræ ac Sancto Stephano omnis prædictorum Hartungi & Uxoris fuæ Pofteritas ipfo Jure dinofcitur pertinere, & ut fuper ipforum ftatu & conditione nulla ipfis ab aliquo impofterum quæftio moveatur, nos ipfis & eorum hæredibus præfentem cartam confcribi, noftro quoque ac Domini noftri OTTONIS Herbipolenfis Epifcopi Sigillis, fuo ad id ipfum accedente favore, fecimus communiri. Hujus rei Teftes funt Eckehardus, Hartmundus, Herdeinus, Gotefridus, Hiltebrandus. Monachi Fridericus, Hermannus, Bertoldus, Cunradus, Heinricus, Bertoldus de Rirumpe, Hartmannus, Arno de Rieden, Hartungus, Heinricus, Hartmodus, Helmericus de Sale.

Acta

Acta sunt hæc Anno Incarnationis Dominicæ MCCXIV. Episcopatus Domini OTTONIS Anno septimo.

XLII.

Litteræ Encyclicæ Honorii III. Papæ quibus Christiano Orbi Exaltationem suam manifestam facit. Ex Cod. M. S. Mogunt.

SUpernæ dispositio Majestatis, quæ Orbem Terrarum Celesti Consilio moderatur, An. 1216. Sacrosanctam Romanam Ecclesiam ab ipso Fidei Principio Caput Ecclesiarum omnium instituit & Magistram ordinavit in ea Fidei Orthodoxæ Ministerium Juris & Justitiæ plantationem, qui B. Petri vicem gerat in Terris, & ligandi atque solvendi habeat Potestatem Gladiumque obtineat Spiritualem, sitque Lapis angularis per quem Saxa & Parietes diversarum Heresum confringantur: sanè hic dum Luminare majus quod ad illuminationem Gentium & Gloriam Christianæ Plebis Mundo noscitur prominere, super hanc quidem eminentioris Ecclesiæ speculam constituit Dominum videlicet Venerabilis Memoriæ INNOCENTIUM Episcopum Tertium, qui propter vitæ merita & Sapientiæ Magnitudinem *Innocentius* meruit appellari, ut Nominis Regularem consequeretur Effectum, inde fecit illum crescere in Plebem suam & Testamentum contulit ei Gratiæ plenioris: verùm quia mortalis erat, & sententiam Mortis evadere non potuit temporalis, idcirco se armis Pœnitentiæ præmunivit cupiens dissolvi, & esse cum CHRISTO, in quo & per quem vivere volebat & mori, sicque de Via transivit ad Patriam, & de hoc Ergastulo carceris translatus est ad Consortium Beatorum, cum quibus Regnabit Corona immarcescibilis gloriæ coronatus, & licet non dubitemus esse Sanctum, quem Apex tantæ Dignitatis attollit, Nos tamen Omnipotentis Clementiam imploramus, ut si aliquid veniale ei de contagiis humanæ Fragilitatis adhæsit, dono suæ Pietatis indulgeat & abstergat & Filium recipiat inter ubera Sponsæ Cœlestis, quem Patrem in Terris constituerat & Doctorem; ipsius demum Venerabili Corpore secundùm celebrem Consuetudinem tumulato, Universi Cardinales unanimiter convenerunt. ut de substituendo Pastore tractarent, cumque omnium & singulorum voluntates essent diligentius requisitæ in Nos Vota omnia concurrerunt, & ita pio Voto & unanimi concordia de parte sollicitudinis vocaverunt in plenitudinem potestatis, nec tamen contradicere potuimus, nec tamen etiam reluctari nostram insufficientiam allegantes, ut non compelleremur subire pondus Officii Pastoralis, quod volebamus lubentius evitare, cum itaque tantæ Dignitatis & Honoris onus absque vestrorum omnium suffragiis ferre Nostri Humeri non valeant, Universitatem vestram Rogamus inde & modo, quod Conditoris omnium Clementiam exoretis, quod Nobis de Munere Gratiæ suæ conferre dignetur, ut cum Remone Fidei & Anchora Justitiæ Principis Apostolorum Naviculam Gubernemus.

XLIII.

Ejusdem Conradi Episcopi Litteræ Obligatoriæ. Ex eodem Cod. M. S.

C. DEI Gratia Hildesheimensis Episcopus. Ad cautelam futuri temporis per præsens scriptum notum esse volumus, quod Nos pro debito trecentarum Marcarum examinatæ Pecuniæ, quibus tenebamur Terræ Sanctæ, villicationem nostram in Orlleve de consensu Capituli nostri Hildesheimensis obligavimus Fratribus domus Teutonicæ tali pacto ut in sortem debiti nostri cedat quicquid annuatim de ipsa villicatione poterit provenire, postquam jam dicti Fratres debitum quo tenemur Terræ Sanctæ receperint universum de Mandato Domini Papæ & conscientia expendendum, tunc demum ad Nos, sive Successorem nostrum Episcopum Hildesheimensem, qui tempore fuerit, soluta pignotis obligatione, dicta villicatio revertetur: ne autem hæc obligatio vel ordinatio nostra tractu temporis in dubium venire, vel ab aliquo malo Ingenio valeat immutari, præsentem paginam inde conscriptam nostro & Ecclesiæ Hildesheimensis Sigillo fecimus communiri. Actum . . . .

XLIV.

Ex eodem Cod.M.S.

Charta ejusdem qua Fratribus Minoribus in Urbe ſua Domicilium aſſignat.

CONRADUS DEI Gratia H. Epiſcopus Univerſis CHRISTI Fidelibus æternam in Domino Felicitatem. Notum ſit omnibus tam Poſteris quam præſentibus quod Nos ducti Zelo Religionis, quam, licet in Nobis non ſit, tamen in Subditis noſtris plantare volumus & fovere, felici Fratrum Minorum in Hildesheim Congregationi Locum in quo conſtructa eſt Eccleſia, Domus, Officinæ & quicquid intra ſepta Curiæ quam inhabitant continetur: inſuper & Locum prope Aquam in quo ſolebant pridem Equi Epiſcopalis Familiæ ſtabulari, de conſenſu & Beneplacito Capituli noſtri propter DEUM contulimus ut orationum & bonorum operum in quibus prædicti Fratres ad Laudem DEI omni tempore corpore & animo ſe exercent participes fieremus. Et in teſtimonium facti noſtri præſens ſcriptum non ſolum noſtro ſed & Capituli noſtri Sigillo fecimus Roborari.

XLV.

Ex eodem Cod.M.S.

Ejusdem Charta altera qua Derneburgenſe Aſceterium ſub Protectione ſua recipit.

CUnradus Hildesheimenſis Epiſcopus, ad Notitiam omnium tenore præſentis Scripti cupimus pervenire, quod Nos Sanctimoniales Derneburgenſis Eccleſiæ in noſtram recepimus protectionem eum rebus omnibus quas poſſident jam, vel de cetero juſtis modis poterunt adipiſci, & ſpecialiter Locum ipſum Derneburg, quem liberum eſſe volumus ab omni Jure Advocatiæ & poſſeſſiones & libertates à Bonæ Memoriæ Harberto Epiſcopo, eis de conſenſu Capituli noſtri pia Liberalitate conceſſas, pro Remedio Animæ noſtræ ſimiliter donatione noſtra ſupplemus, ſi quid minùs firmitatis habere videbitur forſan factum ejus, ratum habentes illud DEI & Apoſtolorum ejus Petri & Pauli & noſtra auctoritate confirmantes hoc præcipimus ſub interminatione anathematis inviolabiliter obſervari.

XLVI.

Ex eodem Cod.M.S.

Ejusdem Charta tertia qua eidem Derneburgenſi Aſceterio quædam donat.

NOtum eſſe volumus CHRISTI Fidelibus Univerſis, quod Nos pro Remedio Animæ noſtræ, decimam Eccleſiæ noſtræ ſitam in Havekenſtede quam Nobiles Viri B. & C. in Feodo tenebant à nobis, poſt reſignationem liberam factam ab eis, contulimus de conſenſu & beneplacito Capituli noſtri, Eccleſiæ DEI in Derneburg, ad uſum Sanctimonialium ibidem JESU CHRISTO & B. Virgini deſervientium, Johanne Præpoſito ipſius Loci, qui eam de manu Laicali redemerat, id procurante fideliter & modis omnibus promovente.

XLVII.

Ex eodem Cod.M.S.

Ejusdem Charta quarta, qua Eccleſiæ in Alsburg Jus Advocatiæ confert.

C. DEI Gratia Hildesheimenſis Epiſcopus: quia hominum memoria infirma eſt & debilis, ideo de re geſta ſit Scriptura, quæ contineat Teſtimonium veritatis; Notum igitur ſit omnibus tam poſteris quam præſentibus, quod cum Advocatia Præ-

Præposituræ in Alsburg nobis vacari ex resignatione Comitum de Weringerode, qui eam à nobis in Feodo tenuerunt, Nos ipsam pro Remedio animæ nostræ contulimus Ecclesiæ in Alsburg cum omni Jure quod Advocati possunt sibi in rebus & Hominibus vendicare. Ne igitur Liberalitatis nostræ Beneficium à quoquam revocetur in dubium, Nos præsens Scriptum de hinc confectum Sigillo nostro duximus roborandum. Testes hujus rei sunt . . . .

XLVIII.

Ejusdem Episcopi in Ecclesiam suam Hildesheimensem Liberalitas.

Ex eodem Cod. M.S.

Licet Substantia veritatis verborum amminicula non requirat, tamen expedit aliquam Scripturam fieri per quam gestæ rei veritas clarius elucescat; præsenti igitur Littera innotescat omnibus tam Posteris quàm præsentibus, quod Nobiles Viri Her. & Hein. Fratres Comites de Waldenberg in nostra præsentia constituti Advocatiam super omnes villicationes Ecclesiæ Sancti Mauritii in Monte prope Hildesheim, quam à nobis in Feodo tenuerunt, in manus nostras publicè resignaverunt, & Nos postmodum eandem sine omni exceptione contulimus Ecclesiæ nostræ supradictæ ut DEUS pro peccatis nostris fiat citius exorabilis, & Ecclesia præfata nostri memoriam agat in ampliori studio Caritatis; hoc igitur factum est coram nobis & quod nos ipsi rationabiliter fecimus præsentis Scripti patrocinio communivimus.

XLIX.

Ejusdem Notitia pro Donatione Nobilis Viri Militis de Isenkagen.

Ex eodem Cod. M.S.

C. DEI Gratia Hildesheimensis Episcopus Universis ad quos præsens Scriptum pervenerit Salutem in CHRISTO JESU, ut æquitati Custodiam faciamus & maliciosis occasio detrahendi auferatur ea quæ gerimus præsentia Testium & Scripturæ Memoria consuevimus roborare: Notum igitur sit præsentibus & futuris quod F. miles de Isenkagen, spe Divinæ Retributionis, Ecclesiæ nostræ contulit C. Libras, & Nos devotioni ejus cum debita gratitudine occurrentes ipsum F. & G. Matrem ejus in plenam Fraternitatem Recepimus, ita quod cum de hac vita decesserint ipsorum memoria & F. Patris sui & C. Sororis suæ, in obitus sui die anniversario celebris habeatur: ordinavi etiam ut singulis annis ipsi F. Benefactori nostro X. Lib. Hildesiensis Monetæ de parte Capituli nostri persolvantur; in Festo videlicet B. Valpurgis V. in Festo B. Michaelis V. qui per manus Decani & Cellerarii, qui pro tempore fuerint debent prædictis vicibus exhiberi: si autem prædictus F. prius quam Mater sua decesserit ab hac vita, ipsa eodem Jure & modo percipiat X. Libras tempore vitæ; ut autem hæc ordinario nostra futuris temporibus maneat inconvulsa, præsentem Paginam exinde conscripsimus & eam Sigilli nostri munimine fecimus roborari.

L.

Relatio Visitationis Asceterii in Heimunge.

Ex eodem Cod. M.S.

A. DEI Gratia Abbas de Rigdaberc. G. Scholasticus Hildesheimensis. Anno Gratiæ MCCXL. cum in Ecclesia Heimunge, Auctoritate Apostolica visitationis Officium exequeremur, invenimus DEO Gratias commendabilem Statum Loci tam intus quam extra tamen . . . . . . Cavendum est ne obruatur harena, circa minora solliciti fuimus emendanda: Auctoritate igitur visitationis nobis injunctæ prohibemus ut Pepla vel nimis crispa vel crispara Sorores Loci deinceps non habeant, præcipimus etiam ut forma antiqua in suppellitiis claustralibus observetur, tegmina non habeant colorata, nec Clenodia faciant Secularia quæ vanitatem ali- An. 1240.

quam vel levitatem ostendant, sed simplicia de Lino operentur quæ & utilia sint accipientibus, & Religionem in eis commendent & exhibeant quæ fecerunt, Cirotecas non habeant Seculares: consulimus præterea bona fide & H. Præposito & Priorissæ tractare . . . . . ut temporibus certis de communi aliquid operentur, quia hoc Religioni claustrali & utilitati communi credimus plurimum expedire.

LI.

Ex eodem Cod. M.S.

Litteræ Bohemiæ Regis quibus adversus Tartaros auxilium implorat.

Circa An. 1242.

BOhemiæ Rex . . . . de Statu & processu Tartareæ Gentis Excellentiam vestram ut petistis certificare cupientes vobis significamus quod . . . . . in Hungariam venientes cum Virtute magna etiam cum Regibus Terræ conflictu habito . . . . maritimis se receperunt & ibi rei exitum decreverunt præstolari: Tartari verò Provinciam occupaverunt potenter, pars autem Exercitus quæ venit in Poloniam Duce & Nobilibus Terræ plurimis interfectis ad partes Moraviæ Terræ nostræ iter convertit & adeo bestialiter & horribiliter eam devastat, ut etiam Gladius eorum nullius parcat vitæ sine differentia Sexus, Ætatis, & Conditionis; siquidem tempore quo fuerunt in Polonia Nos cum Exercitu Nostro vicini fuimus Duci adeo quod Eum die sequenti postquam occubuit cum omni virtute nostra contingere poteramus: ipse autem proh dolor! Nobis inconsultis & irrequisitis cum ipsis congressus, ex qua re miserabiliter est occisus, quo experto ad Metas Poloniæ cum Exercitu processimus, volentes die crastina de ipsis Divino mediante auxilio condignam sumpsisse vindictam, sed iidem proposito & intentione cognitis Fugam dederunt & Fluviis magnis & rapidissimis quos transierunt non obstantibus naturali die solo in progressu XL. Milliarium expleverunt, & sic ut prædictum est in Terram nostram Moraviam diverterunt, ubi moram trahentes maxima & intollerabilia Nobis damna inferunt incessanter, à maximo usque ad minimum cum Mulieribus & parvulis jugulantes, Claustra Nobilia destruxerunt & Monachos plurimos occiderunt, quo circa vestram dilectionem, de qua specialem gerimus Fiduciam, Rogandam duximus attentissimè quod amore JESU CHRISTI & pro Fidei Catholicæ defensione, qualiter eorum sit obviandum in tempore malitiæ, Vestrum nobis Consilium pariter & Auxilium dignemini exhibere.

LII.

Ex eodem Cod. M.S.

Conradi Regis Mandatum pro colligendo Cruce-Signatorum Exercitu adversus Tartaros.

Circa An. 1242.

COnradus Domini Augusti Imperatoris Friderici Filius DEI Gratia Romanorum in Regem Electus semper Augustus & Heres Regni Jerosolimitani; Dilectis sibi universis Principibus, Comitibus, & Nobilibus ceterisque Imperii Fidelibus in partibus inferioribus constitutis Gratiam suam & omne Bonum: pro Honore JESU CHRISTI & defensione Fidei Christianæ communicato Consilio Principum multorum Magnatorum & aliorum Imperii Fidelium qui aderant in Festo Pentecostes jam præterito, contra Gentes Barbaras quæ Tartari nominantur & Deos invocant alienos apud Ezzelingen Victoriosissimum Signum Crucis duximus assumendum, tali conditione præmissa, ut ex eo Summo Pontifici non simus tamen aliquatinus obligati, sed quod tantum Imperium in ista parte Alpium ab Invasione dictorum Tartarorum defendamus, ipsamque Crucem geremus usque ad Festum Beati Martini & ulterius si contra ipsam Gentem Tartaream ad Honorem Domini est gerenda, proponentes in Octava instantis Festi Johannis Baptistæ nostrum feliciter Exercitum apud Nurenberc congregare ex tunc una vobiscum & CHRISTI Fidelibus sine mora contra Canes Tartareos magnifice processuri, Rogantes & monentes attentè Universitatem vestram quod ad Honorem & Gloriam Redemptoris nostri, Crucis faciatis ubique

que Gloriam prædicari ad deſtructionem Gentis dictæ, Vos modis omnibus præparantes ut ab eo, qui non vult mortem peccatoris ſed ut magis convertatur & vivat, digna Retributionis Præmia in æterna Gloria reportetis.

LIII.

Epiſtola Apologetica Henrici I. Epiſcopi Hildesheimenſis ſuper Electione ſua.

Ex eodem Cod. MS.

H. DEI Gratia Hildesheimenſis Epiſcopus omnibus Fidelibus Salutem in Domino: An. 1245. Præſentis Temporis Generatio hoc ſibi habet Vitium innatum, ut erga Prælatos Eccleſiarum invidiæ Facibus moveatur, & præterea omne meritum & Beneficia eorum obſcurare non erubeſcat: ne igitur Electio mea inpoſterum aliqua detractionis nota aſpergatur, noverint univerſi Fideles quod defuncto piæ Memoriæ C. * Epiſcopo Prædeceſſore meo, ad ſubſtitutionem alterius Epiſcopi tota Eccleſia noſtra conſedit: omnibus ita hinc inde ſecundum Votorum ſuorum opinionem multa dicentibus IV. Perſonæ tandem propoſitæ ſunt & dum ferè pertinaciter quilibet perſonæ denominatæ adhæret, pluribus viſum eſt, ut Religioſorum Virorum Conſilio Electionem deberemus ſubmittere: ſed fateor non conſenſi, quia circa hujusmodi conſilia, Favor & Gratia plerumque ſolet Æquitatis Judicium declinare; hac igitur occaſione tempus protelatum quantum Canones inſtituerunt; iterum autem miſſus ab Eccleſia apud Dominum Imperatorem obtinui ut Reditus Epiſcopales non diſtraherentur usque ad Electionem Epiſcopi, quod autem apud ipſum ad commodum meum non laboraverim novit Dominus, & Dominus Imperator, qui hoc ipſe coram Prælatis & Miniſterialibus & Liberis eſt teſtatus: die autem ſtatuta Nobis ad Electionem reſidentibus invocato Spiritus Sancti Auxilio, prætermiſſis perſonis quæ competitores videbantur, ad Inſufficientiam meam oculos injecerunt, uno tantùm reclamante, qui commonitus fœliciter acquievit; ſic ergo Electione celebrata tempore congruo, à Domino Imperatore inveſtitus & ſubſequenter à Domino Moguntino Sacerdotalem & Epiſcopalem Benedictionem præſente & Rogante Eccleſia mea ſuſcepi; ne igitur hanc Veritatis ſeriem vel invidia vel ignorantia valeat obumbrare hoc ſcriptum duobus Sigillis, ſcilicet meo & Eccleſiæ meæ feci annotari.

* Conradus.

LIV.

Lamentatio Abbatis.

Ex Cod. M.S. Erford.

PErcuſſus amaritudine Spiritus & tactus dolore intrinſecus quid dicam vobis Pater vel quid faciam neſcio, Afflictione valida & miſeria ſauciatus, vos autem ex his quæ ſcribuntur attendite & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus, obductam namque præteriti Vulneris Cicatricem ſcidit nuper ictus acerbior ut qui patricidalia dudum Funera in Patris Nece defleveram eadem cogar & nunc in Clarevallenſi Primogenito deplorare, ad majorem verò mearum miſeriarum cumulum uterque quodammodo inter manus meas extinctus eſt, uterque me præſente peremptus, ut gladius hic eo crudelius orbati Fratris animam pertranſiret, quo me miſerum feriret cominùs & preſſiùs è Vicino confoderet; accidit enim ante paucos hos dies ut in domo T. . . . . quæ prima eſt in Filiabus noſtris, Viſitationis ageremus officium, & Ecce Abbas ejusdem Loci Sacrarium Eccleſiæ ubi Altare Beati Bernardi nuper erexerat, peculiarem orationem ſolito celebraturus ingreditur quatinus poſt hæc, Miſſarum ſollempnitatibus celebratis devotior, nobis & inſtantibus Negociis redderetur, cumque ibi moram faceret & cum Angelis DEI aſſiſteret coram Domino, affuit inter eos etiam Satan permiſſus in eum extendere manum ſuam ut ille innocentiſſimus pater ibi reciperet mortem ubi Vite requirebat Autorem; ingreſſus eſt namque poſt eum Vir Belial nomine Symon, qui clauſo hoſtio ut occideret in abſcondito Patrem ſuum prædictum Abbatem, vibrata in Caput ejus acie ſecuris, aggreditur nec prius vultus & verticis . . . . . . quam ille non jam miſer ſed adhuc miſerabilis Pater Laureatum ſuo ſanguine Spiritum in ejus quem orabat manibus expiraret; poſt

 hec

hec hora una transacta abiit crudelissimus Parricida & Missam celebrare non timuit, ut velamentum sceleris devotione sibi ascisceret Sacerdotis, diu enim per tumultum lugentium & concurrentium Monachorum ignoratus Parricida delituit, quamvis vox Sanguinis sine intermissione fluentis in Sanguine quotiens . . . . cominùs accessisset stillicidiali quodam Testimonio demonstraret, unde postmodum pro his & aliis de conjecturalibus signis . . . . . . Reum se patiati facinoris confitetur, dignus quidem quod nullam consequatur veniam, qui nullam in eo reperit mortis causam, & ecce nunc Pater optime, captus & cathenatus tenetur in vinclis, pro quo vobis instantissimè supplicamus ut die, consilio, & habita deliberatione cum Fratribus, talis in eum diffiniatur pena quod similis præsumptionis debeat finiri malicia.

LV.

Ex Cod. M.S. Erford.

Impostoris cujusdam Epistola ad Fridericum II. Imp.

Circa An. 1250.

MESSIAS Divina Misericordia inflammatus, Deificè sanctificatus, Heredi FRIDERICO Romanorum Imperatori, & semper Augusto, Salutem & Benedictionem. Exordium nostri sermonis tuæ dirigimus Fidei approbandum, ut Celsitudinem preclaram celitus exortam, Virtutesque nostras Magnifices & Potentes, inter Mundi Principes studeas predicare, & meritò; cum talis sis similiter quod contra Te fremuerunt omnes Gentes, & inania sunt Populi meditati, exacuerunt etenim contra Te sui Cordis duritiam, & omnem malitiam quam excogitare poterant de Te in Populo predicarunt, astiterunt quippe contra Te Reges Terræ & Principes convenerunt in unum cogitantes pessima, contumaciter dicentes dirumpamus Vincula ejus, & Jugum ipsius à nobis projiciamus, nec supra nos Dominum ipsius amplius patiamur; verùm, quia tempus judicandi accepi Ego justus Judex, justè Justitiam judicabo, & cum arripuerint Judicium manus meæ, reddam ultionem Hostibus, & his, qui nos oderunt retribuam æquali Lance; non parcet oculus, nec eorum miserebitur, qui nostram indignationem meruerunt. Clericorum Pontifices, & Ecclesiarum Pastores, ad nostrum sermonem volumus primitùs inclinari, in eos enim nequaquam sevire debemus, nec malignari, cum de ipsis dictum sit *Regale Sacerdotium, Gens Sancta, Populus acquisitionis*, imo quod magis est, volumus & muneribus & honoribus ad nostræ Sanctitatis Professionem brevi temporis sub Curriculo provocentur, ut Virtutes nostras Divinas & Adventum nostræ Sanctitatis salutiferæ, annuntient toti Mundo; ammonemus igitur Tuam Celsitudinem præclaram & Potentem, ut omne tuum Propositum in omni Humilitate & Patientia suspensum teneas quousque Litteras nostras receperis, cum Litteris Magni Principis Tartarorum.

Datum Anno Nativitatis nostre XXIV. in Campo Ragahu, juxta Fluvium Chobar presentibus Regibus GOCH & MAGHOG Gentibus olim Montanis, presentibus Regibus & Principibus Libiæ, Eufratis, & Egypti, adveniente Rege & Principe BALTHASAR, qui est juxta Flumen Chobar cum Principibus Potentissimis, & DAVID nomen Principis Tartarorum.

LVI.

Ex Apographo.

Hermanni Herbipolensis Episcopi Approbatio Venditionis cujusdam Factæ.

An. 1251. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Nos Hermannus DEI Gratia Herbipolensis Ecclesiæ Episcopus omnibus CHRISTI Fidelibus Salutem in vero Salutari. Quoniam ea quæ fiunt in tempore labuntur cum tempore expedit facta Hominum Scriptis Authenticis ne à memoria elabantur communiri, quapropter notum esse cupimus tam præsentibus quam futuris quod nos venditionem . . . . factam per Nobilem Virum Heinricum Comitem de Henebere Comitis Hermanni Fratris sui consensu accedente Religiosis . . . . pro Centum & quadraginta quatuor Marcis argenti, quam dicti Comites Fratres à Nobis Nomine

Nomine Ecclesiæ nostræ in Feodo tenebant Ratam & Gratam habemus consensu & voluntate Capituli nostri accedente, in cujus Restaurum prædicti Fratres proprietatem suam videlicet Villam inferiorem Sulzvelt cum omni Jure & attinentiis nostræ Ecclesiæ contradiderunt, à nobis in Feodo recipientes: Nos itaque ad præfatorum Comitum & multorum aliorum Instantiam moti pia Devotione . . . . tradimus quietè perpetuo possidendam, ne igitur . . . . . donatione nostra aliquod dubium vel quæstio nocitura possit imposterum oriri, presens Scriptum super hæc conscribi fecimus & Sigilli nostri & Capituli Sigilli appensione fecimus communiri.

Testes qui interfuerunt hi sunt Marquuardus Præpositus, Arnoldus Decanus, Burchardus Scholasticus, Conradus Cantor, Otto Archi-Diaconus de Luterberc, Henricus de Wechmare, Henricus Cellerarius de Stubewege, Boppo de Trimberc, Yringus de Hoenburch, Otto Custos de Lobedeburc. Laici: Conradus Dapifer dictus Torse, Heinricus Marescalcus de Herbesvelt, Albertus Suimph, Manegoldus de Hostheim, Heinricus de ariete, Gothevredus de Buchstar, Heinricus de Rorbeche & alii quamplures.

Datum apud Wirceburg Anno Incarnationis Domini MCCLI. IV. Non. Maii.

LVII.

Charta Venditionis Henrici Comitis.

Ex Cod. M. S. Mogunt.

An. 1258.

HUGO DEI Gratia Comes Palatinus de TIOWINGEN universis præsens Scriptum inspecturis Salutem in Domino. Noverit vestra Universitas quod Nos Jus Advocatiæ sive Jurisdictionis, quod in Curia sita in Nidertalh, cujus Proprietas ad Bertoldum Sculretum de Dornsteten spectare dinoscitur, sive in Bonis eidem Curiæ attinentibus habuimus, eidem Sculteto & H. de Hericheswiler Genero suo pro prætio XXXV. Librarum Tuwingensium, vendidimus ipsis suisque Heredibus sive Masculis sive Fœminis Nomine nostro, nostrorumque Heredum tradentes & perpetuò concedentes, & in ipsos plenissimè transferentes in horum quoque Robur præsentes . . .

Datum Anno Domini MCCLVIII. XIII. Kal. Augusti.

LVIII.

Litteræ Clementis IV. Pont. Max. ad Wernherum Archi-Episcopum Moguntinum, quibus Conradinum Siciliæ Regnum affectantem, publicè excommunicatum una cum asseclis denuntiari imperat.

Ex eodem Cod. M. S.

An. 1266.

CLEMENS Episcopus Servus Servorum DEI Venerabili Fratri Archi-Episcopo Moguntino Salutem & Apostolicam Benedictionem. Fundata Domus Domini super immobile Fundamentum cujus secundum Apostolum aliud ponere Nemo potest à columnis stabilibus sub decenti locatis Ordine pulchritudinem recipit & splendorem, quarum implent Officium qui Prælationis Ecclesiasticæ Ministerium assecuti Spirituale sustinent Ædificium & Venustatem; inter hos sane quantum in credita Tibi Provincia Locum obtines celsiorem, quanto Pondus structuræ sustines amplioris, tanto Te decet Gravitate majori in omnibus & per omnia stabiliri ut nec Nutes nec devies à Rectitudine tui status, ne dilapsus in partem alteram eo ruas periculosius quo tecum plures traheres ad Ruinam: verùm ad Justi pariter & Honesti Soliditatem Propositi præter commune debitum quo Te DEO vehementer astrictum intelligis cujus Ministerii tui, vocatus sorte in partem sollicitudinis, vicem geris accumulata te nova obligant Beneficia quæ cum aliis Prælatis Alamanniæ à Sede nosceris Apostolica recepisse, cujus larga Benivolentia, Largitas quoque benivola vobis hactenus semper affuit & quasi Fons indeficiens Vobis & vestris Ecclesiis Gratiarum Fluenta communicans, Vos instruxit Consiliis, roboravit auxiliis, vallavit præsidiis & Privilegiis honoravit; justum est igitur & Pietati conveniens ut ad Matrem levetis oculos Universi, & Cura per-

vigili studeatis ejus obviare Periculis, quæ si sua vel vestra diximus, sua tamen rectius dicemus & vestra cum dolente Capite non sit in membris sanitas.

Ceterùm quantum Ecclesiam flagellaverit, quantum concusserit, quot pro Bonis ei Mala reddiderit Dominus Imperatoris Friderici nedum Ecclesiis & Principibus Alemanniæ notum exstitit, sed & Mundo notorium universo: unde justo damnatus Judicio, & tam Imperii quam Regni Siciliæ Jure pariter & Honore privatus Diem miserabiliter claudens extremum sui tenuem reliquit Memoriam, cum sublatis è medio Filiis in Domo tanti Nominis unica tantum scintilla remansit Ætatis adhuc teneræ, præmaturæ tamen malitiæ, prout fida Relatione didicimus CONRADINUM, cujus congauderemus profectui si suis contentus reprobatum Avum pro meritis, nollet in suis imitari, nec ausu temerario molitetur infringere quæ contra Avum eundem, exigente Justitia Felicis Recordationis Predecessor noster INNOCENTIUS, multis spectata Oculis, multis probata Sensibus, approbante sacro Concilio definivit: sed ecce jam prodit in Publicum non transumpta cum semine Patris Iniquitas, sed Avitæ potius ambitu Magnitudinis, cujus ei sæpe Memoria revocatur, ad Nepotem improvidum temerè propagata, sicque multum præproperè tumidus Adolescens cum aliquibus Inimicis Ecclesiæ Lombardis, Marchianis, & Tuscis, Apulis atque Siculis fraudulentis se . . . . . applicat, Potestatem Ecclesiæ non considerans, quæ sicut Avum ejus nudavit Imperio suis meritis exigentibus atque Regno Syciliæ sic & eum Jure ac Honore Regni Jerosylimitani aliisque Dignitatibus & Juribus, si quæ habet, poterit privare, nisi sibi Consilio meliori provideat & Sedis Apostolicæ beneplacitis se coaptet.

Porrò non sine magna Cordis Amaritudine nuper recepimus quod Nonnulli ex his Principibus & Prælatis ad quos Jus pertinet Eligendi Romanorum Regem ad Imperatorem postmodum promovendum, in eam venerint audaciam ut super Electione Conradini ejusdem ad Imperium, occultos audeant & apertos inire Tractatus suæ salutis immemores, Hostes Justitiæ & Quietis publicæ Turbatores, cum deberent non solùm attendere quod assumere ineligibilem nulli liceat, verum etiam diligenter advertere quomodo nunc eis paratum quemlibet & omni exceptione Majorem liceret eligere maximè pendente duarum Electionum Negotio coram Nobis, quæ fuerunt de Karissimis in CHRISTO Filiis nostris Rege Castellæ & RICHARDO Rege Cornubiæ Viris Illustribus & Magnificis, per eos ad quos Jus eligendi pertinet, in discordia celebratæ; hunc autem probat esse ineligibilem Ætatis infirmitas, quæ inhabilem eum efficit ad Honores, cujus etiamsi legitimum Terminum attigisset, eum tamen talem eligi non deceret qui de Persecutoribus Ecclesiæ manifestis tam Veteribus quam Modernis trahens Originem, justa posset hac sola Ratione repelli quocirca cum Officio nostræ Servitutis incumbat Fraudibus & Malitiis Perversorum occurrere ne, quod absit, neglecta valeant Incendia Vires sumere, quæ in ipsis initiis levius extinguuntur Nos in omnes & singulos cujuscumque Dignitatis vel Excellentiæ, Archi-Episcopalis etiam vel Episcopalis aut alterius Ecclesiasticæ vel Sæcularis existat, cujuscumque sint Gradus vel Ordinis sive Sexus, qui prætactis publicis vel occultis seu quibuscumque aliis modis procurabunt dicti Conradini Promotionem in Romanorum Regem vel Imperatorem, aut hujusmodi Tractatibus consenserint vel his procurantibus dabunt Consilium, auxilium & favorem, & in omnes qui ad id procurandum vel agendum convenerint, Excommunicationis Sententiam promulgamus & Anathematis eos Vinculo innodantes Terras Ecclesiastico subjicimus Interdicto: si qui verò ad Electionem ipsius processerint, si Principes fuerint eos & Heredes ipsorum omnibus Feodis & Honoribus quos ab Ecclesiis vel Ecclesiasticis Personis obtinent & tam eos quam Posteritatem eorum usque ad quartam Generationem Jure eligendi Romanorum Regem Auctoritate Apostolica privamus, & insuper eorum Filios Clericos usque ad quartam Generationem reddimus prorsus inhabiles ad Dignitates vel Beneficia Ecclesiastica obtinenda: si verò Electores hujusmodi Prælati fuerint ipso facto depositi ac nudati remaneant omni Dignitate Archi-Episcopali & Episcopali & omni Ecclesiastico Beneficio sine spe Restitutionis aut Gratiæ aliquo Tempore obtinendæ; omnes etiam qui prædicto Conradino astiterint aut impenderint Consilium vel Auxilium aut Favorem contra Karissimum in Christo Filium nostrum KAROLUM nec non Regem Syciliæ à Sede Apostolica constitutum in quo Novam ac Nobilem Opem Ecclesiæ Favor Divinæ Dextræ signis evidentissimis comprobavit, Excommunicationis Sententia innodamus, in omnes quoque qui cum eodem Conradino vel pro ipso aut in ejus auxilium contra Ecclesiam vel præfatum Karolum

Karolum Syciliæ Regem, in Regnum Syciliæ ſeu quæcumque ejus Loca, vel in Italiam ſeu quaſcumque Italiæ Regiones vel partes accedere, aut ibi dictum Conradinum adjuvare præſumpſerint, Excommunicationis Sententiam proferentes Terras eorum Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, contra eos gravius proceſſuri prout Exceſſus meruerit eorundem.

Licet autem de Tuæ Devotionis & Fidei puritate firmam geramus Fiduciam, quod in his & in aliis tuæ providebis Saluti & te noſtris beneplacitis coaptabis, quia tamen calcar Equum admiſſum excitat magis quam moleſtat, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica Scripta in Virtute Obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus quatenus à prædictis Laqueis vel periculis non ſolùm tibi caveas, ſed & alios qui in ea poſſent incidere reddas ſollicitè cautiores, hanc noſtram Sententiam, rotumque præſentium tenorem in tuis Civitate, Diœceſi, & Provincia, convocatis Clero & Populo facias ſingulis menſibus vel ſi expedire videris pluries publicari.

Datum VITERBII XIV. Kal. Octob. Pontificatus noſtri Anno Secundo.

LIX.

Litteræ Diffidationis.

Ex eodem Cod.M.S.

DOmino & Comiti de Ragenſtein. H. de Upligen Verbum mihi ad vos, ſcilicet quia oportunitatem temporis & Loci præſentialiter non habeo, vel quod veniendo ad vos & redeundo periculum mihi in itinere conſpicio, præſenti cartula vos ſcire volo, quod me in Hominii Fidelitate non ſicut decuit tenuiſtis & ideo Fidem Hominii me vobis deinceps velle ſervare dedico.

LX.

Litteræ Emancipationis.

Ex eodem Cod.M.S.

G. DEI Gratia Advocatus de Brunswik omnibus qui hoc ſcriptum audierint Salutem. Licet à principio Creationis humanæ, omnium conditio ab omni ſervili conditione fuerit liberrima, Peccatis tamen Hominum exigentibus eveniſſe creditur, ut Homo qui Creatori ſuo per arrogantiam aſſimilari apperebat, nunc etiam ſubjiciatur ſimiliter Creaturæ: Ego autem hac Lege me ſuperiorem conſiderans Servum meum N. ſpe ſupernæ Libertatis ab omni vinculo ſervitutis, quo mihi fuerat obligatus, cum conſenſu Heredum meorum H. & H. abſolvi. Hujus rei Teſtes ſunt . . . . . Ne quis autem hanc Manumiſſionem calumniari valeat hanc Cartulam inde conſcriptam, Domini mei Ducis Sigillo inſignitam ad propriæ firmitatis Munimentum ei tradidi.

LXI.

Charta Comitum de Rabensvvalt ſuper Appropriatione quorundam Bonorum.

Ex Cod. M.S. Erford.

An. 1278.

NOs ALBERTUS, FRIDERICUS, & BERTOLDUS Comites de RABENSWALT Recognoſcimus & publicè proteſtamur cunctiſque has Litteras viſuris cupimus eſſe Notum quod Provida Deliberatione prehabita Helvico Mareſcalco & Uxori ſuæ Boatrici eorumque Pueris tantummodo quos ſimul genuerunt, IX. manſos in Eintleben ſitos, quos idem à nobis hucuſque in Feudum tenuerant cum omni Donatione, Libertate & Utilitate qualibet & nihilominus pleno Jure Proprietatis poſſidendos liberaliter contulimus, dilectæ Sorori noſtræ GISELÆ Relictæ Burgravii de Megdeburc ſuique Filii conſenſu plenè ac favorabiliter accedente. Teſtes hujus ſunt Comes BERTOLDUS de Henneberg, Comites GUNTHERUS & HENRICUS Fratres de Swartzeburg, Tilo de Ruſtleiben, Henricus de Miſſesheim, Berthous de Gehoven Milites.

Acta ſunt hæc Erfurt Anno Domini MCCLXXVIII. XVIII. Kal. Aug.

LXII.

Ex Cod. M. S. Mogunt.

Honorii IV. Pont. Max. Epiſtola ad Philippum IV. Francorum Regem.

An. 1286. HONORIUS Epiſcopus Servus Servorum DEI P. Illuſtri Regi Franciæ Viro Catholico Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. De Turbatione Studii Villæ Pariſienſis plura audivimus quam ſit expediens & honeſtum, Burgenſes etenim tui ad leſionem Scolarum nimis proni, eis inferunt multa mala, nec ſufficit eis quod onerant ipſos neceſſariorum cara venditione & Hoſpitiorum graviſſima penſione, ſed apponunt iniquitatem iniquitati, in Perſonis lædentes eos & nocte vel vi vel clam hoſtia eorum aperiunt & verberatis eis auferunt univerſa, unde per ipſos tot fiunt impedimenta ſtudii, quod Doctores, qui præ timore non poſſunt habere quietum Spiritum, Lectiones ſuas frequentius intermittunt, ſic Clerici Denariis ſuis conſumptis inutiliter negliguntur: quamobrem cum occaſione ſacræ Paginæ & aliarum Artium quæ ibi docentur Regnum tuum huc usque adeo fuerit Benedictum, timere poteris, quod in vindictam & ob iram DEI grave ſentire debeat detrimentum; cum ergo te ſicut Kariſſimum Filium diligamus tibi conſulimus bona Fide, ut attendas, quod Progenitores tui ſemper erant Viri Chriſtiani, quod etiam quilibet Rex Franciæ ſpeciali Nomine CATHOLICUS appellatur, & ſtudium per quod conſiſtit Fides Catholica non permittas à tuis hominibus impediri, ſed in manu potenti compeſeas eos, præcipiens ipſis ut eeſſent à Scolarum læſione; negligere enim cum poſſis perturbare perverſos non aliud eſt, quam fovere, nec caret ſcrupulo Societatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare, ſi autem monitis noſtris acquieſcere volueritis nobis gratum eſſe noveritis & acceptum, ſin autem per totam Franciam Divina Officia ſuſpendemus.

LXIII.

Ex Cod. M. S. Erford.

Querela Subditorum ad eundem Philippum Regem directa.

CONſules Civitatis A. Illuſtri Principi P. Regi Obedientiam Fidelis præcognitam Servitutis. Principum Sereniſſime cum Dominorum ſit Subditorum Utilitatem adrendere tanquam propriam; Utilitas enim Subditorum profectus & Honor videtur Dominorum, veſtra igitur Gratia ſalva non decet veſtram Serenitatem ut tam vili Denariorum Warandia omne veſtri Principatus Dominium penitus deſoletur, nam ipſam deplangunt Nobiles, dolent Civitates, Villæ lacrimantur & pauperes, velut Experientia comprobat doloroſa: ad Pedes igitur veſtræ Majeſtatis proſtrati Gratiam veſtram humilitet non modicum imploramus, quatinus hujusmodi Deſolationem flebilem veſtra dignetur Magnificentia detegere, Terram meliori Moneta favoroſius intuentes.

LXIV.

Ex Apographo.

Manegoldi Herbipolenſis Epiſcopi Notitia pro Acquiſitione Caſtri cujusdam cum ſuis attinentiis Nomine Eccleſiæ ſuæ.

An. 1292. MANEGOLDUS DEI Gratia Epiſcopus Herbipolenſis præſentium Inſpectoribus Recognoſcimus Univerſis tam præſentibus quam futuris Nos apud Nobilem Matronam Adelheidim Relictam quondam Comitis Hermanni de Henninberg & Liberos ejusdem, Caſtrum . . . . . cum Hominibus & Univerſis ac ſingulis ſuis attinentiis queſitis & non queſitis quocumque Nomine cenſeantur, pro ſeptingentis & quinquaginta Marcis Argenti, qualibet marca pro duabus Libris & decem Solidis Hallenſibus computata, emiſſe de quibus ſiquidem marcis ipſi Matronæ Liberisque ejusdem,

ejusdem, trecentas & quinquaginta Libras Hallenses in Festo Beati Michaelis proximè nunc venturo, item ad Festum Beati Martini centum & quinquaginta Libras Hallenses, item ad Festum Beati Andreæ Apostoli centum marcas, item ad Festum Epiphaniæ Domini centum marcas, item ad Festum Beatæ Vualpurgis trecentas & quinquaginta marcas, quæ Festa immediatè se subsequuntur, solvere promisimus & & promittimus per præsentes; sane si in solutione illarum centum & quinquaginta marcarum in dictis Festis seu altero illorum fuerimus negligentes, prænominata Matrona ac Liberi sui omnia damna quæ occasione hujusmodi retardatæ solutionis sustinuerint & quæ evidenter ostendere poterunt & docere de prædictis trecentis & quinquaginta Libris Hallensibus eis tunc in Festo S. Michaelis persolutis penitus defalcabunt, si verò in solutione illarum centum marcarum in Festo Epiphaniæ Domini præfato solvendarum exstiterimus negligentes, antedictum Castrum cum Hominibus & pertinentiis suis, ut prædicitur, non titulo Emptionis sed Nomine Pignoris pro soluta ipsis Matronæ & Liberis pecunia in nostra tenebimus potestate, promittentes una cum Honorabilibus Viris Heinrico Præposito, Arnoldo Decano, Alberto de Lewenstein Scolastico, Lupoldo de Wiltingen Præposito in Houge, & Wolframo de Grunbah Custode Ecclesiæ nostræ Herbipolensis; item Theodorico de Hohinberg Mareschalco nostro, Sifrido de Lapide & Iringo de Brenden Militibus & Fidelibus nostris, qui id nobiscum promiserunt & promittunt, idem Castrum cum Hominibus & pertinentiis suis restituere libere antefatis Matronæ Liberisque ejusdem quandocumque nobis iidem receptam à Nobis pecuniam plenariè persolverint, quam quidem Castri restitutionem si ex tunc, quod absit, non fecimus, prænominati Prælati & Milites moniti, in damnum nostrum in Opido nostro Karlstat more fidejussorio tamdiu se recipient quousque Castrum prælibatum cum Hominibus & pertinentiis suis supradictis Matronæ & Liberis ejus fuerit libere restitutum; porrò si premissas centum marcas in Festo Epiphaniæ prædicto, dictis Matronæ & Liberis suis persolverimus ex tunc in Pignus prælibata Emptio non transibit: adjectum est etiam quod si dictum Castrum à Nobis quod absit, per Præliorum Duriciam vel quemcumque alium modum evinceretur, ipsis Matronæ & Liberis ipsius ad solutionem prætaxatarum marcarum, quarum nondum solutio eis foret facta in terminis præmissis Nos & Fidejussores nostros nihilominus obligamus; in quorum præmissorum Testimonium præsens Instrumentum exinde conscribi & nostro, sæpedictæ Matronæ, Capituli & Fidejussorum prædictorum Sigillis fecimus Roborari.

Nos quoque Adilhedis DEI Gratia Matrona prædicta Recognoscimus publicè protestando universa & singula præscripta ita esse & ad eorundem observantiam sub modis & conditionibus prætactis obligamus, promittentes Domino nostro Episcopo sæpedicto abhinc usque Epiphaniam Domini proximam pro Pueris nostris, qui adhuc Minores Annis sunt nos velle cautionem facere convenientem, quod iidem postquam ad Annos pubertatis pervenerint, præmissam Castri Emptionem Ratam & gratam habebunt.

Nos etiam Heinricus Prepositus. Ar. Decanus totumque Capitulum Ecclesiæ prædictæ Recognoscimus universa suptaracta de nostro scitu & consensu fore facta.

Datum Herbipoli Anno Domini MCCXCII. in Octava Nativitatis B. Virginis Pontificatus nostri Anno V. præsentibus prædictis Fidejussoribus & aliis pluribus Fide dignis.

LXV.

Joannis de Gottingen Episcopi Caminensis Epistola ad Joannem I. Bohemiæ Regem, de cautela à Venenis.

Ex Cod. M.S. Erford.

Circa An. 1344.

Gloriosissimo Principi ex super Illustrissima Prosapia Imperiali procreato, Domino Johanni Primo, præclarissimo Bohemiæ Poloniæque Regnorum Regi, Domino suo Gracioso suus Capellanus Magister Johannes de Gottingen Canonicus Moguntinus, olim in absentia in Episcopum Caminensem concorditer Electus, cum sui humillima Recommendatione se ad pedes.

Galienus Medicorum Princeps in Principio Libri sui de causis precatarticis sic dicit: Antiqui Philosophorum & Medicorum Hominum Genus juvare studuerunt, hoc autem etsi quantum ad totum Genus humanum generaliter factum videamus tamen in Genere Regum, Nobilium & Magnorum specialius & operosius completum invenimus; sic namque Princeps Philosophiæ Aristoteles Librum de Regimine Principum edidit Alexandro; sic Galienus Librum de Tyriaca scripsit Cesari Anthonio; sic Rasis studuit Regi Almansor; sic Abenzoar gloriosus Librum suum Teysir, id est Directorium, cuidam suo Domino Regi Hispaniæ compilavit, & quemadmodum prædicti quatuor Philosophi dictis quatuor Regibus in quatuor Mundi partibus principalioribus studuerunt, sic secundum quadripartitum statum, quos DEUS præ ceteris Mundi statibus prælegit, quibus Vestram Celsitudinem præ cunctis hodie Regibus sublimius insignivit, secundùm horum quemlibet, ex condigno exigitur ut vestræ Majestatis Utilitati studeamus.

Sane statum Legis Christianorum constat DEUM præ ceteris Legibus elegisse, cujus Zelo Regem Lituwanorum Barbarum & Paganum cum ceteris Regibus suis in hac parte complicibus, cum vestra Triumphali manu victoriose debellastis; liquet etiam Statum Sacri Romani Regni & Imperii præ cunctis Mundi Regnis & Imperiis à Domino DEO prælectum, ad quod idem Imperium gubernandum, Statum Nobilissimæ Nationis Alamanniæ præ ceteris Mundi Nationibus prælegit: nec mirum eo quod secundum Ptolomæum licet Roma, Alamannia, Francia, & Britannia eisdem, scilicet quartæ Terræ Triplicitati subponantur, tamen Germania præ aliis principaliùs sic respicitur quod in Moribus Animæ ad Imperandum nobilius disponatur, nempe Tolomæus dicit; quod præ aliis Germani propter Dominium Jovis in eis, bonis Operibus student, Fide gaudent, & propter Martis aspectum super eos Principalem ceteris magis animosi primos Imperiis Bellorum sunt amantes; in elegantissima vero corporum venustate Germanorum, clarè patet ne dum Deorum Imagines imò Deos vivos & pulcherrimos fecundissimo Germine Germaniam germinare; itaque tam ex parte Animæ quàm Corporis Nobilissimi, Germani ad Principatus Sacri Imperii Romani Gubernationem, præ aliis Nationibus digna Ratione à DEO prælecti adepti sunt Honorem, ad ipsum quoque Imperium resuscitandum & manutenendum inter Domos spectabiles Nobilium Germanorum, DEUS prælegit & statuit Statum Domus vestræ, sic namque Inclytæ Recordationis Divus Augustus Romanorum superillustrissimus Imperator Dominus Henricus Septimus Pater vester ipsum Romanum Imperium quod ante ipsum à tempore Friderici II. tanquam mortuum videbatur annis quam multis, non sine Divina prædestinatione suscitavit gloriose, & hæc vita Romani Imperii per Domum vel Terram vel Genus & Vos & vestros Posteros continuabitur cum Felicitatis augmento, saluberrima Gubernatione DEO propitio toto Evo, & de hoc non est dubium, Celestes motus ex Divina Influentia & mundana assequentia cognoscentı; quippe cum secundum Ptolomeum vultus hujus Seculi, Vultibus Celestibus sint subjecti & secundum Aristotelem virtus ejus tota gubernetur inde; quapropter decenter ex debito circumspexi vestræ Majestati ea studere & scribere, quæ vestram Personam Benedictam juvare poterunt ad salutem, inter alia merito ex eo quod me licet immeritum vestrum Capellanum & Familiarem domesticum per vestras patentes Litteras liberalissime recepistis, pro quo cum ad præsens non habeam quod possim offerre, meum humile studium offero vestræ Majestati supplicans devotè ut illud grato animo acceptetis.

Verùm quia in Italiam his Temporibus venistis, ubi contra Venena Cautela singulari maximè indigeris, quod patet ex eo quod illa vetula venenosa & famosa de qua secundùm Galienum omnes Philosophi scribentes de venenis faciunt mencionem, quæ comedit venenum quousque ex consuetudine ei rediit in naturam & quod hoc docuit & sic nutrivit quasdam Puellas, ut per earum coitum interficerent Reges: fuit de Italia sicut asserit Rabi Moyses Cordubensis in Aphorismis suis, sequens translationem Patriarchæ in tertia particula Libri Medicin. Simplicium Galieni, quamvis translatores Italici fortè suæ Gentis infamiam occultare volentes quidam asserant prædictam vetulam fuisse de India, quidam de Arhica, & quidam de Athenis.

Patet etiam Periculum Italiæ in Veneno facto Divo Augusto Patri vestro, prout de hoc adhuc hodie apud plurimos est publica Vox & Fama: sed quia secundum Ypocratem de melioribus Rebus est uti provisione propria ad magnum malum præcavendum,

dum, sic enim Aristoteles ut scribit in Libro suo de secretis Secretorum, Alexandrum præcavit à Veneno illius puellæ venustissimæ & tamen venenosæ utpote in Naturam serpentis conversæ, ipsi Alexandro à Regina Indiæ transmissæ causa amicitiæ cum multis Enceniis & donis propter quod ex prædicti Libri causa assumpto Capitulo una cum Aristotele vestræ Serenitati geminate clamo; Cave, cave mortifera venena: non enim de novo incipiunt Homines venenate. Notum est enim quanta multitudo Regum anticipaverit diem mortis, & occubuerit pocionibus Venenorum; hinc est quod providi ad præsens vestræ Majestati quasdam cautelas paucas ne tædium faciam, contra Venena scribere in Medicina & in diæta in salutem vestræ Personæ Generosæ, propter quod præsentem Epistolam *de cautela à venenis* titulavi ordine retrogrado à Medicinis & primo à compositis inchoando propter quoddam mihi contingens, quo hoc narrato, vestræ Prudentiæ diligentiam magis credulam & attentam me puto facere his quæ scribo.

Felicis Recordationis Venerabilis Pater Dominus PETRUS Archi-Episcopus Moguntinus, qui fuerat quondam Parisius in Philosophia & Medicina Magister autenticus & famosus & eum hoc in industria naturali multum habundavit, imminente proxima Electione de Rege Romanorum in Frankenvort celebranda, me de Monte-Pessulano ubi tunc in Medicina Regebam evocavit ut me in Medicum Eligendi Principis in Regem Romanorum ordinaret, & mox Electione facta per Principes Imperii me Medicum Domni LUDOWICI vestri & sui Electi fecit, mihi precipiens ut duas Medicinas compositas contra Venena studerem ex Libris Philosophorum Medicorum meliorum, quarum habitio & usus esset facilis, & tamen virtus earum contra Venena esset efficax & fortis, quod equidem feci duas Medicinas sibi per meum studium exquisitas propalando quas multum approbans & commendans consuluit Domino Ludovico Electo suo ut omni die ante omnem cibum & potum alternatim earum altera uteretur quod & fecit me sibi ministrante: tandem verò ipsum docui materialia, compositionem & usum istarum Medicinarum & sic sine mea præsentia eis uteretur: demum me ad Curiam Romanam Avinionis veniente, ubi jam XIII. annis & amplius cum Reverendissimo Patre Domino meo Domino Jacobo Cayetano Cardinale steti, venit quidam magnus Comes de Alemannia ad Curiam prædictam nunc defunctus, qui inter alia mihi dixit se non dubitare prædictum Dominum Ludowicum de Veneno comedisse quantum caperet una Biga, & similiter Anno præterito quidam notabilis Lombardus mihi pro certo asserebat prædictum Dominum Ludewicum in Italia comedisse magnam veneni quantitatem, cùm igitur prædictus Dominus Ludewicus nullam de Venenis sensit Lesionem certo est certius ipsum Beneficio dictarum Medicinarum fuisse præservatum . . . .

LXVI.

Caroli IV. Imp. Dyploma quo Herbipolensi Clero facultatem concedit, Laicos quoscumque coram Judice Ecclesiastico conveniendi. Ex Apographo.

KAROLUS DEI Gratia Romanorum Rex semper Augustus & Bohemorum Rex, ad Rei memoriam perpetuam. Quoniam Religiosa Ecclesiarum & Ecclesiasticarum Personarum sollicitudo, ad provocandam augendamque Ecclesiasticæ Devotionis Observantiam, exigentibus etiam suarum Virtutum meritis, decet Gratiosis Romani Principis Beneficiis premiari; Nos itaque exposcentibus multifariis Reverendæ ab antiquo Ecclesiæ Herbipolensis ac Gloriosorum Martyrum S. S. Kiliani, Colonati & Totnani Sociorum ejus, Patronorum ibidem, à Divis quondam Regibus ac Imperatoribus Romanorum quampluribus Prædecessoribus nostris, multimodis Libertatibus, Privilegiis, Honoribus & Juribus, laudabiliter sublimatæ, in capite & in membris, meritis probatis, de gratiosa pietate, Nostræ Regiæ Majestatis Auctoritate in perpetuum privilegiando præsentibus indulgemus, ut nostri perdilecti, devoti Prælati, Clerici, Personæque Ecclesiasticæ quæcumque, Sæculares & Regulares præsentes & futuræ, An. 1347.

Capitula Collegiata, & Conventus Ecclesiarum & Monasteriorum Civitatis & Suburbiorum ac Dioecesis Herbipolensis, dediti siquidem multiformi Officiorum Cultui Divinorum, conjunctim & divisim valeant Laicales seu Seculares ibidem personas, ipsarumque Communitates seu Universitates, cujuscumque pertinentiæ status vel conditionis existant etiam super injuriis & actionibus seu negotiis civilibus, publicis & privatis coram Judice Ecclesiastico liberè convenire, eidemque, Mundanæ Personæ earumque Universitates seu communitates, ipsisque Ecclesiasticis Personis, suisque Capitulis, Collegiis, & Conventibus in Judicio Ecclesiastico, non obstante exceptione declinatoria talis Fori, respondere desuper teneantur quemadmodum id etiam alias in plerisque Partibus Germaniæ, præcipuè in Provincia Moguntina, in qua etiam prædicta Ecclesia Herbipolensis consistit, de antiqua & rationabili consuetudine est inductum legitimeque præscriptum, & à tanto tempore cujus initii memoria non existit; inviolabiliter observatum, in cujus rei Robur & Testimonium firmiter mandavimus hanc paginam de præmissis conscribi, nostrique Regalis Sigilli appensione sollenniter communiri.

Datum NURENBERG Anno Domini MCCCXLVII. Indict. XV. VIII. Kal. Decem. Regnorum nostrorum Anno II. & Ego NICOLAUS Decanus Olomucensis, Aulæ Regiæ Cancellarius Vice & Nomine Reverendi Patris Domini GERLACI Archi-Episcopi Moguntini, Sacri Imperii per Germaniam Archi-Cancellarii Recognovi.

LXVII.

Ex Cod. M. S. Erford.

Litteræ commendatitiæ Ruperti Regis ad Innocentium VII. Pont. Max.


Circa An. 1405.

CLementissimæ Sanctitatis in CHRISTO Patri ac Domino INNOCENTIO Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici Patri sibi Gratiosissimo RUPERTUS Divina Clementia Rex Romanorum & semper Augustus, cum Obedientiæ Osculo devoto. Pater Piissime, Domineque nimium Gratiose, cum Virtutibus circumstipati, Scientiis illustrati, Moribus probati singulis & in actibus virtuosi præ reliquis Dignitatum culminibus sunt locandi; Fidelem nostrum & dilectum A. Exhibitorem Præsentium, Ordinis Prædicatorum Confratrem in Sacra Professum Theologia dignum justum & idoneum transmisimus, Vestræ Sanctitati flexis Genibus supplicantes, quatinus eundem, quem Virtutum & meritorum decoravit Summitas & Scientiarum ac Experientiæ illuminavit Radiositas, Conversationis & Vitæ commendat Laudabilitas, ad Gradum Episcopalem promovere dignemini . . . . . .



CON-

CONSPECTUS
TRIUM VETUSTISSIMORUM CODICUM,
EX ILLIS,
QUOS IN IPSO MARTYRII CAMPO,
UBI
S. BONIFACIUS
ARCHI-EPISCOPUS
CUM SOCIIS GLORIOSE OCCUBUIT,
MANUS FIDELIUM RECOLLEGERUNT, AC
IN SACRARIUM FULDENSE DEPORTARUNT.



LECTORI ERUDITO

S. P. D.

JOANNES FRIDERICUS SCHANNAT.



Anctum Bonifatium, eosque omnes quos sibi delegerat Socios in Ministerium Verbi DEI, Apostolicis firmiter inhærentes Vestigiis, non Aurum, non Argentum; sed pro Auro Volumina, pro Argento Divinæ Scientiæ Cartas, unicum Itineris ac Laborum suorum Solatium, secum gestasse, testatur inter Vitæ ejus Scriptores præcipuus Willibaldus (a) qui fusius describens, Gloriosum Certamen, quod Sancti Martyres, propè Dockingam Frisiæ Oppidum, ad Annum CHRISTI DCCLV. die Nonas Junii, simul inierunt; Barbarorum prædæ inhiantium spem in hoc potissimum delusam fuisse ostendit, dum effractis Thecis & Capsis, quas spoliis opimas crediderant, nil præter Sanctorum Reliquias. & Librorum Volumina in iis repererunt, unde nimium irati & confusi; (b) „Codices alios per campi planitiem dispeserunt, alios Paludum arundinetis inferentes, alios etiam in diversis quibuscumque Locis abscondentes projecerunt: sed tam Omnipotentis Gratia, quam etiam precibus Sancti Bonifacii Summi Pontificis atque Martyris, illæsi & intemerati, magno „postea dilapso Temporis spatio inventi sunt, & ad *Domum* in qua usque hodie Animarum prosunt saluti, à singulis quibusque Inventoribus remissi sunt.

(a) *Vita S. Bonifacij cap. XI.*

(b) *ibid. cap. XI.*

Hic per *Domum*, non aliam designari, quam sacram Sancti Bonifacii Ædem, in qua Corpus ejus depositum fuerat, libenter mihi persuadeo, ad hanc enim de Jure spectabant Codices illi, juxta vetus axioma: *Accessorium sequitur Principale*: Verùm quo singuli postmodum devenerint, quis edicet? unum Ego præ cœteris requiro insignem & longè præstantissimum, de quo Othlonus (c) ita disserit: „inter „eosdem Libros, repertus est Sancti Evangelii Liber, quem Beatus Vir pro Sanctitate „sua secum jugiter ferre solebat: hic ergo, quamvis Gladio acuto, ut adhuc ab inspicientibus probari valet, per medium incisus fuerit, nullius tamen litteræ integritatem eadem incisione perdidit, quem, ut fertur, Sanctus Bonifatius in illa Hora, „qua ad Caput ejus abscindendum vibrabatur gladius habens in manibus, vel pro Tutela Capitis, ut multi solent, seu etiam pro Clypeo spirituali, quem in Libro tali „esse credidit, Percussori opposuit, in quo nimirum signo, & miranda Virtus DEI, „& Veneranda Sanctitas Beati Bonifacii potest agnosci; mirabilius namque videtur, „quod nulla incisi Libri littera delebatur quam si nullum incisionis Stigma per ferientem gladium in Libro reperiretur.

(c) *Vita S. Bonif. cap. 36.*

Quæ certè ampla ac dilucida descriptio nullatenus convenit Codici nostro Evangeliorum, de quo infra: is enim exiguus est, & ex omni parte integer & illæsus: an igitur is, quem Ratisbonæ asservari dicit Hubnerus (d) nam cum Brovvero (e) vix crediderim, Othlonum Virum doctum ac probum, Argumenti specie deceptum, pro Evangeliorum Codice, cicatriosum alterum subjecisse; eum nempe, quem secundo loco recensemus, Fidei „Hostibus non minùs oppositum; quia inter alia fert S. Trinitatis Confessionem, & „Regulam Fidei Christianæ, atque etiam S. Ambrosii Librum de Bono Mortis.

(d) *Cosmograph. art. Moguntia.*

(e) *Antiq. Fuldens. pag. 136.*

Cœterum

Cæterum, haud exiguum fuiſſe illorum Codicum Numerum vel ex hoc colligimus, quod Sanctus Bonifacius ultra Quinquaginta tum Clericos tum Monachos, habuerit Martiry ſui Socios, Viros Litteratos omnes, ac præ reliquis ſui Sæculi in Divinis Scripturis Exercitatos, quibus haud dubiè Librorum Supellex, pro modulo inſtructa non defuerit; ex qua dum paucos hos Nobis ſupereſſe dolemus, ſervatos tamen etiam inter Clades, Turbas, Direptiones & Incendia, quibus toties afflicta fuit Fuldenſis Eccleſia, meritò miramur; at ne toti fortè aliquando pereant, (nam Tempus edax Rerum eſt) eorum Conſervationi aliqua ſaltem ex parte proſpicere, operæ prætium duximus, brevi hac Recenſione, quam ab omnium Vetuſtiſſimo ordimur.

I.

Codex eſt, mille ducentorum circiter Annorum, argenteis Fibulis ac Lamellis hinc & inde rudi Opere, prout illa ferebant Tempora, ſatis & ad Vetuſtatem excultus, habens in altum Pollices XIV. in latum VI. Folia verò ex levi eaque tenuiſſima membrana prope CCCCC. prolixam enim Argumentorum ſeriem in ſe complectitur, quam hic accipe.

I. *Harmonia IV. Evangeliſtarum*, in Canones & Numeros diſtincta, cum Præfatione Victoris Epiſcopi Capuæ.

II. *Tabula*, indicans Lectiones diverſas in Eccleſia recitari ſolitas, quæ potiſſimum deſumptæ ex Epiſtolis B. Pauli, diſtribuuntur per integrum Anni circulum, ordiendo à Dominica prima Adventus, prout patet ex ſequentibus.

In quinta Feria ad Veſperam Cenam Domini
Ad Corintheos I. ſub Titulo LVI.
In ſexta Feria ante Noctu magna
Ad Philippenſes ſub Titulo V.
In Noctu Sancta mane
Ad Philippenſes ſub Titulo XIII.
In Noctu Sancta Noctu
Ad Corintheos I. ſub Titulo XLIII.
In Sanctum Paſcha
Ad Colloſſenſes ſub Titulo XI.
In Paſcha Annotina
Ad Epheſios ſub Titulo XIII. &c.

III. *Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli*, eo, quo in Vulgata exſtant Ordine: niſi quod poſt I. & II. ad *Theſſalonicenſes* ponitur illa ad *Coloſſenſes* quam immediatè ſequitur ad *Laodicenſes* Apogrypha: cæterum hæ Epiſtolæ ut & Canonicæ reliquæ, non per Capita, ſed juxta præcedentem Tabulam in ſingulas Lectiones numericè diſtinctæ ſunt, quarum prima vocabula, minio paſſim deſcripta ſunt.

IV. *Quibus Locis Apoſtoli jaceant*, ſub hoc Titulo deſignantur Urbes, in quibus non Apoſtolorum tantum, ſed & Evangeliſtarum aliorumque Sanctorum Corpora, in Veneratione tum Temporis habebantur; nimirùm

Petrus & Paulus *Romæ*.
Joannes Evangeliſta *Epheſo*.
Andreas *Patras*.
Philippus *in Aſia Civitate Hierapoli*.
Mattheus *in Pontum*.
Jacobus *Hieroſolima*.
Bartholomeus *in Phrygia Civitate Dolici*.

Thomas

Thomas *in India Civitate Jothabis.*
Jacobus Alphei *in Civitate Joppe.*
Simon Zelotes *in Cappadocia Civitate Cæsarea.*
Judas Jacobi *in Provincia Phenice Civitate Byreto.*
Marcus Evangelista *Alexandria.*
Lucas Evangelista *Antiochia.*
Timotheus *Epheso.*
Philippus unus de septem *Cæsarea Palestina.*
Stephanus Protho-Martyr *Hierosolyma.*
Joannes Baptista *in Samaria Civitate Sebaste.*
Caput Joannis Baptistæ *in Provincia Phenice Civitate Emeza.*
Barnabas & Silas *Cypro Civitate Constantia.*

V. *Actus Apostolorum*, dividuntur non in XXVIII. Capita ut passim: sed in LXXIV. quorum prima Vocabula etiam minio adscripta sunt.

VI. *Epistola S. Jacobi ad dispersos*, quam sequuntur reliquæ Canonicæ S. S. *Petri, Joannis, & Judæ*, us præfixa est Præfatiuncula ad Eustochium Virginem nón adscripto Nomine Hieronimi; Opus à plerisque rejectum ut Spurium.

VII. *Apocalypsis*, ad cujus calcem exstant versus Damasi Papæ in B. Paulum Apostolum, editi in Bibl. Patrum.

Hæc omnia Caractere tam eleganti exarata sunt, ut Romanum secundæ Ætatis, qualem ex Orosio-Mediceo Nobis exhibuit Mabillonius, (f) dixissem facile; nisi quæ in fronte Libri habetur in Harmoniam Evangelicam Præfatio, cui etiam ipse Victor Episcopus, manú sua Titulum adscripsisse videtur, me necessariò revocaret ad Sæculum sextum.

(f) *De Re Diplom. Lib. V. Tab. VI. Num. 5.*

INNOMINEPATRISETFILIIETSPSSCI
INCPRAEFATIO·UICTORIS·EPISCI CAPUAE

Cumfortuitoinmanus
measincidereunumex
quattuoreuancelium con
positumetabsentetitulo

Scriptura insuper, cujus specimen Æri incisum vides, apptimè convenit cum ea, quam ex reliquo contextu Codicis desumptam, in Tabella proximè sequenti, exprimi curavimus unà cum annexo Sanctissimi Præsulis Chyrographo, quod sic legimus: VICTOR. FAMULUS. CHRISTI. ET. EJUS. GRATIA. EPISCOPUS. CAPUÆ. LEGI. VI. NONAS. MAI. DIE. INDICTIONE. NONA. QUINQ. POST. CONSULATUM. BASILII. V. C.

NOTUMERGOSITUOBIS
QUONIAMGENTIBUSMISSUM
ESTHOCSALUTAREDIIPSI
ETAUDIENT. MANSIT
AUTEMBIENNIOTOTOIN
SUOCONDUCTO. ETSUS
CIPIEBATOMNESQUIIN
GREDIEBANTURADEUM
PRAEDICANSREGNUMDI
ETDOCENSQUAESUNTDEDNO
IHUXPO. CUMOMNIFI
DUCIANEMINEMPROHI
BENTEM. AMEN.

EXP. ACTUS. APOSTOLORU

Ubi Annus quintus Basilii Junioris, ultimi Urbis Consulis, referendus est ad Annum Christi DXLVI. in quem etiam incidit Indictio IX. Exstat & alia hujusmodi Inscriptio Autographa in fine Apocalypsis, sed magna sui parte, ita obliterata ac deformata ut præter hæc quæ sequuntur, aliud quidquam inde eruere haud licuerit.

VICTOR. FAMULUS. CHRISTI. ET. EJUS. GRATIA. EPISCOPUS. CAPUÆ. LEGI. ET. APUD. . . . . IND. NON. . . . . LEGI. IND. X. DIE. PRID. IDUUM. APRIL.

Ex quo nihilominùs colligimus Victorem, non nisi Anno proximè sequenti, nempe DXLVII. hujus Codicis absolvisse Relectionem, quam ad Exemplar alterius Libri, ea qua par erat attentione instituit, multa enim tam in ipsa sua Præfatione, quam in contextu erasa vocabula, multa alia substituta, menda etiam quamplurima sublata, & quæ oscitanter per Scriptorem omissa erant, sedulò adscripta: ne autem frequenti hac adjectione aut immutatione, Codicem temerè interpolatum crederet Posteritas, id suum esse factum testatus est, dum ubique præsertim initio cujusque Epistolæ Canonicæ, hæc Symbola X̄. F̄. id est *Christi Famulus* & sub finem *Legi* propria apposuit manu, specialiùs Beati Jacobi Catholicam his sequentibus verbis notans: *Legi. meum Signum.*

Legi meum +

EXPL. EPISTULA. SCI
IACOBI. AD DISPERSOS

Serrar. Rer. Mogunt. pag. 559. Eandem Epistolam, postmodum manus recentior (non illa S. Bonifacii, ut perperam putant) Charactere Saxonico Cursorio; ad marginem brevibus Commentariis illustravit, quos postquam exscripsimus, non tanti nobis visi sunt, ut hic adjiceremus, uti nec variantes Lectiones, quas per totum diligenti collatione facta deprehendimus, cum vix alicujus essent momenti, nisi fortè excipias id quod superiùs pro specimine exhi-

exhibuimus deſumptum ex Actibus Apoſtolorum, tum & paucos hos in Harmonia (g) Evangelica Locos. (g) *Collat. cum ea quæ in Bibl. Patrum edit. Pariſ. 1644.*

Cap. XL. *Numquid Lapidem porrigit illi, aut ſi piſcem petierit, numquid porrigit illi Scorpionem.*
Lege. *Numquid Lapidem porrigit illi aut ſi piſcem petierit, numqnid ſerpentem porrigit ei, aut, ſi Ovum petierit, numquid porrigit ei Scorpionem.*

Cap. XCII. *O Generatio infidelis & perverſa uſque modo ero apud Vos, afferte illum huc ad me.*
Lege. *O Generatio infidelis & perverſa uſque quo ero apud vos, & patiar vos, afferte illum ad me.*

Denique Cap. CXXIII. *At illi cogitabant intra ſe dicentes, ſi dixerimus ex Hominibus timemus Turbam.*
Lege. *At illi cogitabant intra ſe dicentes, ſi dixerimus è Cœlo dicet nobis quare non credidiſtis illi: ſi autem ex Hominibus timemus Turbam.*

Cœterùm qui Viro Sancto, quaſi exprobrando objiciunt quod hujus Harmoniæ Opus Anonymum viſus eſt attribuere Tatiano Hæretico, quid aliud evincunt? niſi quod exinde Harmonia, quæ Tatiani erat vel credita eſt, poſtmodùm tribueretur Ammonio Alexandrino & econtra, quæ Ammonii verè cenſetur, Tatiano adſcripta fuerit, atque adeò amplam Viris doctis in hoc præbuerit controvertendi materiam, quam dum recentiſſimè Eruditus Nouriſius ſingulari quadam diſſertatione dirimere conatus eſt, hæſit anceps inter utrumque, ac parum abſuit quin illud ſpurium & adulterinum opus diceret: Victori autem, meo Judicio, pro Apologia ſatis fuerat monuiſſe in ſua Præfatione, quod non tam *Tatiani, quam verba Domini ſui cognoſcens, libenter hanc amplecteretur interpretationem.*

Alia Victori Lis intentatur, quod *Evangelicos Canones* eidem Harmoniæ appoſitos, primùm ab Ammonio excogitatos aſſerat, ſecutus haud dubiè in hoc S. Hyeronymum; cùm tamen Euſebius Cæſarienſis in ſua ad Carpianum Epiſtola expreſſe tradat, ſe occaſione Ammonianæ Harmoniæ *excogitaſſe certo Conſilio* Canones illos: ſit ità: Nos, cum Sancti Præſulis Epitaphio, quod ex Ughello (h) adducere ob Notas Chronicas non incongruum putavimus, hìc concludimus. (h) *Ital. Sacra.*

VICTOR. EPISC. SEDIT. ANN. XIII. DIES XXXVIII. DEPOSITUS. SUB. DIE. III. NON. APRIL. ANN. XIII. P. C. BASILII. V. C. INDICTIONE. SECUNDA.

II.

Codex Membranaceus, Folio breviori, Gladiis punctim & cæſim dilaniatus ac peſſimè habitus, quem ſi Sanctus Bonifacius in agone poſitus, velut Clypeum Percuſſoribus ſuis non oppoſuit, ut vulgò receptum eſt, certè illi fuiſſe præ manibus, facilè mecum conjiciet quiſquis Opuſculum Divi Ambroſii de *Bono Mortis* in eo contentum, contulerit cum extrema S. Martyris ad ſuos Adhortatione, (i) atque adeo in ipſa tumultuaria Cæde dilapſum, has hoſtilis Impetus ac primi Furoris Glorioſas retuliſſe Notas, id quod aliis Codicibus non contigit, qui plerumque in Thecis & Capſis deliteſcentes, poſtmodum à Barbaris, Gazas non membranas quæritantibus, per contemptum hinc & inde disjecti, ſalvi tandem & illæſi reperti ſunt. Ejus Laceras ac ruptas Tegulas, ſatis accuratè deſcripſit Browerus, (k) non item contentorum ſeriem, quam Serrario Sodali ſuo edendam commiſerat: „ hic Liber, inquit, gemino tectus „ operimento, pro ſubtegmine corium habet inauratum, quod per varias figuras tra„ lucens, venuſtam efficit ſpeciem, ſed ita mucrone deformatam, ut à ſummo ad di„ midiati digiti Latitudinem atque hinc rurſus ad ſiniſtram propria cicatrice gladii ve„ ſtigia penetrent: denique hæc ſimul vulnera ferè in Scaleni figuram cuneatim de„ ſcendunt; ima quoque Libri parte vibices inflictæ, punctim una, cæſim altera pene„ trans latitudine pollicis; poſtremo ictu Corium, & Lignum operimenti diſſectum:


(i) *Wilib. in vita S. Bonifacii cap. XI.*


(k) *Antiq. Fuldenſ. pag. 131.*

at, omittere hìc non debuisset, quod & inter alios observavit Mabillonius (I) Codicem nimirum, etiam Martyris cruore rubricatum, cujus Vestigia satis evidentia etiamnum apparent, & exsectæ partes plurimæ Religionem testantur.

Scriptura; Langobardica vetus, passim cum Romana permixta: initium est secundi Libri Synonymorum Isidori, ab edito aliquantum diversum, cujus hìc Ectypon exhibemus in hæc verba. *Quæso te Anima mea, obsecro te, deprecor te. ne quid ultra leviter agas ne quid coninsultè geras; ne temerè aliquid facias ne repetiaris malum.*

(I) *Annal. Benedict. tom. II. pag. 171.*





Utramque hanc Scripturam illis Temporibus receptam fuisse, etiam ex Tabula sequenti discimus: initiales Litteræ, reliquas majoris formæ superant, ac in pisces variè contortos efformatæ indicio esse possent Scriptorem *Addolf*, non vixisse Bachanalia, sed potius abstinentiæ fuisse cultorem; eas quotquor occurrerunt, hic pariter ordine alphabetico repræsentare non inutile duximus, præsertim ob formam litterarum A. & Q. Ætatem verò Codicis sanè vetustissimi quod attinet, eam penitiùs ex ipsa inscriptione autographa ad calcem apposita, quam æri incisam vides, eruere & determinare frustrà conati sumus cum nulla nobis ullibi Ragindrudis occurreret; ejus verba parumper attrita sic habent:

In Honore Domini Nostri JESU Christi, Ego Ragyndrudis ordinavi Librum istum, quicumque legirit conjuro per DEUM *vivum, ut pro me orare dignimini.*

INHONORE DNI NO TRI IHU XPI
EGO RAGYNDRUDIS ORDINA
UI LIBRUM ISTUM QUI ... QUE
LEGIRIT CONIURO PER DM
UIUUM UT PRO ME ORARE
DIGNIMINI

Quod

Quod si tamen Conjecturam adhibere licet, dicam quid sentio: frequentem fuisse semper, esseque etiam nunc Contractionem Nominum quis nescit? Quid ni igitur *Ragindrudim* illam, quæ Codicem hunc ordinavit, *Radrudim* dixero? eoque Nomine Ratchisi Langobardorum Regis Filiam, quæ Patris Exemplum secuta, Mundi Opes & delicias generoso pede calcavit, ac una cum Regina Matre, in Cœnobium S. Petronillæ de Plombariola, circa initium Anni DCCL. secedens, ibidem sub Regulari Habitu, DEO, Sanctoque Benedicto reliquos vitæ suæ dies consecravit: agebat certè tunc temporis, in illis Italiæ partibus Annum jam secundum Sturmio, primus Fuldensis Abbas, quem credibile est, tam illustris ac raræ Conversionis si non Promotorem, saltem fuisse Testem, præsertim, quod, sicut Dignitate & propriis meritis, sic Sancti Bonifacii Commendatione ubique spectabilis, inter Viros haberetur Primarios, & quod sacrum illud Virginum Asceterium non longè distaret à Cassinensi Monasterio, ubi pios Cœnobitarum in eo commorantium Ritus & Mores studiosius indagabat, quo suam aliquando Novellam in Buchonia Plantationem, ad eorum Normam formaret: potuit itaque Codicem hunc accepisse in donum à Radrude, ut sui memor esset in Orationibus, eumque Redux postmodum obtulisse, Sancto Bonifacio, quem sciebat similibus potissimùm delectari. *Chron. Cas. fin. Lib. I. cap. 8.*

Quid? Si is postmodùm (nam manus à reliquis diversa est, Sæculo tamen octavo æqualis) hæc sequentia adscripsisset Nomina, quæ in penultima membrana reperiuntur in formam Diptychi, hoc modo disposita.

Heinrich *Comes.*	Hilitigart *Conjux ejus*
	Hilitigart *Filia eorum.*

Liutheri
Heinrich
Liutheri
Udo
Sigifrid
Suvanihilt
Gerburg
Juditha
Gerburc
Haduvich
Cunigund.

Quidquid demùm sit, in Tuscia potiùs quam alibi hunc confectum fuisse Codicem, arguere videntur tum Scripturæ forma, tum argumentorum in eo contentorum series, quam ordine & Orthographia nihil immutatis, hic exhibemus.

I. *Incipit Epistula Papae Leonis directam ad Flavianum Episcopum.*

Hanc dum miratur R. P. Janningus (m) à Serrario olim in ejusdem Codicis recensione prætermissam; miror Ego, Virum doctum eandem nunc suppplevisse per eam, *quam* inquit, *primo ibi loco invenerunt ac notaverunt Collegæ mei*, EPISTOLAM nimirum PAULLINI *ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum*: cum sit evidentissime Leonis Papæ, ut & sequens altera, hoc designata Titulo

(m) *Act. Sanct. Jun. tom. I. vita S. Bonif.*

II. *Dilectissimo Fratri Theodoro Episcopo Forojuliensi, Leo Episcopus.*

III. *Incipit Disputatio Beati Cerealis Episcopi contra Maximinum Arriomanitam.*

IV. *Incipit Epistula Agnelli ad Arminium de Ratione Fidei.*

V. *Incipit Libellum Fausti Confessoris.*

VI. *Incipit Fides edita S. Ambrosii Episcopi de Spiritu Sancto.*

(n) *Rer. Mogunt. pag. 560.*

Hæc perperam apud Serrarium (n) nuncupatur *Sermo de Spiritu Sancto* cum ſit ſimplex Recenſio Capitum Libri I. II. & III. Tractatus de Spiritu ad Gratianum Auguſtum.

VII. *Incipit Teſtimonia de Patri & Filio & Spiritu Sancto de uno DEO in Deutheronomio.*

VIII. *Incipit Regula Fidei Catholicae facta à Nicena.*

IX. *Incipit Regula Fidei Catholicae ſecundum* CCCXVIII. *Patres.*

X. *Incipit Regula Fidei Catholicae contra omnes Hereſes.*

XI. *Incipit Explanatio Fidei Catholicae.*

XII. *Incipit Sancti Ambroſii de Bono Mortis.*

XIII. *Noticia Regionum & Civitatum, quibus Sanctorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum Venerabilia Corpora requieſcunt.*

Differt hæc notitia aliquantum, ab illa quam in Recenſione Superiotis Codicis exhibuimus; dicitur enim *Bartholomeus* requieſcere Lycaonia Provincia Armeniæ, *Mattheus* in Terris Amanitorum & *Lucas* Evangeliſta Boethia in Provincia Meſopotamiæ.

XIV. *Synonymorum Iſidori Epiſcopi. Libri II.*

Exotica hæc Titulorum quorundam Orthographia Ingenio ejus Temporis Hominum accommodata, non eadem eſt in contextu, ubi plerumque in ſola permutatione Litterarum conſiſtit; contulimus enim ex his opuſculis, illud Sancti Ambroſii *de Bono Mortis* cum editione Pariſienſi 1586. (Recentior non aderat) obſervavimusque has præcipuè variantes Lectiones.

Cap. II. *Allevamentum eſt Bonum.*
Lege. *Allevamentum autem bonum mors, mors autem finis.*
Ibid. *Unde in exitu videamus.*
Lege. *Denique in exitu ipſo videmus*

Cap. III. *Et pro Salute Populi.* Lege *vel cum ſe pro ſalute Populi.*
Ibid. *Et ideò contemplemur non illa quæ videntur ſi nolumus falli.*
Lege. *Et ideò contemplemur illa, non quæ videntur, ſed quæ non videntur, ſi nolumus falli.*
Ibid. *Levior fabulis.* Lege *levior tabulis.*

Cap. IV. *Eſt etiam vita poſt mortem.* Lege *eſt utique &c.*
Ibid. *Mors igitur ea non eſt bona, aut ſi hic vita bona quomodo mors eſt bona cum ibi nullus.* Lege. *Vita igitur ea non eſt bona, aut ſi hic bona vita, quomodo illic mors non eſt bona cum nullus &c.*
Ibid. *Sed ipſa hæc vita, vita bona ſi eſt.* Lege. *Sed ipſa hic vita ſi bona eſt.*


Cap. V. *Animam Peniam nuncupat.* Lege. *Animam venerum nuncupat.*
Ibid. *Cibos epuletur DEUS, quibusve delectetur.* Lege. *Cibos epuletur de quibus verè delectetur.*
Ibid. *Sermones autem cibos.* Lege. *Sermonum autem cibos.*

III.

CODEX EVANGELIORUM. Simplici Corio rubro obductus, Formæ Octavæ minoris, ac propè quadratæ, integer & illæſus, conſtat foliis ex rudi membrana LXIII. Initium cujusque Evangelii, Quadro coloribus variegato incluſum eſt, quemadmodum & qui ex oppoſito depictus cernitur Evangeliſta, capillo flavo, veſte Cærulea, Pallio purpureo flavis itidem ductibus interſtincto, ſtilum & Tabulas Ceratas, pro more Scriptorum Veterum in manibus geſtans; utramque Pagellam æri inciſam hic exhibere, viſum eſt.

Hæc





Hæc Evangelistæ Effigies, in tribus aliis prorsus eadem est, solo cujusque Nomine ad distinctionem addito. Scriptura passim Saxonica Cursoria, cujus Apices miratus est aliquano Browerus (o) *sic invicem implexos, ut laqueos mentiantur & plagas Reticulorum.* Hinc fortè minùs accuratè & fideliter ab ipso exscripti Versus, quorùm nec Numerum, nec sensum assecutus est, dum ita legit:

(o) *Antiq. Fuldens.* *pag.* 135. & *seqq.*

> *Mattheus instituit Virtutum Tramite mores.*
> *Et bene vivendi justo dedit ordine Leges*
> *Marcus. Amat Terras inter Cœlumque volantem*
> *Joannes Aquilam. Sancto regit omnia Lapsu*
> *Lucas, uberius describit Prælia* CHRISTI.

Quos sic legisse oportebat:

> *Mathius instituit Virtutum Tramite mores,*
> *Et bene vivendi justo dedit Ordine Leges.*
> *Marcus, amat Terras inter Cœlumque volare.*
> *Et vehemens Aquila, stricto secat omnia Lapsu.*
> *Jure sacer Vitulus, qui habitat mœnia Patris;*
> *Lucas uberius describit Prœlia* CHRISTI.

Cæterum, qui Codicem hunc, ipsius Gloriosi Martyris Bonifacii manibus exaratum esse, hactenus pro indubitato habuerunt, si manifesta Indicia & Rationes quas in contrarium adducam, animo à præjudiciis alieno expenderint, aliter de illo sentiendum esse convenient: scio Traditioni ab antiquo receptæ non defuisse suam authoritatem: ea enim est, quam aureis Litteris ad calcem hujus Codicis scriptam, ut *insigne & nobile documentum*, Browerus, Serrarius, aliique plurimi venerati sunt, ac in Libros suos retulerunt his conceptam verbis:

Hoc Evangelium Sanctus Bonifatius Martyr Domini Gloriosus, ut nobis Seniorum Relatione compertum est, propriis conscripsit manibus, quod

etiam Venerabilis Abba Huoggi obnixis precibus à Rege piissimo Arnolfo impetravit & Sanctae Fuldensi Aecclesiae honorabiliter restituit, cui Salvator JESU Christe praemia sempiterna pro Devotione sua in celestibus clementer redde, eumque nobis feliciter dominari Tempora longa concede.

(p) *Acta Sanct. Jun. tom. I.*

Eandem & nos ex Autographo, in Gratiam Antiquariorum hic Æri incisam reproducimus, rejectis quas manus recentior insulsè ac temerè ad calcem adscripsit Noris Chronologicis, Annum scilicet DCCCLXXIV. quem DCCCXC. fuisse mavult R. P. Janningus, (p) rectius si conjecturam suam in Annum sequentem locasset, quo nimirum, nec ante, Huoggi Sigeharto Fuldensis Ecclesiæ Regimen ultrò abdicanti, datus est Successor; quod autem ibidem in Notis marginalibus Rudolphus Imp. Legatur pro Arnolfo, hoc velut mendum Typographicum facilè excusamus.

hoc euangelium scs bonifaci
us martyr dni gloriosus fuit no
bis seniorum relatione comper
ni e ppriis conscripsit manib;
Qdenam uenerabilis abba
huoggi obnixis pcibus a re
ge piissimo Arnolfo impe
trauit & scae fuldensi aeclie
honorabiliter restituit
Cui saluator ihu xpe pmia
sempiterna p deuotione
sua in celestib; clementer
redde. eumq; nobis felicit
dominari tempora longe
concede.

Browerus Ant. Fuld. pag. 135. It. pag. 281.
Serrarius Rer. Mog. pag. 559. & seqq.
Act. Sanct. Jun. tom. I. pag. 493.

Verùm (quod Res est) Sæculo vivimus, ubi Antiquitas quantumvis Veneranda, ni certo & inconcusso Veritatis Fundamento nitatur, facilè exploditur, nec aureæ Litteræ fucum faciunt, nec credulum vulgus Fidem ultra ingerit: potuit aliàs imposuisse vetus hoc Testimonium, quo & inter cæteros imbuti Viri Eruditione celebres, suam desuper opinionem his verbis testatam reliquerunt. *Codex Evangeliorum in Octava breviuscula, hoc sanctior, quod Litterarum sulci, manu Divi Bonifacii impressi sunt.* Et alibi *Sanctum Bonifatium hunc scripsisse Librum, statim conjeci postquam Scripturæ genus cum ea comparavi, quæ in Harmonia invenitur ad Epistolam S. Jacobi, quam Glossis & annotationibus Martyr suis illustrasse videtur*; idem etiam novissimè credidit supracitatus Hagiographus Antverpiensis, ex Fide & Relatione suorum Collegarum denuò perperam edoctus, *qui*, inquit, *postquam majorem Librum cum Evangelio prædicto contulerunt, studioseque consideraruut, asserere audent, ab eadem utrumque manu esse, adeoque ipsiusmet Sancti Bonifacii*, temerè profectò! cum illis de neutro constaret.

At longè alia in his uti Trutina nos docuit incomparabilis Mabillonius, quo etiam Magistro in primæ ac longissimæ Vetustatis monumenta audacter inquirimus, nec tamen leviter aut inconsultè: sed observata ubique certa quadam Regulari Methodo, qua vera à falsis secernere nitimur, & nunquam non feliciter evincimus; ut enim de Chartis & Diplomatibus sileam, quot Codices, hucusque pro Autographis, integris,

genui-

genuinis, ac minimè suspectis habiti sunt, quos diligenti Examine prævio, peritus cognitor, aut Apographos, aut Spurios, aut interpolatos, multisque etiam Locis mutilos ac vitiatos esse deprehendit; similiter quot alios, falsò nomine insignitos demonstrans, suis Authoribus licet jam à sæculis aliquot ablatos, eisdem postliminiò restituit, cum nulla detur adversus Veritatem præscriptio: & hoc ipsum est, quod in causa non absimili, præstitit haud ita pridem Eruditissimus Ruinartius (q) quando Vetterimum illum Evangeliorum Codicem, hactenùs apud Turonenses Religiosè asservatum, evidenter ostendit, non esse S. Hilarii Autographum, ut perperam putant: idem & de nostro statuendum est, quem olim Huoggi Fuldensis Abbas, *Seniorum Relatione* non tam persuasus, quàm piè deceptus, præsertim quod in recenti adhuc esset memoria, Sanctum Martyrem in Agone positum, tali Libro velut Clypeo usum, cœlitùs sibi oblatum munus credidit, idque omni qua potuit Reverentia & Affectu ab Arnolfo Imperatore suscepit, plus in hoc, auribus quam oculis tribuens, quos si conjecisset in ultimam Codicis paginam ubi desinit Evangelium S. Joannis in hæc verba: *& alia multa quæ fecit JESUS, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum mundum arbitror capere eos, qui scribendi sunt Libros*; intendissetque in illa immediatè sequentia: *Finit Amen DEO Gratias ago, Vidrug scribsit.* Quemadmodum hic in adjecta Tabela vides; haud dubiè Scriptori nomen aliud, longè diversum ab illo Sancti Bonifacii, fuisse cognovisset.

(q) *in Not. ad Gregor. Turonens. pag. 1317.*

Huic, alterum non minus convincens Argumentum gratis superaddimus, desumptum ex Epistolis ipsius Sancti Martyris, (r) qui dolens aliquando se *caligantibus oculis minutas ac connexas litteras discere non posse*, optat sibi à Daniele Wentano Episcopo transmitti in senectutis suæ solatium, Libros *claris, discretis & absolutis Litteris scriptos* quales per Buccam (f) & Eadburgam (t) Abbatissas ex Angliæ partibus solebat recipere, utpote pro more illius sexus, caractere non minuto exaratos; tales autem *in hac Terra*, Germania nempe, ubi tunc prope Sexagenarius Apostolico primùm vacabat muneri, *acquirere non poterat*, quandoquidem Scriptura suo tempore maximè usualis, esset illa Saxonica Cursoria, quam si legere non potuit, certè multò minùs scribere.

(r) *Epist. III. S. Bonif. apud Serr.* (f t) *Epist. IX. XV. XVIII. XXII. XXXV.*

Restat, ut de *Vidrug*, hujus Codicis genuino, ut suprà ostendimus, Scriptore aliquid dicamus; is, ni fallor, idem est cum eo qui passim inter Eobani Episcopi Cooperatores Presbiteros, ac demùm S. Bonifacii in ipsa sua Triumphali morte Socios recensetur: nec obstat, quod eundem Willibaldus, immutato aliquantùm Nomine, *Wintrung*. Othlonus verò, *Wintrug*. Continuator Martyrologii Bedæ, *Wintruge* nuncupent, multam enim esse in scribendis Nominibus propriis Varietatem, plus nimiùm observant Viri Eruditi; illud inprimis attendendum est, quo modo quisque suum exprimere solet; convenit insuper huic nostræ assertioni Ætas Codicis, quem jam aliundè Sacrum ac Venerabilem, etiam Martyris titulo (ut piè credimus) decoratum, maximo semper in Honore & prætio haberi condecet.

Willibald. in vita S. Bonifacii Cap. XI. Othlonus Cap. XXV.

Hi nimirùm sunt, Lector Erudite, Codices illi, quibus Inclyta Fulda, suam, quam dudum fecit de Bibliotheca toto Orbe celeberrima, jacturam, aliquantulum solatur: Vetustiores enim in Germania frustra quæsiveris, nisi fortasse inter eos, quos non ita pridem è tenebris in Lucem protulit Reverendissimus Perillustris & perquàm Gratiosus Dominus D. Christophorus Franciscus L. B. ab Hutten Cathedralis Ecclesiæ Herbipolensis Decanus &c. nam ut est in Litteras ac Litteratos omnes summè propensus, maximeque Beneficus, Bibliothecam ejusdem Ecclesiæ olim tam Illustrem, vix Nomine tum amplius cognitam indagare ubique non destitit, donec aliquando felici suo ductus Genio, illam sub ipso Templi Augustissimi Tecto, in unum conglomeratam ac pulveribus penè consepultam reperit; assurrexêre illicò ad tanti Liberatoris ac Patroni aspectum, velut Sympathica quadam Virtute attracti Codices Vetustissimi, seseque ultrò Curæ suæ ac Sollicitudini permisêre, unde non amplius squal-

lidi & neglecti, sed condigno honore habiti in plurima mirè Elegantis sumptuosique Operis armaria transierunt, ubi longo Ordine dispositi plenam spirant ac redolent Antiquitatem, quibus utinam aliquando frui liceat ad satietatem: ut autem discas, me non penitus jejunium ab iis recessisse, en Tabulam, qua te mecum participem volo.

I

SIQUISMAIORANNISMINORIPERMANDATUMNEGO
TIASUAASENDACONMISERITEXPERSONAMINORIS

EXPL THEUDOSIANI

II

OMNIAHAECTEMTAUIINSAPIENTIADIXI
SAPIENSEFFICIAR ETIPSALONGIUS
QUISANNUNTIABITEILICETDIUERSAE

III

a b c d d e f g g h i l m m
n n o o o o p p r s s t u x

IV

a a b c d d e e f g h i l m m n n o p q r s t t u x
sicut non dubito me minisse nonnum quam

I. Vides in ea primo Loco CODICIS THEODOSIANI Specimen, qui Formæ majoris ac quadratæ, Tegulis cooperitur ex nudo crassoque assere ruditer confectis. Egregium profectò si aliud unquam Juris Monimentum! quod merito æquiparetur Famosis illis *Justiniani Pandectis*, quæ in Palatio Magni Ethruriæ Ducis summa Cura asservata, olim non nisi Viris Primariis, & ad Funalia ostendebantur.

II. Quod secundum Locum occupat Veteris Scripturæ Ectypon, non minùs præclarum est: illud desumpsimus ex ECCLESIASTE, cujus Codicis forma minor in altum protensa, Caracteres Quadrati nitidissimi, Vocabula sine abbreviatione ubique, & sine commatis colligata, probare videntur eum ejusdem esse Ætatis cum præcedenti.

III. Tertio Loco exhibemus Alphabetum majus, quo vetertimi Codicis, EPISTOLAS D. PAULI cum Præfationibus complectentis, prima vocabula passim descripta sunt, reliqua verò in contextu Caractere Langobardico Veteri Cursorio; singulare est quod primo intuitu Nobis in eo occurrit, initium nempe Epistolæ I. ad Timotheum, ubi Apostolus tali se inscribit Titulo ΠΑVLVΣ. XPΣ. IHV. XPI.

IV. Huic demùm minoris Caracteris Alphabetum, ex Libris *Dialogorum & Homiliarum Divi Gregorii* excerptum, cum vocabulis aliquot notabilioribus adjecimus.

Nec omittendum est, quod ad calcem veteris alterius cujusdam Codicis ibidem deprehendimus Epitaphium penè oblitteratum; hoc enim Bibliothecæ hujus insignis Bene-

Benefactor. propria manu, ut credibile est, sibimet posuit, Stephanus ille, Vir doctus & celebris, quem circa medium Sæculi X. Poppo Herbipolensis Episcopus, ad erudiendam Ecclesiæ suæ Juventutem ex Italia conduxerat,

Novariae Genitus . . . . . . omnibus alta
Utraque, ut patuit, Doctor in Urbe fui
Ast POPPO *Antistes, hanc me perduxit in Urbem*
Qua Sophiae studiis dogmata crebra dedi;
Quos habui paucos decrevi tradere Libros
Martir Sancte DEI, en KILIANE *Tibi:*
Cætera quæ . . . . . remanet sat parva supellex
Cedat Fraternis usibus opto nimis.
Quisquis ades nostri, Rogito, Successor Ovilis,
Adde diem mortis, quem DEUS ipse sapis.

Officium hoc, ipsi aliquando præstitit pia & amica Successoris aut alicujus ex discipulis suis manus, quæ Annum (ut opinor) ac diem emortalem adscripsit in hunc modum:

Actum Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXX. XVII. Kal. Augusti.

His fruêre, Lector Erudite, ubi aliàs plura observare licebit, plura dabimus. Vale.



INDEX
Rerum ac Nominum Memorabilium.

A.

B.

Nnn Brusinc

Ekker-

I.

Judi-

P.

R.


S.

T.

V.

W.

FINIS.



JOANNIS FRIDERICI SCHANNAT

VINDEMIÆ LITERARIÆ,

HOC EST

VETERUM MONUMENTORUM AD GERMANIAM SACRAM PRÆCIPUE SPECTANTIUM COLLECTIO SECUNDA

QUA CONTINENTUR

CUM FIGURIS ÆNEIS.



FULDÆ & LIPSIÆ,
Apud MAUR. GEORG. WEIDMANNUM,
SACR. REG. POL. MAJEST. ET ELECT. SAXONIÆ
BIBLIOPOLAM, ANNO MDCC XXIV.





A. C. Lunenschlos delineavit — Wortmann sculpsit Casselis 1723

PRÆFATIO.



D Nundinas Autumnales transmittimus, pro more, VINDEMIAS nostras, quas, sicut non Veremur respui ut plane Insipidas, sic etiam non jactamus ut Exquisitas, illis proinde semper Opus erit Hedera, quam & hic præfigimus.

I. Traditiones Veteres Cœnobii S. Petri Erfordiæ.
II. Excerpta ex Necrologio ejusdem Cœnobii.

Duo hæc Antiquitatis Monumenta, quæ se Invicem Illustrant, debeo cum aliis multis, Eximiæ in me Benevolentiæ Reverendissimi & Amplissimi D. PLACIDI Abbatis, qui tam in Spiritualibus, quam in Temporalibus hujus sui Celeb. Monasterii, hodie verus & providus est Pater. Quam proficuæ autem sint hæ Donationum Tabulæ, iis præsertim qui Genealogias Illustres indagant & contexunt, docebunt nos propediem ea quæ de Comitibus de Gleichen & de Kirchberg, Vir Eruditus quidam jam dudum meditatur. Nobis inter cætera Notanda occurrunt, Dies Ordinationis Henrici I. Archi-Episcopi Moguntini, ab ipsomet expressus in Charta sub Num. III. & qui inter Sacras Reliquias recensentur sub Num. VII. *Capilli S. Adelhaidis Reginæ*, Ottonis M. Conjugis, cujus jam olim vitam & Miracula Odilo Abbas Cluniaci conscripsit. Memorabiles sunt insuper in Necrologio, Obitus Marcholfi Archi-Ep. Moguntini, hactenus incertus, nunc ad Diem *V. Idus Junii* determinatus (qua in re apprimè convenit cum alio Necrologio nostro S. Michaëlis Bamberg.) tum vero maximè Depositio Dagoberti Regis, ad Diem *XIIII. Kal. Febr.* rectè

** ap-

appoſita, quæ hic ſatis Innuere videtur, Eum Loci fuiſſe Fundatorem: Certe Conſtantem hanc obtinuiſſe apud omnes Famam, etiam longe ante Tempora Trithemii, qui primus illam argumentis parum Validis deſtruere conatus eſt, Teſtantur Gerardi II. Archi-Ep. Moguntini Litteræ ſequentes, quas ex Autographo exſcripſimus.

„G. Dei Gratia Sanctæ Moguntinæ Sedis Archi-Epiſcopus, „Dilectis in Chriſto Abbati & Conventui Montis S. Petri in Er-„phordia Ord. S. Benedicti Salutem in Domino. Si Populus „Iſraeliticus, qui ſub umbra Legis vivebat, frequenter adoraturus „ad Locum, quem elegit ſibi Dominus ut ibi poneret Nomen „ſuum, Vota & Donaria plurima offerebat, tanto forcius debet „Populus Chriſtianus, cui apparuit Benignitas & Humanitas „Salvatoris, Eccleſias, in quibus Chriſtus inviſibiliter & impaſ-„ſibiliter immolatur debitis Honoribus frequentare, quanto Cer-„tiora ſunt Experimenta Rerum, quam Enigmata Futurorum: „Cupientes igitur ut Eccleſia veſtra prædicta congruis Honoribus „frequentetur, de omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum „Petri & Pauli auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & „confeſſis, qui in anniverſario Dedicationis jam Dictæ Eccleſiæ „Veſtræ, in Feſtis Apoſtolorum Petri & Pauli, cauſa Devocionis „eandem acceſſerint, vel, *qui ibi Domini* TAGEBERTI *Regis Franco-„rum*, FUNDATORIS *ejusdem Loci*, *piam Commemorationem fecerint*; „XL. Dies de injuncta ſibi Pœnitentia miſericorditer Relaxa-„mus &c. Datum. Erphordiæ Anno Domini MCCLXXXX. „IIII. Non. Januarii.

III. Anonymi Chronicon Wirtembergenſe.

Rerum Wirtembergenſium Scriptores, pauci admodum exſtant; nam præter Inſignem illum Chriſtophorum Beſoldum, quem eò quod circa Sacra potiſſimum verſatur; Neſcio quis ſecretus Invidiæ Furor, hactenus ſupprimere moliebatur, vix alius quisquam, potentiſſimi hujus Ducatus Notitias aliquas ſaltem ex profeſſo, evulgavit: Unde Anonymus noſter (cujus certe Chronicon, parvo illo, quod Narciſſus Schwelin Anno MDCLX. Stutgardiæ vernacule edidit, Longe eſt præſtantius) novam, eamque, ut confidimus, non mediocrem apud Eruditos gratiam & authoritatem promerebitur: vixit is circa Medium Sæculi XVI. videturque fuiſſe Profeſſione Monachus, dum Udalricum Ducem Wirtembergenſem Anno MDIV. adverſus Philippum & Rupertum Comites Palatinos Bella moventem, hoc Singulari

Elo-

Elogio dignum censet, *Laudamus eum* (inquit) *Quoniam in ea parte Christianum servarit Pugnandi modum, quo & Monasteriis & Ecclesiis Deo consecratis pepercit, quippe qui neque Incendio consecrata Domino Templa subuertit, neque servorum Dei Cœnobia spoliavit, sed animo strenuus, potentia Virtuosus, ac pius in Deum, quoad fieri potuit, Ecclesiæ Monasteriis pepercit.* Ut ut sit, Opusculum ille suum Wilhelmo Wernhero Comiti de Zimbra, Ferdinandi I. Austriæ Archi-Ducis supremo Aulæ Præfecto, suæque stirpis ultimo inscripsit, sub brevi illa Epigraphe quam Præfert M. S. Codex, quem Reverendissimus, Perillustris & Gratiosissimus Dominus D. Christophorus Franciscus L. B. ab HUTTEN, Ecclesiæ Cathedralis Herbipolensis Decanus &c. Mecum perbenignè communicavit, quemadmodum & sequentem illam Anonymi Elucubrationem Frater ejus, Plurimum Reverendus, Perillustris & Gratiosus Dominus, D. Petrus Philippus, ejusdem Cathedralis Herbipolensis, & Equestris Combergensis Ecclesiarum respectivè Canonicus Capitularis; Ambo ad HUTTENI Nominis, Gloriam immortalem Nati.

IV. *Anonymus de Origine & Abbatibus Cœnobii Combergensis.*

Sæpius Evenire solet, ut Duo cum faciunt Idem non sit idem; sic R. & Cl. Vir Raimundus Duellius dum Libro II Suorum Miscellaneorum, ejusdem hujus Monasterii *Historiam* recenter inseruit, non solum Materiam non exhausit, sed ad tam Speciosum Titulum probè explendum, & ea quæ dedit, quæ damus, & quæ etiam proximè ex Archivo illius, nunc Equestris, Ecclesiæ daturi sumus, vix ac ne vix sufficere arbitramur: Cœterum animadvertimus in Fragmento illo Diplomatis Ruthardi Archi-Ep. Moguntini huic olim Monasterio concessi, apud Cl. Pet. à Ludvvig tom. II. Reliq. Manuscriptorum pag. 178. pro *Cobenberg* male legi *Rabenberg*, id quod in prolixam ibidem Erratorum seriem, unà cum reliquis, referre oportebat.

V. *Necrologium Monasterii S. Michaëlis Bambergæ.*

Antiquitatibus Celeberrimi hujus Cœnobii, quas in priori nostra Collectione exhibuimus, accensendum est præstans hoc Necrologium, quod diversa manu continuatum, Sæculum XII. non excedit, cernitur in eo ad Diem *II. Kal. Junii* quo S. Otto obiit, appicta hujus Præsulis Infulata Effigies, Facie venusta & Rubicunda, Capillitio Nigro, Barba itidem, modicè crispata & bifurca.

Munus hoc acceptum ferimus piis nunc Manibus Reverendissimi Perillustris, & Amplissimi Domini Christophori Ernesti à GUTENBERG, hujus Sacri Loci Abbatis Meritissimi, ac quondam Inclytæ Fuldensis Ecclesiæ Capitularis & Præpositi in Zell, qui Die XI. Aprilis elapsi, prope Septuagenarius obiit.

VI. *Burchardi de Hallis Chronicon Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Winpinensis.*

VII. *Dietheri de Helmestat Continuatio ejusdem Chronici.*

VIII. *Necrologium ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ.*

Ad Equestris hujus Ecclesiæ Notitiam plurimum conferunt hæc simul omnia, quæ liberaliter assentiente Insignis Loci Decano, plurimum Reverendo, Perillustri & Gratioso Domino D. Christophoro Jodoco de KETTELER, Cathedralis Ecclesiæ Wormatiensis itidem Canonico Capitulari, Nuper, quasi in Transcursu, ex veteri Cod. M.S. membraneo eruimus, ubi & sequentes Versus Leguntur, qui Totius Narrationis sunt compendium.

CRUDOLF Fundator Templi, RICHART Renovator
Hujus & Auctator, Rerum BURKARTque Gregator.
Unus Trine Sator, Tribus his sis Patrocinator.

Illud Singulare prorsus est, nec à quoquam, quod sciam, scriptore hactenus proditum, quod Dietherus noster de Helmestat, qui sui Temporis Eventus præcipuos, Chronico suo fideliter interseruit, Narrat de Alberto Austriaco, Nimirum: quod Principem hunc Gerardus II. Archi-Episcopus Moguntinus & sui Fautores, in Alzeia Oppido, non super Scutum, ut, Teste Philip. Cluverio, mos erat antiquis Germanis, sed *super Dolium Levantes, in Regem sublimarunt;* rejecto Adolfo Nassavio, qui etiam mox infelici Prælio victus, occubuit, Anno MCCXCVIII.

IX. *Anonymi Vita B. Lamberti Monasterii Novi-Operis juxta Halas Saxonicas primi Præpositi.*

Vitam hanc conscripsit Canonicus Reg. ejusdem Monasterii Novi-Operis, Divo suo Lamberto fere coævus, ut satis apparet ex contextu, ubi de Fundatione & Incremento Loci fusè differitur, cujus & Epicidion hic addere visum est, quod apud Leibniz.

Tom. II.

Tom. II, Brunnsuicens. Legitur in hæc Verba ; *Anno Domini MDXXXIII. Fratribus Novi-Operis partim per Pestem mortuis, & multis factis Lutheranis, septem forsan relictis cum Simone* (is erat tunc temporis præpositus) *Albertus Archiepiscopus*) Magdeburgensis ac simul Moguntinus) *providit Simoni in Gevekenstorp & Etershaw, ad vitam; Totum Monasterium cum Regali Ecclesia destruxit, ducens Lapides ad Novum Castrum S. Mauritii.* Observatione insuper ut plurimum digna sunt, ea quæ Anonymus noster adfert non uno in Loco, de veteri Walhusanorum Comitum Prosapia, ex qua Lampertus suam duxit Originem, quandoquidem Frater fuerat celebris illius Bernardi Hildesheimensis Episcopi, Anno MCLIII, defuncti, quem Nonnulli perperam ex Comitibus de Rotenburg ad Tubarim fuisse contendnnt; horum enim Stemma jam tum penitus desierat. Nec etiam leviter prætereunda est sors Henrici Comitis te Bodenburch, quandoquidem is super atroci Facto, de quo nedum hodie satis constat, accusatus, dum Innocentiam suam tueri conatur, infelici duello victus, certe juxta cruentas illorum Temporum Leges, pro convicto haberi debuisset, ac consequenter etiam pœnas dare; Vnde suspicor eum, non sua Sponte in hoc Novi-Operis Cœnobium secessisse, sed potius a Cæsare, vita donatum, in illud retrusum fuisse.

X. *Translatio Reliquiarum S. Alexandri Martyris ad idem Novi-Operis Monasterium.*

Exstabat ad Calcem M. S. Codicis Bibl. Moguntiuæ ex quo etiam præcedens Opusculum desumpsimus, hæc SS. Reliquiarum Translatio, quam, ob non spernendas quasdam Notitias, Prælo submittere non supernacaneum duximus.

VI. *Joannis Tylich, Monasterii S. Mauritii Ord. Can. Reg. extra muros Nuenburgenses Præpositi. Chronicon Misnense.*

In tam numeroso Clarorum Virorum Agmine, qui scriptis suis Misniam illustrarunt, merito Locum nunc occupat Joannes Tylich, hactenus ignotus, cujus Chronicon ex ipso Autographo, Lituris frequentibus undique resperso, descripsimus; Vixit Author sub Finem Sæculi XIV. ac initium sequentis, ut ipsemet testatur pag. 87. occasione quarundam Litterarum Caroli IV. Imp. *quarum Tenores*, inquit, *in Consilio Friderici Marchonis moderni, Ego Johannes Tylich Decretorum Doctor minimus, præpositus Canonicorum Regularium S. Mauritii extra Muros Nuernbergenses, & in studio Lipsiensi Lector Ordinarius, audivi Anno MCCCCXIII.*

*** hinc

hinc Reinero Reineccio, ac Petro Albino, antiquior quibus etiam in multis prævalet.

XII. *Anonymi series Chronologica Episcoporum Virdunensium.*

Hæc anonymi non indiligentis Lucubratio, Eruditorum Usibus sat apte inservire poterit, donec perfectius aliquid in hoc genere præstiterint, qui *Galliam Christianam* tanto cum Applausu ac successu moliri hucusque non desinunt: Rectius licet, illa virdunensium Episcoporum Series, (si vetera Jura inspiciamus) in *Germania sacra* collocanda foret; sed quis ad Opus hoc, quod certe priori, nec Dignitate, nec Rerum Copia cederet, Christianissimi Regis, aut Cleri Gallicani Exemplo, sumptus non profusos, ut illi, sed tantummodo necessarios subministrabit unquam?

XIII. *Diplomata & Epistolæ Variæ.*

Non pauca in his, continentur Notatione digna, ut infra ostendemus, postquam hic Titulorum Indicem Chronologicum exhibuerimus.

I. *Ottonis III. Imp. Præceptum, quo Ecclesiæ Herbipolens curtem saltz cum appenditiis donat* Ann. 1000.

II. *Præceptum Henrici II. Imp. quo commutationem quorundam Bonorum inter Henricum Herbipolensem, & Eberhardum Bambergensem Episcopos initam confirmat* Anno 1017.

III. *Conradi II. Imp. Præceptum, quo simul cum Henrico Filio Rege, Universas possessiones & Bona Ecclesiæ Bambergensi confirmat.* Anno 1034.

IV. *Præceptum Henrici IV Regis; quo ejusdem Bambergensis Ecclesiæ Bona, Jura & Immunitates pariter corroborat.* Anno 1058.

V. *Charta Ruthardi Archiepiscopi Moguntini, qua Universas possessiones & Bona Monasterii S. Petri Erfordiæ in singularem suam Protectionem recipit.* Anno 1104.

VI. *Charta Embriconis Episcopi Herbipolensis, qua Clerum & populum suum invitat ad Restaurationem Ecclesiæ Cathedralis, quod Opus Euzelino Celebri Architecto committitur.* Anno 1133.

VII. *Friderici I. Regis præceptum solemne confirmatorium Arnoldo II. Archiepiscopo Coloniensi concessum, pro recuperandis Prædiis*

ad

ad Menſam Archiepiſcopalem ſpectantibus, perperam in Feudum conceſſis Anno 1153.

VIII. *Ejusdem Regis Diploma alterum, quo Walthero Præpoſito Colonienſi ſuisque ſucceſſoribus Advocatiam villæ Worunch confirmat.* Anno 1153.

IX. *Ejusdem Imperatoris Diploma Tertium, quo anteriorum Regum ac Imperatorum Privilegia Eccleſiæ Herbipolenſi conceſſa confirmat, aliaque ſuperaddit.* Anno 1168.

X. *Ejusdem Imperatoris Diploma Quartum, quo Capitulum Majoris Eccleſiæ Herbipolenſis hortatur ut Reinhardo Electo ſuo, media pro ſuſcipienda Expeditione Italica Amminiſtret.* Anno 1173.

XI. *Lucii III. Pont. max. Epiſtola Encyclica ad Univerſos Germaniæ Præſules, qua Chriſtianum I. Archiep. Mogunt. piè defunctum, precibus eorum commendat.* Anno 1183.

XII. *Charta Conradi I. Archiep. Moguntini, qua Diethmaro Abbati Monaſterii S. Petri Erfordiæ, ſuisque ſucceſſoribus, ex authoritate S. Sedis, uſum Infulæ concedit.* Anno 1193.

XIII. *Notitia pro Transactione ſuper decimatione quadam inter monaſterium S. Petri Erford. & Eccleſiam collegiatam S. Petri in Durlon, inita.* Anno 1227.

XIV. *Notitia Conradi Præpoſiti S. Mariæ Erphord. pro amicabili compoſitione inita inter Abbatem S. Petri ibidem, & Incolas ſlavos villæ Ermſtette* Anno 1227.

XV. *Notitia pro Donatione Ottonis Comitis de Bottenloben facta in favorem Eccleſiæ Herbipolenſis.* circa Ann. 1230.

XVI. *Litteræ mutuæ Societatis ſuffragiorum, inter monaſterium S. Petri Erford, & collegium Urſulanum Coloniæ, cum transmiſſione SS. Reliquiarum* circa Ann. 1240.

XVII. *Charta Henrici Epiſcopi Bambergenſis, qua vacantia ſibi Prædia ex morte Othonis Ducis Meraniæ vltimi, in perpetuum menſæ Epiſcopali attribuit.* Anno. 1248.

XVIII. *Margaretæ Abbatiſſæ in Bergka litteræ Obligatoriæ erga Monaſterium S. Petri Erfordiæ.* Anno 1248.

XIX. *Henrici Epiſcopi Bambergenſis diſpoſitio circa Advocatiam monaſterii Theresiensis* Anno 1250.

XX. *Charta Alberti Thuringiæ Landgravii, qua declarat sibi in Univer- Prædiis & Hominibus ad Monasterium S. Petri Erfordi. spectantibus nihil Juris competere* Anno 1277.

XXI. *Charta Henrici Episcopi Merseburgensis qua donationem Bonorum quorundam factam in favorem Reclusorir juxta Merseburg, ratam habet.* Anno 1317.

XXII. *Charta Denationis Ulrici Cathedralis Ecclesiæ Nuenbergensis Decani, confirmata a Gerardo Merseburgensi Episcopo* Ann. 1332.

XXIII. *Ludovici IV. Imp. epistola, qua Balduino Archiepiscopo Trevirensi rationem reddit, cur precibus ejus non annuerit, eumque hortatur, ut Alberto Constantiensi Electo adversus summi Pontificis decretum faueat.* Anno 1334.

XXIV. *Margaretæ Ludovici IV. Imp. Conjugis Litteræ Intercessoria*

XXV. *Henrici II. Hassiæ Landgravii Epistola ad Benedictum* XII. *Pont. max. qua suam suorumque Omnium constantem semper erga S. sedem Apostolicam, Fidem ac devotionem celebrat, eique Comitem de Zigenhain consanguineum suum impense commendat* circa Ann. 1338.

XXVI. *Charta Donationis Burchardi Sturnfeder ad Altare B. Virginis in Nidenavve* Ann. 1345.

XXII. *Caroli Bohemiæ Regis Præceptum, seu confirmatio generalis Omnium Bonorum & Privilegiorum Ecclesiæ Pragensis aliarumque circumjacentium.* Anno 1347.

XXVIII. *Ejusdem Regis Præceptum alterum in Gratiam Prælatorum & Nobilium tam Regni sui Bohemiæ, quam Marchionatus Moraviæ* Ann. 1347.

XXIX. *Caroli IV. Imp. Epistola ad Ernestum Archiepiscopum Pragensem qua illi nuntiat se S. Viti Martyris* caput & corpus *a Papiensibus accepisse in Donum* Ann. 1355.

XXX. *Ejusdem Imp, Epistola altera ad Joannem VI. Paleologum Imp. constantinopolitanum, qua eum de solemni Coronatione sua Romæ peracta certiorem facit, eique adversus Inimicos suos opem pollicetur.* Ann. 1355.

XXXI. *Ejusdem Imp. Præceptum, quo Rudolfo Saxoniæ Duci dignitatem Electoralem, ducatui Saxonico adnexam, una cum omnibus Juribus ac Privilegiis hæreditarie confirmat.* circa Ann. 1356.

XXXII.

XXXII. *Ejusdem Imp. Præceptum alterum quo Theodorico Mindensi Episcopo, ob singularia sua in Coronam Bohemiæ merita, universos Regni Bohemici Redditus ac proventus obligat.* circa Ann. 1356.

XXXIII. *Ejusdem Imp. Epistola Encyclica, qua ob natum sibi Filium Wenceslaum Regem, subditos suos Universos ad Hilaritatem & Lætitiam provocat* Ann. 1361.

XXXIV. *Ejusdem Imp, Præceptum, quo civitatem Tetzin cum attinentiis, a Prædecessoribus suis Bohemiæ Regibus Nobili Wartenbergiæ Genti olim donatam, rursus confirmat.*

XXXV. *Ejusdem Imp. Præceptum alterum, quo Monetas in Delphinatus & sabaudiæ Ditionibus, non aliter quam sub modo & forma præscriptis cudi vetat.* Ann. 1363.

XXXVI. *Ejusdem Imp. Tractatus Pacis ac simul Fœderis cum Ludovico Hungariæ Rege, & Austriæ ducibus initus*, Ann. 1364.

XXXVII. *Ejusdem Imp. Charta absolutionis, super quibusdam Excessibus a Ludovico Marchione Montis-Ferrati commissis.* circa Ann. 1369.

XXXVIII. *Ejusdem Imp. Edictum, quo Barnabovum Mediolanensis civitatis Vicarium, officio & dignitate exuit* circa Ann. 1369.

XXXIX. *Ejusdem Imp Litteræ ad Barnabovum directæ.*

XL. *Ejusdem Imp. ad Urbanum V. Pont. max. Epistola, qua huic potestatem concedit intromittendi se in Bona Uniuersa Rebellium Barnabovis & Galeacii Fratrum, eaque inter alios, Titulo Vicariatus distribuendi ad Tempus.* Ann. 1369.

XLI. *Formula Juramenti eidem Imp. Carolo IV. præstandi præscripta Florentinis.* Ann. 1369.

XLII. *Juramentum solemne Luccanorum eidem Imperatori præstitum.* Ann. 1369.

XLIII. *Ejusdem Imp. Præceptum, quo Luccanis tanquam peculiari & fidelissimo S. R. Imperii Populo, jus cudendæ monetæ concedit* Ann. 1369.

XLIV. *Ejusdem Imp. Præceptum alterum, quo Albertum Bavariæ Ducem, in verum ac Legitimum Hannoniæ Hollandiæ, Zelandiæ & Comitatuum Dominum hæreditariæ instituit.* Ann. 1371.

XLV.

XLV. *Ejusdem Imp. Præceptum Tertium, quo Amadæum Sabaudiæ Comitem ab Officio Vicariatus Imperii revocat.* Ann. 1373.

XLVI. *Ejusdem Imp. Præceptum Quartum, quo Ecclesiæ Trevirensi, dudum oppignoratum Boppardiae oppidum, nova pecuniarum summa gravatum Cononi Archiepiscopo, obligat.*

XLVII. *Charta ejusdem Imp. qua praecipit, ut in Ecclesia Aquisgranensi Festum S. Caroli M. solemniter quotannis celebretur.*

XLVIII. *Ejusdem Imp. Charta altera, qua requirit ut de Reliquiis S. Caroli M. particulae quaedam transmittantur Carolo V. Franciae Regi in Donum.*

XLIX. *Ejusdem Imp. confirmatio Testamenti seu Ordinationis a Joanne Marchione Moraviae Fratre suo, in Gratiam Filiorum factae.*

L. *Sigismundi Hungariae Regis Diploma, quo Johanni Duci Gorlizensi Fratri suo Marchiam Brandeburgensem Confirmat.* Ann. 1392.

LI. *Joannis Moguntini & Friderici Coloniensis Archiepiscoporum Epistola Encyclica ad Universum Clerum & Ordines Regni Hungariae super Electione Jodoci Marchionis Moraviae, in Regem Romanorum.* Ann. 1410.

LII. *Anonymi Refutatio contentorum in praecedenti Epistola.* Ann. 1410.

1. Ex his sub Num. II. Notandus est *Cunctatius* Henrici II. Imp. Cancellarius hactenus ignotus, quem forsitan is, qui Diploma hoc ex Autographo descripsit, male ibidem legerit pro Gunthero, qui & Guntharius dictus est; nam præter hunc, alius passim in hujusmodi Recognitionibus non ocurrit ab Anno MIX. usque ad obitum sancti illius Imperatoris; nisi cum Malinkrotio Tract. de Cancell. Imperii, velis, eum, proficiscente in Italiam Cæsare, in Germania remansisse, atque alios suo tunc functos fuisse Officio, qualis etiam ad hunc ipsum annum MXIV. reperitur apud Gevvoldum de septemvircatu pag. 99. Henricus Cancellarius.

2. sub Num. VI. Embriconem Episcopum Herbipolensem discimus, Cleri ac Populi Eleemosinis adjutum, Ecclesiæ suæ Cathedralis Tectum, quod *propter Annosam Vetustatem* jam penitus dilapsum erat, & casum Ruinamque minabatur, non solum restaurasse, sed & in eadem aliunde *Reparanda & Ornanda*, Euzelinum celebrem sui Temporis Architectum, qui recenter Mœnum Ponte strauerat, adhibuisse; Hinc non satis constare videtur, utrum ex novissimis prædecessoribus suis Bruno. Episco-

Epiſcopus Anno MXLII. hanc ipſam Eccleſiam exſtruxerit funditus, perfeceritque, ut paſſim affimant ſcriptores Herbipolenſes, ejusque Epitaphium ab iisdem relatum, loquitur: ſed, quod magna ſui parte obliteratum, minus fideliter reſtituit, poſteritas; in eo enim hæc præſertim verba D. BEATVS BRUNO longe recentius ævum ſapiunt: Quod ſi ex univerſa Templi Fabrica dijudicare Licet, Chorum ejus, unicum Ego, Brunonis Opus eſſe crediderim, ut Judicio etiamnum eſſe poteſt, Lapis quadrangularis, exteriori muro ejusdem inſertus, Monogrammate hujus Epiſcopi conſpicuus.

3. Memorabilis eſt ſub Num. VII. Conventus ille Regalis a Friderico I. Anno MCLII. in *Burgo Tremonio* celebratus, de quo altum apud ſcriptores ſilentium: nec magis innotuerant hactenus, reliqua in hoc Diplomate contenta, quibus certe mediantibus, Werneri Thumermut Famoſæ objectiones adverſus Eccleſiæ Colonienſis Feuda, non uno in Loco refelli potuiſſent.

4. Solemne aliud ejusdem Friderici I. Imp. Præceptum continetur ſub Num. IX. per quod, Epiſcopo Herbipolenſi Ducatus Franciæ Orientalis, ipſi ab antiquis Regibus conceſſus, non ſolum confirmatur, ſed diſtricte etiam inhibetur, ne quis alius per totum hunc *Epiſcopatum & ducatum*, *& Cometias*, *infra Terminos Epiſcopatus & Ducatus*, *ſitas*, Judiciariam Poteſtatem exerceat, *niſi ſolus Wirzeburgenſis epiſcopus*, *ut DUX.* Hoc Diploma, in quod non ſemel Invidiæ Oculos fruſtra ſtrinxerunt Leues quidam adverſarii, ediderunt non ita pridem Joan. Georg. Leuckfeld in Append. III. ad antiq. Pœldenſ. & Joan. Chriſt. Lunig. Spicileg. Eccl. II. ſed uterque, pro More ſuo, ita inconcinniter ac Mendoſe, ut illud curatius Typis reddere, Operæ prætium fuerit.

5. Subjungimus mox. Num. X. immediate ſequenti, alterum itidem hujus Imperatoris Diploma, quod Sigillo ejus quantumvis munitum, notis carebat Chronicis; ſed hæ facile ſuppleri poſſunt; dummodo attendamus, ea quæ Schatenius Annal. Paterb. Lib. IX. refert ad Annum MCLXXII. his verbis "imperator (Fridericus) medio Quadrageſimæ Celebrem
" Wormatiæ Principum Conventum habuit, in quo vehe-
" menter conqueſtus eſt cum Principibus adverſus Alexan-
" drum Pontificem, atque Italos, quod Conſilia inter eos a-
" gitarentur de Corona Imperii Romani ad Manuelem Græ-
" corum Imperatorem transferenda; ea cum a malevolis per-
" ſuaſa eſſent Imperatori, aut ab ipſo Imperatore conficta in
" Odium Pontificis, Impetravit novam in Italiam Expedi-

 tionem,

tionem, quæ poſt biennium ſuſciperetur. Obierat autem ſub Finem ejusdem anni Heroldus Herbipolenſis Epiſcopus, in cujus Locum ſuffectus eſt Reinhardus hujus Eccleſiæ præpoſitus, Rem maxime urgente Cæſare, qui etiam novum hunc Electum, ſibi dudum omni ſtudio devinctum, in partes Italiæ ſecum abduxit Anno *MCLXXIV.*

6. Quæ ſub Num. *XI.* habetur Inſignis Epiſtola Lucii III. Papæ, vel ex hoc maxime notanda eſt, quod Diem obitus Chriſtiani I. Archiep. Moguntini hactenus incertum (Licet in Anno *MCLXXXIII.* paſſim conveniant Authores) nobis conſervaverit; ſitque ſimul integræ ſuæ ac perfectæ, cum Sede Apoſtolica, Reconciliationis irrefragabile Teſtimonium; id quod certe omni Elogio cenſendum eſt præſtantius.

7. In Charta, quam ſub Num. XIV. retulimus, obſervaſſe non pigebit, in quibusdam Germaniæ partibus, Slavos & Teutones ſæculo XIII. Re, Nomine, & Fortuna inter ſe fuiſſe maxime diſtinctos, nec in unam adhuc coaluiſſe Gentem.

8. Joannes ſummæ ædis Moguntinæ Decanus, de quo in Charta ſub Num. *XXIII.* mentio fit, is eſt, cujus *Fraude & malignitate inducti Canonici* (inquit Georg. Helvvich in Elencho) poſt obitum Mathiæ de Bucheck Anno 1328. *Balduinum Treverenſem Archiepiſcopum contra Pontificis Voluntatem poſtularunt, eique loca munita & oppida* Arhiepiſcopatus Moguntini *obtulerunt*, hinc grave exortum diſſidium, quo durante, Joannes prædictus ſub patrocinio Balduini ſui, ad vacantem Cathedram Conſtantienſem aſpiravit, verum eandem obtinuit mox Anno *MCCCXXXIV.* Nicolaus de Kenzingen ex proviſione Joannis *XXII.* Papæ, quem Ludovicus Imp. in hac ſua Epiſtola alio nomine non dignatur, quam: *ille* de *Avinione.*

9. Sancti Viti pueri ac Martyris Lucani Corpus, jam olim, Anno ſcilicet *DCCCXXXVI.* e Gallia in Saxoniam translatum, ac in percelebri Corbejæ-Novæ Abbatia Solemniſſime depoſitum fuiſſe, mirum! quomodo ignorare potuerit Carolus IV. Imp. quandoquidem haſce ſacras Exuvias quaſi primitus à ſe, & quidem recenter detectas, glorietur in Epiſtola ſub Num. *XXIX.* ad Erneſtum Pragenſem Archiepiſcopum.

10. Joannes ille Cantacuzenus, cujus meminit altera Caroli IV. Epiſtola ſub Num. *XXX.* adverſus Joannem Paleologum (cui ab Henrico VII. Rom. Imperatore Tutor datus fuerat) inſurgens, Anno 1341. Imperium Orientale præripere conatus eſt; verum Auxilio Genuenſium bis debellatus, ſeceſſit Anno 1357. in Montem Athos, ubi ſub monachicho Habitu reliquum vitæ ſuæ traduxit.

11. Quæ ſequuntur ejusdem Caroli IV. Imp. Conſtitutiones & Diplomata, ſatis manifeſte oſtendunt, quam ſolerti cura, quantoque animi Vigore, is Jura ſua Exercuerit, ac ubique etiam tuitus ſit, Notanter in Regno Arelatenſi, & Italiæ partibus, contra quod aſſerere auſi ſunt Obtrectatores ejus tam Germani, quam Galli, quos vir Clariſſ. Hermannus Conringius, his Armis ac Notitiis Inſtructus, Erroris ſæpius convincere, & Opus ſuum de Finibus Imperii Germanici, quantumvis Excellens; non uno in Loco emendare ac Illuſtrare potuiſſet: Coëterum Memorabiles ſunt inſuper ejusdem Imperatoris Epiſtolæ duæ ſub Num. XLVII & XLVIII. ex iis enim videmus quod, poſtquam Fridericus I. Carolum M. e Tumulo levatum, per Paſchalem III. Antipapam in ſanctorum numerum referri curaſſet, idque, Pace Eccleſiæ reddita, ab Alexandro III. fuiſſet diſſimulatum, nec a ſequentibus Legitimis pontificibus reſciſſum, Rem ut piam ac approbatam habuere, non modo Jmperator & Rex Galliæ; ſed & paſſim omnes.

12. Denique ad perfectam Notitiam eorum quæ ſub Num. LI. & LII. continentur, audire juvat Andream Ratisponenſem, Scriptorem fere coævum, apud Nob. ac Cl. Jo. Georg. ab Eccard. Tom. I. Script. Germ. his verbis diſſerentem: Anno MCCCCX. Ruperto
" Rege Romanorum vita functo, vivente adhuc Venceslao
" Rege Romanorum, qui & depoſitus Rex Romanorum;
" Electores duo ſcilicet Archiepiſcopi Moguntinus & Coloni-
" enſis ſecrete quodammodo Sigismundum Regem Ungariæ
" Fratrem jam dicti Wenzeslai ad ſuſcipiendum Regnum Ro-
" manorum per inter nuntia invitarunt, qui Sigismundus
" talia nuntia gratanter ſuſcipiens, remunerationem tamen
" jam duorum dictorum Electorum, quam petebant, relin-
" quens in ſuſpenſo, eo quod nollet Celſitudinem tantæ di-
" gnitatis Simoniace intrare, fit interea ipſi etiam difficultas
" propter Electores, & præſertim Archiepiſcopum Treviren-
" ſem, & Comitem palatinum Reni qui vota ſua in alium
" poſſent dirigere: qua propter ſi ipſe publice pro Regno
" videretur Laborare, eo non obtento pro hujusmodi aſpi-
" ratione cunctis hoc audientibus ridiculum faceret ſe ipſum;
" fit etiam difficultas propter Jodocum marchionem Mora-
" viæ qui etiam tenebat Marchionatum Brandenburgenſem
" Patruum dicti Sigimundi, ne forte ipſe eligeretur vel vota
" ſua in alium dirigeret; ad quod Rex Sigismundus quam-
" vis (inquit) ipſe Jodocus patruus meus teneat jam dictum
" Marchionatum Brandenburgenſem, tamen dum eundem
" Marchionatum, hæreditario Jure poſſiderem, ipſum dicto
" Jodoco patruo meo ſubjeci, ſalvo mihi Jure Electorum Ro-

„ mani Imperii, ficque fumus confœderati, quod mihi promifit, ut fi fimul aliquando Electi fuerimus in Romanorum Regem, ipfe mihi velit cedere, & me non impedire, mihique affiftere. Dum hæc agerentur memorati duo Electores, qui fecrete Sigismundum ad Regnum invitarant, hoc idem apud Memoratum Jodocum Marchionem faciebant; qui auditis eorum poftulationibus, annuit eisdem: Igitur dum Electores, præter ducem Saxoniæ, qui non affenferat depofitioni Regis Wentzeslai, in Francfordia convenifent, bis memorati Electores fcilicet Moguntinenfis & Colonienfis in Ecclefia Francofordenfi dictum Jodocum in Romanorum Regem Elegerunt, claufisque Foribus Ecclefiæ ab Archiepifcopo Moguntinenfi, eo quod decanus fit ipfe Electorum, ipfaque Ecclefia fuæ Diœcefis, cœteri Electores non potuerunt intrare, qua propter ipfi, fcilicet Archiepifcopus Treverenfis, & Ludovicus comes palatinus, Filius quondam Ruperti Regis Romanorum in Cœmeterio ejusdem Ecclefiæ, fæpedictum Sigismundum in Romanorum Regem Elegerunt, ex quo cœpit iftud Commune vulgi proverbium: *Zu Frangkfurd hinderm Chor, haben gevvelt ainen Kunig, ein Chind, und ein Thor,*



I.

TRADITIONES VETERES COENOBII S. PETRI ERFORDIÆ.

I.

Notitia Adalberti Archi-Episcopi Moguntini prò Donatione Dithmari de Kirchberg.



N Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego ADALBERTUS DEI Gratia Moguntinensis Ecclesiæ Archi-Episcopus & Apostolicæ Sedis Legatus, Notum facio omnibus futuris & præsentibus, quendam Virum DIETMARUM scilicet de KIRCHBERG Liberis progenitum Parentibus, tradidisse per propriam liberam manum super Altare Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in Erpesfurt ad Monasterium Cœnobitarum, propriam Famulam nomine Irmingalt cum Filio ipsius Rukkero, duabusque Filiabus, quarum ista sunt nomina, Bilihilt, Irmintrut, ea conditione ut prædicto Cœnobio Jure deservirent Ministerialium: dederat eadem die prædictus Homo ad præfatum Altare X. mansos, quorum duo & dimidius jacent in Wachsteti & II. in Kirchberc, III. in Hirzwinkili III. in Culaha: ea tamen Pactione quatinus prædicti homines quos tradiderat ad Ministeriales, beneficiarentur tam ipsi quam illorum Successores de prædicto prædio Jure hæreditario. Hujus Traditionis plurimi exstiterunt Testes, WERNHERUS DEI Gratia tunc supranominati Cœnobii Venerabilis Abbas cum cunctis Fratribus sibi subjectis: Liberi verò Viri Folrat & Frater ejus Hertac, Ramvolt, Memvart, Ortwin, Walther; ne quis autem prædictam præsumat falsificare Traditionem, Nostri Sigilli impressione, Rogatu ipsorum, perpetuam deliberavimus eis prævidendo præparare Tuitionem. An. 1134.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXIIII. Indict. VII. Regnante LOTHARIO Imperatore Romanorum Augusto, sub Advocato prædicti Cœnobii Comite ERNESTO feliciter, Amen.

II.

Notitia pro Donatione Sigifridi de Erpesfurt.

NOtum sit omnibus CHRISTI Veritatem sectantibus præsentibus & subsequentibus, SIGEFRIDUM quendam Erpesfurtensem, Sancti Spiritus aspiratione succensum propria pecunia III. Mansos in villa quæ Backesteti dicitur emisse, Sanctoque Petro Principi Apostolorum, Cœnobiticisque prædicti Apostoli commorantibus in Erpesfurt absolutè tradidisse pro salvatione videlicet suæ Animæ, Uxorisque, nec non omnium Parentum Cognatorumque salute: pro quo prædio suscipiendo ad incolendum An. 1136.

 dede-

dederunt pro oblatione unum mansum Hæreditarii Prædii, jacentes juxta prædictam Villam, Quatuor Slavi de sæpenominata Villula, Hospites LUDEVICI Comitis Provinciæ, quorum ista sunt nomina Luzicho, Herolt, Odalrih, Cuno: hi quatuor Viri susceperunt prædictos quatuor mansos, tam illum quem obtulerant quam illos tres propter quos acquirendos proprium mansum tradiderant hæreditarii Jure prædii; ita ut cum quis istorum obierit, Filius ejus aut proximus Propinquus offerat Abbati prædicti Cœnobii VII. solidos & in Hæreditatem Defuncti succedat: solvunt autem prædicti Slavi ter in anno singulis vicibus XIII. solidos: hoc etiam propter prædictam oblationem ab Abbate impetrarunt, quod Advocato nullum Placitum persolvunt; cœtera verò legitima Jura Slavorum, quæ constituta sunt pro cædibus vel Furto aliisque culpis quæ suboriri poterunt, tempore vel loco quo Abbati placuerit persolvere debebunt. Hujus constitutionis plurimi existunt Testes & maximè prænominatæ Congregationis Fratres Otto, Ingram, Rudiger, Herman, Wernher Dictator, & Conscriptor præsentis Paginæ: Laici verò Sigifrit Dispensator Ludevici Comitis Provinciæ, Hartman Dispensator tunc Fratrum S. Petri aliique quamplures.

Acta sunt hæc Anno ab Incarnatione Domini MCXXXVI, Indict. XIV. Regnante LOTHARIO Imperatore Anno Regni ejus XI. sub ADELBERTO Moguntino Archi-Episcopo & Apostolicæ Sedis Legato, & sub ERNESTO Comite Advocato S. Petri. Ego WERNHERUS DEI Gratia licèt Indignus, Dispensator tamen S. Petri hæc statuta proprio Sigillo constabilivi, postulans Successores meos, & rogitando in Christo commonens, ne facilè prædecessorum suorum consulta infringant, si propria desiderent apud Posteros inconvulsa permanere.

III.

Ex Autographo.

Donatio solemnis Henrici I. Archi-Episcopi Moguntini.

An. 1144. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HEINRICUS DEI Patientia Moguntinensis Archi-Episcopus hujus Nominis Primus. David Rex & Propheta, Sancti Spiritus organum, Fidelibus in spe Beata ad DEUM tendentibus dulce canit Epytalamium. Quam magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti autem eis qui sperant in te; his DEI adjutorio & Nos participes fieri exoptantes, ex his quæ sine alicujus controversia Juri nostro provenerunt; stipendia DEO Famulantium amplificare studuimus, ut tanto devotius suis Nobis instantissimis patrocinarentur Orationibus: Omnibus igitur notum facimus præsentibus & futuris, qualiter à Prædecessoribus nostris Ecclesiæ Beatorum Apostolorum Petri & Pauli in Erfordia Mansi IV. subtracti in Bilterisleybin, cuidam Betnolfo nomine ea delegati sunt conditione, ut singulis annis mensæ Episcopali XX. solidos tempore constituto persolveret, omnem vero utilitatem ex reliquo provenientem suis usibus deputaret: Nos igitur nostrorum prudenti usi consilio, considerantesque in tali facto grave detrimentum Ecclesiæ, condoluimus, & cum prelibato Homine facto concambio Libras III. pro hereditario Jure dari jussimus, & ab omni conditione qua sibi prædicta Bona vendicabat, penitus redemimus: ne ergo in tali Opere incassum & sine Fructu laborasse videremur, cum XX. solidis qui mensæ nostræ respiciebant, mansos denominatos & liberè redemptos, Fratribus DEO & Beatis Apostolis Petro & Paulo incessabiliter Famulantibus, pro Remedio animæ nostræ reconsignavimus, ea videlicet Ratione ut vita adhuc superstite dies Ordinationis nostræ *V. Calend. Octobris* digna Venerationis Memoria ageretur, & Refectio Caritatis Fratribus impenderetur: mutata verò vita præsenti, Anniversaria nostræ depositionis Vigiliis, Missarumque officiis solenni data Refectione pro consequendo Beatæ Immortalitatis præmio celebrarent: his ita ob commodum Fratrum & Ecclesiæ, DEO ordinante, compositis ne aliquis ausu temerario huic reconsignationi se opponat, cartam præsentem conscribi & Sigilli nostri impressione signari præcepimus. Testium quoque, qui præsentes fuerunt nomina annotari jussimus, ut comprobato Veritatis judicio, ex integro omnis ambiguitas à futuris Posterorum Filiis excludatur. Heinricus Majoris Ecclesiæ Custos in Maguntia & Præpositus S. MARIÆ in Erphordia. Goteboldus Præpositus Fritislariensis & Camerarius

rarius Curiæ. Burchardus Præpositus de Jechburck. Adelhardus Præpositus S. Severi. Sinzo Præpositus Regularis de Hospitali in Erphordia. Capellani: Conradus, Heinricus. Liberi: Comes Patriæ LUDOVICUS, & Frater ejus Heinricus, Dammo de Bucho, & Filius ejus Arnoldus. Ernst Advocatus ejusdem Ecclesiæ. Ratherus de Werde. Sigebodo de Schoweburck. Dudo Castellanus de Rosteberck. Ministeriales: Ludowicus de Wangenheim, Wernherus Dapiter, Conradus Pincerna, Dragbodo & Conradus Marescalci. Heinricus Vice-Dominus de Erphordia. Buzelo Scultetus. Sigeboldus, Giselbertus & alii plures.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCXLIV. Indict. VII. Regnante CONRADO Rege hujus Nominis Tertio. Data in ERPHORDIA XVIII. Kal. Decembr.

IV.

Notitia ejusdem Henrici Archi-Episcopi Moguntini pro Donatione Nobilium Virorum Folradi & Hertagi.

Ex Autographo.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego HEINRICUS DEI Gratia Metropolitanæ Sedis Moguntinæ Archi-Episcopus, Notum esse cupimus cunctis in spe adoptionis Filiorum DEI in Ecclesia laborantibus duos Germanos FOLRADUM videlicet & HERTAGUM Liberi generis Viros, Sancti Spiritus Gratia illorum visitante præcordia expetisse Cenobium Erphesfurt, quod constructum est in Honore Principum Apostolorum Petri & Pauli, conversionis Gratia, qui à Fratribus ibidem DEO Famulantibus benignè in consortium suscepti, obtulerunt se, suaque omnia super præfatorum Apostolorum Altare, annuentibus & simul offerentibus ipsorum Germano HERMANNO, & Patrui Filio DIETMARO, ceterisque Cognatis & Amicis: est autem quod DEO & ejus Apostolis eo die obtulerunt, in Bichenried unum Molendinum & VIII. mansi, cum totidem curtilibus, & duabus silvulis: in Ellenhartesrode III. Mansi, in Hizwinckele II. Mansi & in Kirchberck II. & unum Pratum & III. mancipia Jure Ministerialium. Item in Escherichesrode Curia cum omnibus appendiciis, tribus videlicet curtilibus & IV. mansis cum silva circumjacente, & in eadem Curia Capella, & ad eam pertinentia tria curtilia, & VIII. mansi, quorum unus est in Hortene, unus in Kenetenhusen, unus in Wachstete, unus in Gunzerode, tres in Escherichesrode: verum ut hæc Traditio firma Apostolorum Principibus Petro & Paulo permaneat, Sigilli nostri impressione signavimus & Banni nostri auctoritate firmavimus, ut si quis de præfatis Rebus aliquid usurpaverit, perpetuæ damnationis anathemate feriatur. An. 1146.

Hujus rei Testes sunt Henricus Præpositus S. MARIÆ in Erpesfurt. Adelhart Præpositus S. Severi. Sinilo Præpositus Regularium; Folpertus Præpositus de Sancto Cyriaco. Archipresbiter Bertholdus; Abbas WERNHERUS præfati Cœnobii, & Wilhelmus Prior, & omnis Conventus. Liberi: ERNESTUS Comes Advocatus ejusdem Cœnobii. Lampertus Comes, Fridericus de Bichelingen. Ministeriales: Hartunc, Wernher, Sigibolt.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCXLVI. Indict. VIII. Regnante CONRADO. Data II. Idus Augusti in ERPESFORDIA.

V.

Ejusdem Henrici Archi-Episcopi Charta Tertia, qua Traditionem Guntheri de Ditendorp Ratam habet.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego HEINRICUS DEI Gratia Moguntinensis Archi-Episcopus, Notum esse volumus universis Christi Fidelibus, quod quidam Ministerialis Domini BERNHARDI Comitis, GUNTHERUS Nomine de Ditendorp & Filii ejus ALEXANDER videlicet HENRICUS, & GUNTHERUS, duos mansos & dimidium in Hochstete Abbati WERNHERO hujus Nominis secundo, suisque Fratribus in Erpesfurt pro VIII. marcis & V. Talentis vendidit & propria manu Filiorum, & An. 1147.

 aliorum

aliorum quorum ad hoc negotium assensu indiguit, præcipuéque præfati Principis Bernhardi super Altare Apostolorum Petri & Pauli data sibi prædicta pecunia ab Abbate, tradidit: hanc Ego Heinricus DEI Gratia Moguntinensis Archi-Episcopus traditionem Ratam & firmam esse volens Sigilli mei inpressione Roboravi, & Banni mei vinculo colligavi, ut si quis hanc Traditionem infringere conetur, in die Judicii cum Angelo Sathanæ damnetur.

Hujus rei Testes sunt WERNHERUS Abbas Erpesfurdensis, Hiltene Abbas Aldesleybensis, Bernhardus Comes, ERNESTUS Comes, & Advocatus ejusdem Cœnobii. Guncelinus, & Frater ejus Goltmarus de Dachebeche: Hugo, Guntherus, Alexander, Hermannus Subadvocatus & alii plures.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCXLVII. Indict. X. Regnante CONRADO hujus Nominis III. eodem Rege in Expeditione Jerosolimitana posito.

VI.

Commutatio quorundam Bonorum inter Arnoldum Archi-Episcopum Moguntinum & Gelphradum Abbatem S. Petri Erford. inita.

An. 1157. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. ARNOLDUS DEI Gratia Moguntinæ Sedis Archi-Episcopus. Ad hoc Prælatorum Sollicitudo omne studium suum & Laborem debet accommodare, ut Ecclesias, eorum speculationi commissas, Emptione, venditione, commutatione, seu quolibet alio modo possint lucrifacere: Notum igitur esse volumus universis tam futuri quam præsentis ævi Christi Fidelibus, qualiter Nos, ut possessiones Moguntinæ Ecclesiæ ampliaremus, à quodam Viro Ingenuo videlicet HEINRICO Filio MEINHARDI Mulhburc cujusdam castri medietatem Velmhusen nuncupati cum Ministerialibus, prædiis, ceterisque ad ipsam medietatem pertinentibus in Jus proprietatesque Moguntinæ Ecclesiæ conquisierimus, partim pecunia comparandam, partim etiam rebus immobilibus commutandam, à Fidelissimo ergo GELFRADO Abbate Ecclesiæ B. Petri in Erpesfurt Prædium quoddam in villa Progniz nuncupata, unde annuatim tria Talenta & dimidium solvebantur, Colonis ejusdem prædii in proprietate Monasterii B. Petri retentis, communicato Ecclesiæ nostræ Consilio commutavimus & prememorato Heinrico pro quibusdam Prædiis, quæ cum medietate præfati castri nobis dederat, committenda restituimus: in Recompensatione autem ejusdem Prædii VI. mansos Dominicali nostro in Biltirsleybin attinentes, & insuper unum mansum in eadem villa antedicto Abbati & Monasterio suo cum omni utilitate in proprietatem perpetuo Jure donavimus: hanc commutationem nostram atque donationem per omnem Temporum revolutionem ratam & inconvulsam permanere volentes, præsenti pagina, inpressione Sigilli nostri insignita, stabilivimus & Banno nostro confirmavimus.

Hujus rei Testes sunt: Arnoldus Præpositus de S. MARIA. Burchardus Præpositus de Bicheburc. Hartuvicus Præpositus de S. Petro Mogontiæ. Adelhardus Præpositus de S. Severo. Conradus, Rudingus Capellani. Gernodus Notarius. Adelbertus Marchio & Filius ejus Hermannus. Size Comes, & Filius ejus Heinricus. Adelgerus de Ilvelt. Fridericus Comes de Bichilingen. Erwinus, & Ernestus Fratres Comites. Folradus de Granichvelt. Heinricus de Berlisteti, Ministeriales. Helfericus Vice-Dominus, Heinricus Vice-Dominus, Giselbertus, Sigeboldus, Ditmarus & Hermannus Fratres, Wolframmus Sculterus & alii plures.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCLVII. Indict. V. Regnante FRIDERICO Imperatore.

VII.

Ex Autographo.

Notitia Piligrimi Abbatis S. Petri pro Donatione Wolframi Præpositi in Uchtricheshusen.

An. 1185. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. PILIGRIMUS Divina dispensante Clementia dictus Abbas Cenobii in monte S. Petri Erpesfordiæ. Dum cunctis sit in propa-

propatulo appropinquante mundi Vespere Caritatem multorum refrigescere, incumbit Pastori Ovile Dominicum, Caritatis sic vinculis constringere, ut Aquæ multæ Dilectionis ignem non queant extinguere: eapropter cunctis tam nostri quam subsequentis ævi apud nos mancipatis Christi Tyrocinio seu mancipandis innotescimus, quod Domnus WOLFRAMUS Venerabilis Præpositus Ecclesiæ Sanctæ DEI Genitricis Sanctique Georgii Martyris in Uchtrichishusen, sperans nostri Parvitatem alicujus apud DEUM fore Meriti, Caritatis non fictæ ardore inflammatus, tam Nos quam Nobis coessentes, devotus adiit, & Membris nostræ Ecclesiæ connumerari plenaria Fraternitate expetiit: Nos ut par fuit, tam Illustri Personæ jam dudum Nobis non incognitæ juste Justa petenti Mente alacri Assensum prebuimus, & unanimi Consensu Votum ipsius adimplevimus, statuentes, ut Anniversarius Depositionis ejus Dies cum Vigiliis & Missa pro Defunctis in Conventu nostro pro Animæ ejus Requie futuris semper temporibus agatur: Ille nimirum, cum Ovile Domini non aliorsum quam per Ostium introisset, omnimodis cæpit satagere ne grata DEO Societas aliqua obliteraretur Antiquitate; siquidem Thesaurum suum specialem, quem numerosum à Venerando Magdeburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopo WICMANNO, & à Majoris ejusdem Decano Domno SIFRIDO, nec non à Domno WITHOLDO Præposito in Hunoldesburc Viro Nobili & Industrio summa Precum Instantia ac obsequiorum Officio impetraverat, quem etiam longo tempore à Reverendis valde Personis multo sudore passim conquisierat, Reliquias videlicet Sanctorum desiderabiles, Auro ter cocto cariores Nobis non dubitavit partiri, quarum quantitatem post subnotavimus; Cappam quoque duabus Marcis & tribus Fertonibus, Codicem argenteum pensantem II. Libras, Heimonem super Apocalypsim, & triplex Psalrerium comparavit, & alia perplura Caritatis & Devotionis Opera declaravit: preterea votivè rogavit quatinus hujus gestæ rei memoriam scripto mandaremus ne tempore subsequenti apud Posteros tam pius ejus Affectus fieret Oblivioni, quam ejus petitionem supplevimus, & Paginam hanc inde conscriptam Sigilli nostri Impressione signavimus: summa autem constitutionis & Petitionis nostræ in verbo Domini hæc est, ut si fortè, quod absit, quispiam de oblatis Domino Sanctorum Reliquiis à nostra Ecclesia abalienare præsumpserit, sit Anathema Maranatha, ac profanet eum DEUS à consortibus & Filiis Sanctæ DEI Ecclesiæ, & Hæredibus vitæ æternæ, & auferat memoriam illius de Terra viventium, & deleat nomen ejus de Libro vitæ, & ut cum Dathan & Abiron, quos Terra aperto ore deglutivit, & vivos Infernus absorbuit, perhennem incurrat damnationem, & ut Herodis, Pilati, & Judæ socius factus, in æternum discrutietur, & cum Sodomitis & Gommorrithis Ignis & Sulphuris imbres sic experiatur, & Petrum Regni Cœlorum Archiclavigerum cum Sancta MARIA, & omni Militia cœlestis Exercitus, portæ Paradisi obstitotem habeat in æternum, Amen, Amen.

Facta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXV. Indictione III. Regnante Glorioso Imperarore FRIDERICO hujus Nomine primo: Anno Regni ejus XXXIII. Imperii verò XXX.

De Magdeburc de Ligno Domini. De Sepulchro Domini. De ossibus S. Joannis Baptistæ. Apolinaris Episcopi. Herculani Episcopi & Martiris. De Digito Sancti Laurentii. De costa S. Georgii Martiris. De Brachio S. Exuperii Martiris. De Capillis S. Adelheidis Reginæ.
De Goslaria Matthiæ Apostoli. Godehardi Episcopi.
De Praga Adalberti Episcopi.
De Treveri Valerii Episcopi. Materni Episcopi.
De Porta Ermagori Episcopi.
De Salefelt Polidurpi Episcopi.
De Wirciburc Processi & Martiniani.
De Babenberc Henrici Imperatoris.

Testes hujus sunt, Domini & Fratres nostri Reinfridus Prior, Wolframus, Otto, Lampertus, Hermannus, Ludigerus, Frowinus, Ernest, Sigiloch Presbiteri. Adalbertus, Conradus, Marcuvardus Bertoch, Sifridus, Subdiaconi. Adelbertus, Thietmarus Acolyti.

VIII.

Charta Conradi I. Archi-Episcopi Moguntini, qua Donationem Erwini Comitis de Tunna ratam habet ac confirmat.

An. 1192. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. CONRADUS DEI Gratia Sabinensis Episcopus, Moguntinensis Sedis Archi-Episcopus in perpetuum. Cum ex Divinæ Voluntatis arbitrio inter Ecclesiarum Provisores Locum teneamus, ex commissi nobis Regiminis debito, quotiescunque Ecclesiarum Bona aliquo pietatis Intuitu ampliori respexerimus, quoad opus est promovere tenemur, & ne imposterum aliquo importunitatis Ingenio divellantur, omnem nostræ possessionis diligentiam adhibere debemus: Quapropter notum fieri volumus tam futuri quam præsentis ævi Christi Fidelibus, quod Comes ERWINUS de TUNNAHE, Uxore & Liberis ejus, Animo concordi, mera & libera voluntate assensum præstantibus, XVIII. Mansos cum eorum appenditiis, quorum sex sunt in territorio Villæ illius, quæ Tuteleibin dicitur, reliqui verò duodecim in Walesleybin specialiter & exemptos ab omnibus possessionibus suis, duobus liberæ conditionis Viris tradidit Barthoni & ejus Fratri Volrado de Elkesleybin multis coram astantibus, eos ipsorumque Fidei committens in hunc modum, ut juxta ejus arbitrium & mandatum simul cum ipso alicui Ecclesiæ quam eis denominaret, ob Remedium animæ ipsius conferrent; Procedente tempore prædicti Comitis Erwini Uxor beatæ Recordationis Mulier, viam universæ Carnis ingressa est; unde merito ipsius Animæ consulere volens VI. Mansos in Tuteleybin de prædictis XVIII. cum Barthone & ejus Fratre Volrado Cenobio S. Petri in Erfordia in perpetuam tradidit Proprietatem, Corpusque ejus Uxoris ibidem tumulari petivit: Elapso itaque aliquanto tempore idem Comes Divino afflatus Spiritu reliquos Mansos XII. in Walesleybin cum omnibus suis appendiciis, iterum cum ipso donationem facientibus Barthone & Wolrado, nobis & multis honestis Viris præsentibus, & suis Hæredibus assensum præstantibus, super Reliquias Ecclesiæ S. Petri in magna contulit devotione: Ne ergo alicui super hujus rationabilis Facti tenore aliquod imposterum generetur Dubium, ipsam traditionem prædictæ Ecclesiæ S. Petri factam, sub Anathematis interpositione, & nostri Sigilli Impressione confirmamus.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCXCII. Indictione X. Domno CALISTO Apostolicæ Sedi Præsidente. HENRICO VI. Gloriosissimo Romanorum Imperatore Imperium gubernante, & Anno nostræ Electionis in Archi-Episcopatum Sanctæ Moguntinensis Ecclesiæ XXXII. Exilii nostri XXVIII. Reversionis vero ab Exilio VIIII. His præsentibus: Burchardo Præposito S. Petri in Moguntia. Gervigo Præposito S. Severi. Canonicis S. MARIÆ Luthero Decano, Ludwico, Gisilberto, ipso etiam Comite ERWINO Advocato ejusdem Ecclesiæ cum duobus Filiis suis Comite Lamperto & Comite Ernesto, duobus etiam Generis ipsius Poppone de Wasungen & Comite Ditherico de Bercka. Barthone & Fratre ejus Volrado. Conrado de Tullestete Ministerialibus. Embricone Vice-Domino de Magontia, Bertholdo Vice-Domino in Erphordia, Ditherico de Buseleibin & aliis pluribus. Dat. ERPHORD. III. Idus Novembris in Die S. Martini.

IX.

Ex Autographo.

Traditio Hartlibi.

An. 1220. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego WITELO DEI Gratia Abbas Montis Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in Erpesfurt, Notum facio universis Christi Fidelibus presentem Paginam inspicientibus quod quidam DEO Devotus HARTLIBUS Nomine, Curiam pro Remedio Animæ suæ, Ecclesiæ Beatæ MARIÆ & Monasterio S. Petri contulit sub hac forma, ut media pars Census Curiæ ejusdem Viduæ ipsius quamdiu in præsenti vita superstes fuerit cedat, nihilominus residua media parte Census ab jam dicta Ecclesia Beatæ MARIÆ & Monasterio S. Petri æque perce-

percepta: hanc igitur Curiam quidam Ernestus à præfatis Ecclesiis & nihilominus à Vidua præfati Hartlibi Jure hæreditario suscepit, sub tali quippe tenore ut septem Fertones singulis annis solvat & idem Ernestus infra biennium ipsam Curiam in æstimatione IV. Marcarum ædificiis auctam ostendere possit.

Testes hujus rei sunt Hartilip Prior, Hermannus Claustralis Prior, Cunradus Marchio, Monachus Ecclesiæ nostræ; cum aliis Fratribus nostris. Gerwicus Præpositus S. Severi. Guntherus Decanus Beatæ MARIÆ. Giselbertus Cantor, & alii quamplures Fratres ejusdem Ecclesiæ. Laici verò Ditericus Vice-Dominus, Henricus de Tungede. Frowinus de Wechmare, Ulricus Vierdelinc, & alii quamplures.

X.

Notitia Witelonis Abbatis S. Petri pro Donatione Guntheri dicti Stukilber.

EGo WITELO DEI Gratia Abbas Montis SS. Apostolorum Petri & Pauli in Erpesfurt cum comuni Fratrum meorum Collegio. Quam misericorditer Divina Clementia prospexerit huic Loco, id est, Monasterio Apostolorum Petri & Pauli per suum Fidelem GUNTHERUM Cognomine STUKILHERUM olim Civem Erfordensem, postea Monachum nostratem, nunc vero, ut speramus, & omnium Fidelium devotioni exorandum committimus, consortem cœlestium Gaudiorum, Memoriæ & præsentium & futurorum contradimus. Fidelis iste Guntherus, ab annis Adolescentiæ se suaque patrimonio addixit JESU Christi, & toto Corde celata sua esse voluit Beneficia, quæ large & nostræ & aliis impertivit Ecclesiis, ut laudent eum in Portis Opera ejus, unde & multa ejus Beneficia nostræ Ecclesiæ impensa sunt Incognita, & quæ subscripsimus contra sui voluntatem experti sumus: Kamerario nostro Bertholdo Curiam in Heilingin redimenti, subsidio fuit cum X. Marcis: postea ut peculium compararet X. Marcas dedit: ad redimenda Bona in Bezzingin X. Marcas, ad Emptionem Vinearum in Lisentalo V. Marcas. Hartlibo Cellerario VII. Marcas. Bona in Mitelhusin redemit XVIII. Marcis. Ad ornatum Ecclesiæ II. Casulas II. Albas Lintheamentumque dedit super Altare. Item Ornatum nostrum inpignoratum quasi in extremo amissionis periculo VII. Marcis redemit, & quia Filius sapiens Gloria est Patris, & Filius stultus Ignominia est Matris suæ, ipse utpote sui Generis Gloria, mediante solo Germano suo ALBEKONE Archi-Presbitero S. Mariæ, Testamentum suum & Patris & Matris & omnium Fratrum suorum ordinata distinxit Karitate, Ortum siquidem unum XXXII. solidos solventem Ecclesiæ nostræ contulit: ex his X. solidi in Anniversario Patris sui Domini HERMANNI dantur ad Karitatem Confratribus nostris. Item X. solidi dantur in Anniversario Matris suæ Dominæ JUTÆ, reliqui X. ad suum Anniversarium conservantur: simili modo ad Karitatem Fratribus sicut ceteri distribuuntur; Pueris verò in singulis Anniversariis VI. denarii & II. Ecclesiastico pro compulsatione Vigiliarum Missæ distribuuntur: dedit etiam Confratribus nostris Kameram, quæ annuatim persolvit tertiam dimidiam Markam, ex his ad Censum Episcopalem attinet dimidia marca, reliquæ duæ Confratribus nostris distribuuntur; cum uno Fertone, Anniversarius duorum Dominorum nostrorum Alberti videlicet & Eberheri celebrabitur; in singulis vero Anniversariis Fratrum suorum CUNRADI & HERMANNI, WERNHERI & EBIRNARDI, WALRABINI & DITERICI cum dimidio fertone Consolationem Fratres recipient, cum uno fertone Hospitalarius noster ad susceptionem Peregrinorum consolabitur: præter hæc omnia, Testamentum Generale suorum Fratrum statuit cum duabus Marcis Auri, quæ pensa ab Archi-Presbitero Alberone jam dicto, qui una cum Domino Gunthero forma est totius præscripti diligentissime expedita, XII. marcis duas Curtes quas Officio Cenarii delegavit: Insuper ad utilissimum nostræ Professionis statum nostris Infirmis tribus marcis & dimidia duos emit Agros persolventes annuatim X. solidos: ut autem hujus Paginæ nostræ rata & inconvulsa conscriptio permaneat, & ut præscripta donaria nulla Occasione vel mutatione abalienentur à præordinata Fratrum commoditate, sub Interminatione æternæ Dampnationis inviolata conservare constituimus & Apostolorum Petri & Pauli & nostri Sigilli Impressione confirmamus: Testibus præsentis facti subnotatis quorum Nomina hæc An. 1210.

 sunt:

sunt: Hermannus Prior, Hartliph Sacrista, Cunradus Cantor, Cunradus Cellerarius, Heinricus Camerarius totusque Conventus Ecclesiæ nostræ, Cunradus Præpositus S. Mariæ, Guntherus Decanus, Giselbertus Cantor & totus ejusdem Ecclesiæ Conventus. Laici Hartliph Gensevuz. Giselherus Vice-Dominus. Guntherus Filius suus, Hildebrandus Gener suus & alii quamplures.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Ducentesimo Vicesimo, Indictione octava, Præsidente Sedi Moguntinæ Sifrido Archi-Episcopo.

XI.

Traditio Alheidis Matronæ.

An. 1223. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Heinricus DEI Gratia Abbas. Notum facio omnibus præsentem Paginam Legentibus, quandam devotam Viduam Adelheit Nomine, pro spe Remunerationis æternæ & pro Redemptione animæ sui dilecti Mariti Gotscalci quædam Bona prope Ecclesiam S. Nicolai jacentia sex & viginti solidos annuatim persolventia Ecclesiæ Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, cui Authore DEO præsumus, contulisse, eo videlicet Ordine ut prædicta Femina, quamdiu esset in corpore eisdem Bonis uteretur; post mortem vero ipsius, eadem Bona præfatæ Ecclesiæ deservirent; quorum tam Dispensator & Exactor erit Burchardus Filius ipsius Feminæ & Alumpnus nostræ Ecclesiæ, prædictorum etiam Bonorum Tutator & Provisor: ut autem hæc firma & inconvulsa permanerent præsens scriptum Sigillo nostræ Ecclesiæ firmamus. Testes hujus rei sunt Arnoldus, Burchardus, & totus Conventus ejusdem Ecclesiæ, Gotscalcus Scolasticus. Laici Hildebrandus Gener Giselheri. Herboto & Reinoldus & alii plures Religiosi & Nobiles Viri.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXIII. Indict. XI.

XII.

Ex Autographo.

Notitia Henrici Abbatis S. Petri pro Donatione Henrici Militis de Bilterisleyben.

An. 1224. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Heinricus DEI Gratia Abbas Montis Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in Erpesfurt, Omnibus præsens scriptum inspecturis salutem æternam in eo qui est salus Omnium. Mundum in maligno positum universalis præsentit Ecclesia, & ipsæ Fraudis suæ commentis periclitatur, & variis Temporum inficitur incrementis, inde magis cogimur nostris commissis prospicere, & sinistros Eventus quoquo possumus ingenio, quos toto corde amplectimur, præcavere. Notum siquidem esse volumus omni Evo, quod Henricus Miles unus de Bilterisleibin à nostra Ecclesia infeodatus dimidio manso in ipsa villa, in qua & integrum mansum & sex Areas proprietatis possedit jure, quibus Bonis dum se vellet exuere veriti fuimus graviorem aliquam Personam nos interrumpere, unde quamvis sub dispendio decem & septem marcis coemimus integrum mansum & dimidium infeodatum & quinque areas ex quibus unam sibi & suis Successoribus porreximus Jure Feodali, Henricus vero cum Uxore & Filiis & Filiabus manui tradidit Advocati nostri Comitis videlicet Lamperti ipsa Bona, qui & eadem nostræ obtulit Ecclesiæ, insuper pro Favore nostræ Devotionis jure Advocatiæ pro se suisque heredibus perpetualiter abrenuntiavit, prædicta itaque Bona annuatim persolvunt XXIIII. solidos: in ipso etiam tempore coemimus Mansum unum in villa quæ dicitur Mitilishusin, quæ non longè distat à Civitate, ad quendam Berchtoldum Filium Berwelfi pro VI. dimidia marca, qui persolvit singulis annis VIII. solidos & maldratam, quæ omnia simul computata faciunt XXX. solidos & maldratam, quibus autem usibus ista debeant subservire Bona, districtè sub Anathematis vinculo sic statuimus, Frater qui præest Fidelibus & Fratrum Caritatibus in nostro Anniversario ad Hospitale

dare

dare debet maldratam ex integro ad pauperum refectionem, Reliqua omnia ad solemnem Caritatem Fratribus ac toti familiæ dedicavimus.

Testes hujus contractus sunt Comes Lampertus de Glichin cujus Sigillum præsenti pagellæ est appensum, Marcuardus Prior Ecclesiæ nostræ, Conradus Cantor, Botcardus Cellerarius, Bruno Camerarius, Fridericus Custos, Merbodo Hospitalarius, & totus Conventus, Didericus Vice-Dominus, Fridericus Schultetus, Siboldus Filius Dominæ Gutæ, Fridericus Filius ejus, Hartmannus de Guttingen, Didericus Frater ejus, Heinricus de Gisbotisleibin, Gerardus Gener ejus, Bergtoldus de Valva, Gerhard, Wernerus, Didericus, Deviherdi, & alii quamplures.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXIV. Indict. XII.

XIII.

Ejusdem Henrici Abbatis Notitia altera pro Donatione Ludovici de Sumeringen.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HEINRICUS DEI Gratia Abbas Montis Apostolorum Petri & Pauli in Erphordia. Universis DEO devotis hanc paginam inspecturis perpetuam in Domino salutem. Quoniam omnia Auctoritate & Testimonio sui Eventus, suo Jure nonnunquam privantur: ne ea quæ nobis coram positis Gesta sunt, ambigua fiant scripto duximus annotari: Notum igitur volumus, quod quidam Miles LUDEWICUS Nomine de SUMERINGIN Jus Advocatiæ, quod à Comitibus LAMBERTO de Glichin & Fratre suo ERNESTO super quinque mansos in Engelde in Feodo tenuit, data sibi à Predecessore nostro beatæ memoriæ Abbate WITTELONE, & Colonis ipsorum Bonorum quadam summa pecuniæ, eo quod id Coloni magnum Gravamen, & Ecclesia nostra dispendium per eandem Advocatiam pateretur, ipsis Comitibus nobis mediantibus manumisit; quam Advocatiam dicti Comites ad petitionem nostram & præfati Ludewici Nobis & Ecclesiæ nostræ perpetuo libere possidendam resignaverunt, quod Factum ne quis ausu temerario infringere præsumat Anathemate confirmatum, Sigilli nostri & præfati Comitis Lamberti est impressione roboratum. An. 1226.

Testes hujus rei sunt Marcuvardus Priot & totus Ecclesiæ nostræ Conventus. Lutigerus de Bezzingen, Ludwicus de Summeringen, Nortmannus de Taleim & alii plures.

Acta sunt hæc Anno ab Incarnatione Domini MCCXXVI. Indict. XIV.

XIV.

Ejusdem Henrici Abbatis Notitia Tertia, pro Donatione Lamperti Comitis de Glichen.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HEINRICUS DEI Gratia Montis Apostolorum Petri & Pauli Abbas in Erphordia, Præsentibus & Futuris in perpetuum. Notum esse volumus omnibus Fidelibus continentiam hujus Paginæ inspecturis & audituris, quod Bonæ Memoriæ Comes LAMPERTUS de Glichin pro Benedictionis Memoria sibi comparanda, & ob spem Divinæ Remunerationis duos Mansos villæ contiguos Erfordiensi, XIII. Marcis argenti à quodam REMBOTONE redimendos, cui eosdem tali summa obligaverat, Ecclesiæ nostræ postmodum libere possidendos, Uxore sua SOPHIA & Filiis suis in idem consentientibus, contradidit; qui Remboto dictos Mansos indebite ac violenter Nomine Feodi, quo se ipsos à memorato Comite recepisse affirmavit, detinens, ad tempus de collata eorundem possessione Nos impedivit, Quæstione autem super his, Judicibus Domni SYFRIDI Archi-Episcopi delata, hoc ordine, honestis & ydoneis Viris mediantibus est congrua compositione decisa: præfatus Remboto, Mansos nobis, recepta quam promisimus argenti summa, in præsentia Judicum & Ministerialium Domini Archi-Episcopi nec non Burgensium manumisit, & secundario eos ad terminum IX. Annorum in usus suos excolendos, medio tempore An. 1228.

anniuatim septem maldratas frumenti soluturus recepit: decimo anno in culturam Ecclesiæ fructuariè ac liberè cessuros in perpetuum. Ad hujus verò scripti confirmandum tenorem apposito Sigillo nostro cum Sigillis Comitum ERNESTI & HEINRICI Filiorum suprascripti Comitis Lamperti, nec non Burgensium, anathemate confirmavimus.

Testes hujus rei sunt: ERNESTUS Comes, Frater Comitis Lamperti, Lutigerus de Beslingen Villicus, Heinricus de Meldingen, Fridericus de Memwarsputck Advocatus, Hartmannus de Gutingen, Syboto de Kywa, Gotscalcus Dives, Gotscalcus Longus, Ulricus Quadrans, Uto Dives, & Universitas Burgensium Erfordensium.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXVIII. Indict. I.

XV.

Charta Sigifridi II. Archi-Episcopi Moguntini, qua alteram Lamperti Comitis de Glichen donationem ratam habet.

An. 1228. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. SYFRIDUS DEI Gratia Sanctæ Mogguntinæ Sedis Archi-Episcopus præsentibus & futuris Fidelibus præsentem Paginam inspectutis salutem in Domino æternam. Quoniam Memoria nihil perdit nisi ad quod non sæpe respicit, præsertim cum nihil in eodem statu permaneat, & præterita recentibus obruantur, ea quæ à nobis rationabiliter gesta sunt, ne in dubium aut oblivionem veniant, Scripturæ curavimus Testimonio perhennare; Notum igitur volumus Universis, quod Bonæ Memoriæ Comes LAMPERTUS de GLICHEN quoddam Nemus quod Buchenberg dicitur, quod à Nobis in Feodo tenuit, pro Benedictionis Memoria sibi comparanda & Animæ suæ Remedio, Ecclesiæ Apostolorum Petri & Pauli in Erpfordia, salvo tamen nostro Jure contulit, eo tenore, ut si nostra promissio mediantibus Filiis suis Comitibus ERNESTO & HEINRICO, quibus ipsam causam commiserat promovendam, suæ oblationi accederet, Restaurum æquipollens pro Estimatione dicti Nemoris in tribus Mansis suæ proprietatis in Magolsleybin sitis Ecclesiæ Maguntinæ proveniret: Nos itaque sui Voti Devotionem irritare nolentes, præfatum Nemus à Filiis suis manumissum, & tribus mansis à Nobis in Feodo receptis tam pro petitione ipsorum, quam etiam pro Dilectione Abbatis tunc temporis HEINRICI & totius Conventus ab omni exactione Liberum, Ecclesiæ memoratæ coram Clero & nostris Ministerialibus tradidimus; ne igitur quis imposterum hanc seriem nostræ Donationis irritare præsumat, hanc Paginam præsentis Negotii testimonialem anathemate Apostolorum Petri & Pauli & nostro confirmatam Sigilli nostri appensione Robotavimus.

Testes hujus rei sunt Conradus Præpositus S. Mariæ in Erphordia, Willehelmus Præpositus S. Mauritii in Moguntia, Heinricus Præpositus in Pinguia, Conradus Præpositus Montis S. Cyriaci, Conradus Præpositus S. Augustini, Ditmarus Præpositus Novi-Operis, Guntherus Decanus S. Mariæ, Ditmarus Decanus S. Severi, Arnoldus Scholasticus S. Petri in Maguntia, Ludewicus Scholasticus S. Mariæ. Laici autem hi sunt: Fridericus de Kelbetowa, Heinricus de Meldingen, Lutigerus de Bezzingen Villicus Civitatis & alii quamplures tam Ecclesiasticæ quam Sæculares Personæ.

Acta sunt hæc Anno ab Incarnatione Domini MCCXXVIII. Indict. I. Pontificatus nostri Anno XXVII.

XVI.

Ernesti & Heinrici Comitum de Glichen in Cœnobium S. Petri Beneficentia.

An. 1235. ERNESTUS & HEINRICUS DEI Gratia Comites in GLICHEN omnibus in perpetuum. Notum facimus Universis quod cum Bonæ Memoriæ FRIDERICUS olim Miles de BUSILEYBIN, Patre nostro Comite LAMPERTO de GLICHIN, adhuc superstite, ex hac vita decedens Bonorum suorum, quæ in prætaxata villa possedit Ecclesiam Beatorum Aposto-

Apoſtolorum Petri & Pauli in Erford feciſſet Hæredem, Manſum unum de quo pro Jure Advocatiæ dicto Patri noſtro duo ſolidi annuatim perſolvebantur, Eccleſiæ memoratæ aſſignavit, cujus congaudentes Devotioni, Factum tale approbamus, ſimulque Eccleſiam in collocatione Exercitus à nobis aggravatam conſiderantes, totidem ſolidos qui de manſo Bertheradæ Viduæ nobis ſolvebantur, ſæpedictæ aſſignavimus Eccleſiæ.

Teſtes hujus rei ſunt Heinricus & Ludovicus Fratres de Meldingen, Fridericus de Memvardisberc, Helwicus de Suwelt, Otto de Waleſleibin, Conradus ejusdem Eccleſiæ Villicus & alii plures.

Acta ſunt hæc Anno Domini MCCXXXV.

XVII.

Traditio ſolemnis Criſtani Comitis de Kirchberg.

CRISTANUS DEI Gratia Comes in Kirchberg omnibus in perpetuum. Noverint An. 1236. Univerſi ad quos præſens pervenerit Scriptum; Beneficium & Bona cujusdam GERHARDI in Ypeche, quæ nos ex Proprietatis Jure poſſedimus, ipſo Gerhardo defuncto, Nobis in propriam Ditionem ceſſiſſe, quæ Bona IV. ſcilicet manſos & VIII. Areas in prænominata Villa ſitas, cum omni proventu, Uxore noſtra MECHTILDE & Filiis noſtris VOLRADO, CRISTANO, HEINRICO, GOZMARO, & THEODORICO, Filiabusque noſtris LUCKARDE, MECHTILDE & BERCHTA omnino exhæredatis, in manus HEINRICI Abbatis Montis Apoſtolorum Petri & Pauli in Erfordia liberè & integraliter tradidimus poſſidenda: ſciendum præterea quod Nos dicta Bona memoratæ Eccleſiæ conſervanda, in manus Domini Provincialis HEINRICI, dum Juri Provinciali in Mitelhuſen præſideret multis coram aſtantibus reſignavimus, nullam nobis omnino vel noſtris Hæredibus inpoſterum in ſæpedictis Bonis reſervantes exactionem.

Teſtes hujus rei ſunt Theodoricus Comes de Honſtein, Heinricus Comes de Kirchberg, Adelbertus de Ebileibin, Godefridus de Suzere & alii quamplures.

Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXVI. Indict. VIII.

XVIII.

Sigifridi III. Archi-Epiſcopi Moguntini Donatio omnium Proventuum Parrochiæ in Alch.

SIFRIDUS DEI Gratia Sanctæ Moguntinæ Sedis Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per An. 1244. Germaniam Archi-Cancellarius, Dilectis in Chriſto Abbati & Conventui Montis S. Petri Erfordienſis ſalutem in Domino. Dignum omnino cenſemus & conſentaneum rationi, ut eos, quos in Fide & Devotione noſtra ſemper hactenus comperimus indefeſſos, favorabiliter proſequamur Munificentia etiam ſpeciali: hinc eſt quod veſtræ Devotionis reſpectu, obtentu quoque Precum HEINRICI de MELDINGIN Fidelis noſtri vobis veſtrisque Succeſſoribus in perpetuum Auctoritate præſentium indulgemus, ut Eccleſiam de Alch, in qua Jus Patronatus habetis, pleno Jure de coetero ex noſtræ Donationis & Auctoritatis Gratia poſſidentes Redditus & Proventus ipſius in Prebendarum veſtrarum ſubſidium convertere licitè valeatis, Jure Archidiaconi per omnia ſibi ſalvo: nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ Donationis & Indulgentiæ paginam infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attemptare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis DEI & Beatorum Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum:

Datum FRITISLARIÆ Anno Incarnationis Dominicæ MCCXLIV. V. Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno XV.

XIX.

Traditio Ernesti Comitis Glichen.

An. 1249. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego ERNESTUS Comes de GLICHIN Notum facio per præsentem Paginam tam præsentis quam futuri temporis Hominibus, quod cum pleno consensu Filiorum meorum ERWINI & ALBERTI, XIV. mansos in Alch sitos, cum omnibus proventibus suis & usibus michi servientibus, Ecclesiæ B. Petri in Erphordia perpetuo Jure cum omnibus suis appendiriis sub hac Forma possidendós contradidi, triginta igitur marcas argenti ab Henrico Filio Henrici Suevi accommodavi, quam summam argenti eidem Henrico in Dacia me redditurum aut valentia aut argento devovi, sub hac conditione, ut si dictum argentum aut valentiam ejusdem inter Daciam & Erphordiam, incommodo succedente perdiderit Conventus S. Petri in Erphord XL. marcas argenti in Festo S. Martini proximo futuro, loco mei pondere pleno redonabunt.

Testes hujus rei sunt ex parte mea, Otto de Wechmar, Hermannus Advocatus, Conradus Tuftulberg, Albertus Advocatus de Elchskesleben, Fridericus de Biltirsleben, & alii plures.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCXLIX. Indict. VII.

XX.

Commutatio quorundam Bonorum inter Andream Abbatem S. Petri & Ekkehardum de Ballenhusen.

An. 1255. EKKEHARDUS de BALLENHUSEN dictus de SUMMERINGEN Miles, ne Posteris veniat in dubium quod probis & honestis Viris mediantibus, deliberatione provida, fuerit diffinitum, hinc est quod notum esse cupio, quod Ego ex permissione dilectæ Uxoris meæ LUCARDIS ac Puerorum meorum consensu cum venerabilibus Dominis, Domino ANDREA Abbate, & Conventu Monasterii S. Petri in Erphordia super quibusdam Bonis meis feci concambium, volens illud à meis Heredibus irrefragabiliter observari. Bona quæ Ego dictis Dominis in concambio præsentavi sunt hæc: in Walesleybin Bona solventia annuatim III. fertones. In Rasdorff IV. mansos, in Herbersleyben dimidium mansum.

Testes hujus Facti sunt: Venerabilis Dominus GERARDUS Archi-Episcopus Moguntinus, Fridericus Præpositus Northusensis, Dominus Heydenricus Abbas Bursfeldensis, Magister Bertoldus ejusdem Archi-Episcopi Scriptor, Fridericus de Drivordia Senior, Bertoldus Vice-Dominus, Heinricus Pincerna dicti de Appolr, Ecckehardus de Wartperg Milites, & alii Fide digni.

Acta sunt hæc ERFORDIÆ Anno Domini MCCLV. Kal. Novemb. Regnante Gloriosissimo Domino WILLEHELMO Rege Romanorum.

XXI.

Charta Henrici Comitis de Honstein, qua Donationem Maroldi & Witegonis Militum de Linderbeche Ratam habet.

An. 1268. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Cum memoria Hominum labilis sit, nec multitudinem Rerum gestarum, ac Longitudini Temporum sufficiens esse possit, dignum est pariter & consultum, ut ea quæ geruntur in tempore, Scripturæ Testimonio perhennentur; hinc est quod Nos HEINRICUS DEI Gratia Comes de HONSTEIN Recognoscimus, & omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit cupimus esse notum, quod MAROLDUS Miles, & WITEGO Fratres de Linderbeche Ligna seu Virgultum quoddam, quod in Feodo tenebant à nobis, situm juxta Fontem Comitis, & imme-

immediate attingit fundum Monasterii S. Petri in Erfordia qui dicitur Himzlire, jam dicto Monasterio S. Petri vendiderunt: Nos itaque una cum nostra Conjuge ac Hæredibus nostris, prædicti Fundi proprietatem donamus & tradimus sæpedicto Monasterio S. Petri præfato in Remedium animarum nostrarum, super eo præsentem paginam dantes Sigilli nostri munimine roboratam. Nos MECHTILDIS Comitissa, THEODERICUS & HEINRICUS Comites Juniores de HONSTEIN, huic donationi consentimus, & donamus præhabitum Feodum Monasterio prælibato, & quia Sigilla propria non habemus Sigillo Patris nostri sumus contenti.

Testes hujus sunt. Abbas de Ilfelt. Albertus decanus S. Mariæ. Hermanus de Bezzingen Walterus de phurre. Burchardus de Badungin. Hugo de Alinhusen. Maroldus de Vrbech Heinricus de Wie, milites. & alii plures.

Acta sunt hæc. Anno Domini. MCCLXVIII.

XXII.

Traditio Comitum Keverenberg.

NOs GUNTHERUS & GUNTHERUS Fratres Dei Gratia Comites de KEVERENBERG tenore præsentium profitemur, & Constare volumus, Litteras has visuris, quod Bona quondam Lupoldi de Arnestete sita alicb, illa quæ Hugo Longus Erfordiensis à nobis in Feodo habuit, Religiosis viris Abbati & Conventui Montis S. Petri Erfordiens. donavimus perpetuo Libere possidenda, in præsentia Ministerialium ac Militum Nostrorum quorum Nomina sunt subscripta, & ad Abundantem certitudinem simul & Donationis hujus perpetuam Stabilitatem, has Nostras Litteras de hac confectas ipsis dedimus ad munimen Sigillo nostro, sicut moris est, firmiter roboratas: An. 1270.

Testes hujus rei sunt Theodoricus de Willirchsleibin Theodoricus de Borzlebin, & Guntherus Fratres. Hermannus de Langenselt. Hugo & Heinricus Fratres de Chaneim; Eilgerus de Rorhusen. Fridericus Raift de Heilbach. Eilgerus & Rudigerus Fratres Filii quondam Rudigeri Advocati de Arnestete & alii plures.

Acta sunt hæc Anno Gratiæ MCCLXX.

XXIII.

Traditio Alberti & Ernesti Comitum de Glichenstein.

NOs ALBERTUS & ERNESTUS Fratres atque Comites Dei Gratia de GLICHENSTEIN, ad Futurorum Noticiam simul & Modernorum cupimus pervenire, quod advocatiam atque omne Jus quod dinoscimur habuisse de una Curia nec non de manso uno & dimidio quos possidebat & habebat Ludovicus Filius Diteleibi de Hogstete Jure Feudali à nobis per plurimos annos, illud præfatum Jus Integraliter cum omni Jure tribuimus & Donamus Claustro atque communitati S. Petri in Erford pure & principaliter propter Deum nec non in memoriam sempiternam: Ne autem super hoc facto aliquod dubium seu aliqua questio nocitura oriatur, ut firmius habeatur donamus Sigilli nostri munimine roboratam, super eo Testes hujus rei sunt Dominus Theodericus de Witerde, & Conradus de Cranichvelt milites. Ernestus de Lengenselt, advocatus. Reinfridus de Herversleiben. Rudigerus & Conradus Fratres de Hogstete; & alii plures fide digni. An. 1273.

Actum Anno Gratiæ MCCLXXIII.

XXIV.

Traditio Guntheri Comitis de Swartzburg.

An. 1279. NOs Guntherus Dei Gratia Comes de Swartzburg tenore præsentium Recognoscimus, & constare cupimus omnibus has Litteras visuris, quod mansum unum situm Vdestete, solventem annuatim duo Maldra Frumenti & duo Ordei, quæ Conradus miles de Bulwiz à Nobis in Feodo habuit; una cum Conjuge nostra, Günthero, Henrico, Comitibus Filiis nostris, ac aliis Hæredibus nostris, donavimus & tradidimus Religiosis Fratribus Abbati & Conventui Monasterii S. Petri Erford. pro Remedio Animarum Nostrarum, super eo præsentem paginam ipsis dantes, Testium subscriptione & Sigilli nostri munimine roboraram.

Testes hujus rei sunt Dominus Otto de Marnsowe. Hugo de Alrihusen. Lutolphns de Brandenstein. Theodoricus de Billitichsleybin. Hermannus de Wiceleybin. & Otto de Swartzburg, milites. Albertus Vice-Dominus Erford. & alii quam plures.

Acta sunt hæc Anno Domini MCCLXIX.

XXV.

Alberti Landgravii Turingiæ Confirmatio Donationis Henrici & Theodorici militum de Vrpeche.

An. 1279. NOs Albertus DEI Gratia Thuringiæ Landgravius & Saxoniæ Comes Palatinus, tenore præsentium Recognoscimus & constare volumus universis quod Venerabilium Virorum Domini Andreæ Abbatis ac Conventus Monasterii Monris S. Petri Erford. precibus devotis aures Clementiæ Inclinantes mansum unum situm in Novo Foro solventem annualiter quatuor Talenta quem Fideles nostri Heinricus & Theodoricus Fratres milites de Vrpeche S. Viti, dicti Calvi, pro redemptione Peccatorum suorum eisdem cum consensu Conjugum suarum Legaverunt, donavimus Liberaliter ipsis, & eorum Monasterio, Titulo proprietatis quiete & pacifice perpetuo possidendum. Testes hujus facti sunt Nobilis Vir, Comes Albertus de Glichenstein Heinricus Præpositus S. Nicolai in Isenach, Hermannus de Hirsingerode, Magister coquinas nostræ; Heinricus Topelstein, Mathias & Marquardus Curiæ nostræ scriprores.

Facta est hujus collarionis & Donationis confirmatio. Anno Domini MCCLXXIX. in Crastino ascensionis Domini.

XXVI.

Traditio Friderici & Ludevici militum de Buzingesleyben.

An. 1297. ACta Solemniter delet oblivio, nisi Litterarum fulciantur Privilegio, hinc est quod Nos Fridericus & Ludevicus Fratres dicti Cancri de Bulzingesleybin una cum matre nostra Bia Recognoscimus publice, quod de communi consensu puerorum Fratris nostri Hermanni bonæ memoriæ & ob Specialem dilectionem avunculi nostri Domini Hermanni Monachi Ecclesiæ S. Petri Erphordiæ dedimus ipsi Ecclesiæ Mansum proprietatis nostræ ad nos Jure Hæreditario devolutum, situm in summeringen S. Gangulphi, propter Deum, tali prævia Ratione quod cum totali pensione hujus mansi, post mortem prædictæ matris nostræ Biæ, annis singulis Casei Comparentur ac ad consolationem prædictæ Ecclesiæ Conventus die Dominico fideliter ministrentur, pro quo in Anniversariis nostris memoriam nostri peragent cum devotione debita. Ut igitur tam nostra Donatio quam eorum devotio firma & inviolabilis in perpetuum perseveret, nos præsens scriptum de hoc confectum dedimus sæpedictæ Ecclesiæ ad munimen & id Sigillo nostro fecimus communiri.

Testes

Teſtes hujus ſunt Ekkehardus Decanus S. Mariæ Erfordienſ. Hermannus Monachus Montis S. Petri Ludovicus Scolaris de Bezzenheim, Guntherus de Frunendorp & alii plures, Clerici & Laici. dat Erphordiæ Anno Domini MCCXCVII. Kalend. Junii.

XXVII.

Traditio Friderici Comitis de Rabinswalt.

NOs Fridericus DEI Gratia Comes de Rabinswalt dictus de Wie Recognoſcimus tenore præſentium Litterarum, dilucide profitentes quod ad honorem DEI Omnipotentis ac in Laudem apoſtolorum Petri & Pauli, nec non ob noſtræ animæ ſalutem, XLII. agros Lignorum de ſilva quæ Grebenize vulgariter nuncupatur infra terminos Caſtrorum Tundorff & Berka, quos inquam agros Bertoldus dictus Cloz Caſtrenſis in Tundorff à nobis tenuit titulo Feodali, & ad noſtras manus voluntarie reſignavit, omnibus ſuis Hæredibus conſentientibus Honorabili Viro Domino Abbati totique Conventui Monaſterii Beatorum apoſtolorum Petri & Pauli in Erfordia appropriavimus, & in proprium damus, Litteras per præſentes, ad cujus donationis & appropriationis Tutelam per nos pie & Liberaliter factam, ne per nos ſeu noſtros hæredes aliqualiter violetur, præſentem Litteram deſuper conſcribi fecimus & noſtro Sigillo ac Sigillo Domini Hermanni dicti Kaputz Proviſoris Allodii Erfordenſis Venerabilis Domini G. Archiep. Moguntini præfato Abbati ſuoque Conventui dedimus confirmatam. An. 1304.

Teſtes hujus rei ſunt Henricus de Mure Miles Frowinus de Cimmern, Bertoldus dictus Cloz patruelis ſupradicti Bertoldi.

Actum & datum Non. Julii Anno Domini MCCCIV.

XXVIII.

Traditio Henrici Comitis de Svvartzburg.

NOs Heinricus DEI Gratia Comes, Filius Domini Guntheri piæ memoriæ de Swartzburg Comitis, Recognoſcimus, quod ob Honorem Omnipotentis DEI & ob Reverentiam Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, duos manſos terræ arabilis in Campis villæ Vehſtete ſitos, quos ſtrenui & famoſi viri Berngerus & Rudolfus Fratres dicti de Vehſtete à nobis hactenus in Feodo tenuerunt, Religioſis Viris Domino Abbati ejusque Conventui Monaſterii S. Petri in Erford donamus appropriamus Litteras per præſentes conſenſu Fratrum noſtrorum accedente, pro noſtrarum omnium Remedio animarum. An. 1320.

Teſtes hujus rei ſunt Conradus Weyer. Albertus de Stuterenheym. & Eylgerus de Thanheim, milites. Albertus de Hoppfgarten, nec non Theodericus de Vrenſtete Notarius, & alii plures.

Datum & Actum in Arnstet Anno Domini MCCCXX. VI. Idus Feb.

XXIX.

Renuntiatio ſolemnis Hermanni Comitis de Glichen in Favorem Cœnobii S. Petri ſuper Jure Advocatiæ in diverſis Locis.

IN Nomine Domini Amen. Ne ea quæ geruntur in tempore ſimul Labantur cum Lapſu temporis neceſſarium & cautum eſt ea ſcripturæ firmitate & teſtimonio perhennari, quoniam igitur ſecundum Apoſtolum Omnes ſtabimus ante Tribunal DEI recepturi prout in Corpore geſſimus ſive Bonum quod fuerit ſive malum; unde ne- An. 1321.

ceſſarium nobis eſt diem extremæ meſſionis operibus miſericordiæ prævenire, quia qui pareè ſeminat, pareè & metet: hine eſt quod nos HERMANNUS DEI Gratia Comes de GLICHEN volentes in vita noſtra ſaluti animæ noſtræ ac Remedio providere, cum nihil ſit certius morte & incertius hora mortis, DEO omnipotenti & Beatis Apoſtolis Petro & Paulo, ae honorabilibus & Religioſis Viris Domino Abbati, & Conventui Monaſterii S. Petri Erford. ob ſalutem animæ noſtræ offerimus, damus & Reſignamus purè & Liberaliter propter DEUM Advocatias & Jus advocatieium tam Corporale, quam Incorporale, cum omnibus pertinentiis & Juribus ac Vaſſallis noſtris & omne Dominium directum & utile ac uſufructu cum omnibus redditibus in villis & campis Gothinſtete, Alich, Bintisleybin & Tiſental quas hactenus nos & progenitores noſtri ex certa ſcientia à præfato Monaſterio, & nullo alio habuimus & tenuimus titulo Feodali, volentes ut dictum Feodum cum omnibus ſuis pertinentiis ſupradictis ad præfatum Monaſterium S. Petri, tanquam ad Dominum proprietatis penitus revertatur. Obligantes nos & omnes Hæredes, Cohæredes & ſucceſſores noſtros utriusque ſexus ad obſervantiam prædictæ donationis, oblationis Reſignationis & Elemoſinæ præ factæ.

Acta ſunt hæc Anno Domini MCCCXXI. V. idus Martii.

XXX.

Traditio Guntheri Militis facta de Conſenſu Friderici & Hermanni Comitum de Orlamunde.

An. 1327. NOs FRIDERICUS & HERMANNUS DEI Gratia Comites de ORLEMUNDE, Domini in Wymar, Recognoſcimus quod GUNTHERUS dictus CLOZ Caſtrenſis in Tundorff veniens ad noſtri præſentiam, quosdam agros Lignorum ſeu Lignetum, qui vel quod By eyme Tuſſinborn nuncupatur, ſitos in terminis & campis villæ Gutendorp quos præfatus Guntherus à nobis hactenus in Feodum tenuit, Libere & motu propriæ voluntatis, prout moris, eſt nobis Legitime & pure reſignavit, nos vero agros Ligneti prædictos dicto Domino abbati donavimus & appropriavimus, & in his ſcriptis appropriamus, quam quidem appropriationem Domino Abbati & Conventui ob Remedium animarum noſtrarum & omnium parentum noſtrorum ſalutem Libere factam pro nobis & noſtris ſucceſſoribus promiſimus & promittimus gratam & firmam tenere ac eam inviolabiliter obſervare.

Dat. Anno Domini MCCCXXVII. præſentibus Hermanno de Leyvelt, Gernodo de Obirwymar militibus noſtris & aliis quam pluribus fide dignis.

XXXI.

Traditio Hermanni Comitis de Glichen.

An. 1333. IN Nomine Domini Amen. Nos HERMANNUS DEI Gratia Comes, Dominus in GLICHEN Recognoſcimus & in his ſcriptis publice profitemur, quod ob Honorem omnipotentis DEI ae Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum nec non animæ noſtræ, & animæ SOPHIÆ conthoralis noſtræ Legitimæ, ae omnium progenitorum noſtrorum animarum ob Remedium & ſalutem, VIII. Manſos & unum quartale Terræ arabilis, ſitos in Terminis & Campis villæ Ollendorff, & certos Redditus de Curys ibidem cum omnibus dictorum Bonorum Juribus, redditibus, ae proventibus, cum medietate Judicii tam civilis quam Criminalis ae medietate Juris Patronatus Ecclefiæ B. Petri in villa prædicta, prout ipſa Bona ſtrenuus Vir Rudolfus de Meldingen miles à nobis in Feodum hactenus tenuit, Religioſis in Chriſto Viris Domino Abbati & Monaſterio S. Petri Erfordienſi donamus & appropriamus in his ſcriptis, in quorum evidens Teſtimonium præſentem hanc noſtram litteram Domino Abbati & Conventui prædictis damus ſub appenſione noſtri Sigilli fideliter Communitam. Teſtes hujus donationis ſunt Hermannus de Sybileibin Cappellanus noſter, Albertus de Wyterde miles Berngerus de Meldingen, Heinricus de Arnſtete Advocatus noſter. Albertus de Noteleybin Heinricus de Kongiſſe, Caſtrenſes noſtri. & alii plures.

Datum Anno Domini MCCCXXXIII.

II. Ex-

II.

EXCERPTA EX NECROLOGIO EJUSDEM COENOBII.

JANUARIUS.

III. Non.	*Theodoricus* Abbas Bursfeldensis.
	Cunigunt. hæc dedit XX. Talenta.
VIII. Idus.	*Henricus* Abbas.
VII. Idus.	*Wicelo* Abbas.
V. Idus.	GUNTHERUS Abbas in Northusen, qui in hoc Monasterio curam pastoralem digne ac Laudabiliter XLIII. annis gessit, postmodum verò propter invalidam ætatem sponte Abbatiam resignat, va[illegible] etiam in vitâ suâ construxit.
	Theodoricus Comes.
IIII. Idus.	*Georgius* Abbàs Pegaviensis.
XIX. Kal. Febr.	CRISTIANUS Abbas nostræ Congregat.
	Margaretha Laica. hæc dedit Ornatum Blavium de Damasco similem apostolicis.
XVIII. Kal.	*Gisela* Comitissa.
XIIII. Kal.	Depositio Domni THAGOBERTI Regis Francorum.
XIII. Kal.	Depositio Domni BALTUWINI Archi-Episcop. Trevirens.
	Henricus Comes, qui dedit Purpuram, Equum & X. Solidos.
XI. Kal.	*Johannes* Abbas Hildeslevensis.
VII. Kal.	*Henricus* Abbas S. Mariæ Trevir.
VI. Kal.	VOLCKMARUS Abbas nostræ Congregationis.
	Adelheid Laica, quæ dedit VI. Marcas.
	Luckardis. hæc dedit II. Calices, II. Mansos, dimidiam Marcam auri & XV. Talenta.
V. Kal.	*Johannes* Decanus in Werngerode.
	Ernestus Comes de *Glichen.*
IIII. Kal.	*Theodoricus* Comes, hic dedit II. Talenta.
II. Kal.	*Nicolaus* Abbas.

FEBRUARIUS.

IIII. Non.	*Udalricus* Abbas Bambergensis.
	Wentelgard. quæ dedit Calicem, Albam, & Pallam Altaris.
	Conradus Præpositus. qui dedit VII. Maldra Frumenti.
	Uta Laica. hæc dedit Annulum aureum & XI. Marcas.
III. Nonas.	*Johannes* Abbas S. Mariæ Treviris.
VIII. Idus.	*Johannes* Abbas Bursfeldensis primus Reformalis.
V. Idus.	*Johannes* Abbas Tholeyensis.
	Rappoto Abbas.
IIII. Idus.	BURCHARDUS Abbas nostræ Congregationis, hujus Monasterii Reædificator ac totius Boni fidelissimus Operator.
	Lupoldus Abbas S. Gothardi Hildesh.
	Ernestus Comes.
	Henricus Laicus, nostri Monasterii Præbendarius, qui se & sua dedit.
II. Idus.	RABOTO Abbas nostræ Congregationis.

Depositio

XIII. Kal. Mart.	Depositio Domni SIFFRIDI Archi-Episcop. Mogunt.
	HARTUNGUS Abbas nostræ Congregation.
	Dithmud Inclusa.
	Elisabeth Abbatissa.
XII. Kal.	*Engilbertus* Præpositus, qui dedit IV. Marcas & II. Maldra Frumenti.
X. Kal.	*Henricus* Laicus. hic dedit Curiam valentem VIII. Marcas.
	Jutta Laica. hæc dedit Agrum.
IX. Kal.	PETRUS Abbas nostræ Congregation.
VIII. Kal.	*Conradus* Laicus, qui dedit Equum.
VI. Kal.	*Hubertus* Episcopus.
V. Kal.	*Martinus* Abbas Swartzacensis.
	Boppo Laicus dedit Curiam & II. Mansos.
II. Kal.	HARTUNGUS Abbas nostræ Congregat.
	Theodoricus Abbas Reinhusensis.

MARTIUS.

Kalend.	*Henricus* Abbas Hombergensis.
VI. Non.	*Conradus* Abbas in Hasungen.
VII. Idus.	*Benedictus* Abbas in Monehenrodt.
	Sigismundus Comes.
	Elisabeth Comitissa. hæc dedit XX. Talenta annuatim.
	Gebehartus Monach. Scriptor.
XVI. Kal. April.	*Ernestus* Comes. hic dedit XX. Marcas.
	Jutta Inclusa.
VIII. Kalend.	*Ditmarus* Conversus hic construxit Capellam S. Annæ.
	Albertus Comes.
V. Kalend.	*Clara* Laica. hæc dedit mille & Centum Florenos.

APRILIS.

V. Non.	VOLMARUS Abbas nostræ Congregation.
VII. Idus.	RUDIGERUS Abbas nostræ Congregation.
VI. Idus.	*Pilgrimus* Laicus. hic dedit Equum & V. Marcas.
	Bertramnus Laicus. hic dedit plusquam LX. Marcas.
	Agnes Comitissa.
III. Idus.	*Albertus* Episcopus.
	Jacobus Abbas Trajectensis.
IIII. Idus.	*Petrus* Abbas in Posavia.
	Conradus de Fulda. Doctor in Medicinis nostræ Congregationis Physicus, qui dedit Calicem, & alia legavit in valore XXX. Florenor.
XVII. Kal. May.	*Gerhardus* Abbas S. Petri propè Merseburg.
	Bertholdus Laicus, qui dedit XL. Solidos annuatim.
XIIII. Kal.	*Jacobus* Abbas Trajectensis.
	Christina Monacha. hæc dedit nobis Agros.
	Berengerus Laicus. hæc dedit XX. Talenta annuatim.
VII. Kal.	*Ludewicus* Comes de *Glichen*, qui dedit Casulam auream. 1467.
V. Kal.	*Luckardis* Comitissa, quæ dedit aliqua Bona.
IIII. Kal.	*Lubertus* Abbas. S. Jacobi.

MA-

MAJUS.

VI. Non.	Depositio Domni RUTHARDI Archi-Episcop. Mogunt. qui dedit nobis Cellam propè Werram.
IIII. Non.	DITMARUS Abbas nostræ Congregat.
	Wernherus Abbas.
III. Non.	*Remboto* Comes, qui dedit XVIII. Marcas.
II. Idus.	*Piligrimus* Abbas.

JUNIUS.

V. Idus.	Depositio Domini MARCULPHI Archi-Episc. Mogunt.
XIII. Kal. Julii.	ROMANUS Rex Ruthenorum. hic dedit nobis XXX. Marcas.
X. Kal.	*Henricus* Gasman Sacerdos, qui dedit Corpus Biblie valens L. Florenos.
VIII. Kal.	*Timo* Abbas.
VI. Kal.	*Conradus* Abbas S. Stephani Herbipol.
	Albertus Abbas Homburgens.
	Isentrudis Laica. hæc dedit Clamydem.
IIII. Kal.	*Andreas* Abbas Bergensis.
II. Kal.	JOHANNES Abbas nostræ Congregationis.

JULIUS.

VI. Non.	*Berchtochus* Miles. quidedit Mansum, X. Solidos & Mancipium.
V. Non.	*Agnes* Comitissa.
III. Non.	*Rupertus* Abbas.
V. Idus.	*Bertramnus* Laicus. qui dedit Palifredum.
IIII. Idus.	*Johannes* Abbas Husenbergens.
	Johannes Abbas in Nuwenstar.
Idibus.	*Theodoricus* Abbas Hugsbergensis.
XIII. Kal. Aug.	*Johannes* Abbas Mindensis.
XI. Kal.	*Johannes* Abbas Hildesheim.
	Nicolaus Abbas S. Michaëlis Gerodens.
IX. Kal.	*Adam* Abbas Bruwilrens.
V. Kal.	HELMBURG Comitissa, pro qua datum est Dorsale.

AUGUSTUS.

IIII. Non.	*Nicolaus* Abbas in Hildesleven.
III. Non.	Depositio Domni RUDOLFI Archi-Episcop. Saltzburgens. qui dedit XXX. Marcas.
II. Non.	*Sophia* Comitissa, quæ dedit LX. Marcas.
VII. Idus.	*Nicolaus* Monachus nostræ Congregat, qui multa scripsit.
V. Idus.	*Fridericus* Abbas Puzoviensis.
III. Idus.	JOHANNES Abbas Bursfeldensis, primus Reformator hujus Monasterii. Obiit Anno MCCCCLXVIII.
II. Idus.	WERNHERUS Abbas nostræ Congregat.
XIX. Kal. Sept.	*Petrus* Abbas in Oratorio Dacie.
XVIII. Kal.	*Johannes* Abbas S. Panthaleonis Coloniæ.
	Sifridus Laicus. qui dedit Calicem pretiosum.

Jutta Comitissa.
XVII. Kal. *Reinherus* Abbas Gorbejensis.
XIIII. Kal. *Ernestus* Comes. hic dedit Purpuram.
XIII. Kal. *Johannes* Abbas. S. Mathiæ Treviris.
IX. Kal. *Hermannus* Clericus. hic dedit Sericum Pannum.
VIII. Kal. Depositio Domni OTTACHARI Regis Bohemiæ, qui dedit LXXX. Marcas.
III. Kal. *Theodoricus* Abbas in Werdena, quondam hujus Coenobii prior, Sepultus circa Altare S. Bonifacii, qui procuravit Ecclesiæ nostræ preciosas Reliquas. Anno MCCCC. LXXXX.
II. Kal. *Odegeba* Laica. hæc dedit Casulam coccineam, & XI. Marcas.

SEPTEMBER.

IIII. Non. Depositio Domni HENRICI Archi-Episc. Mogunt, qui dedit Talentum annuatim.
III. Non. *Ervvinus* Abbas Rastedrensis.
Sophia Comitissa. hæc dedit Mansum.
VIII. Idus. ADOLFI Archi-Episcop. Mogunt.
Godefridus Comes. hic dedit nobis Purpuras.
VII. Idus. *Nicolaus* Abbas in Ringelheim.
Ervvinus Comes.
XVIII. Kal. Octob. *Lampertus* Comes. qui dedit II. Mansos, & Lignum in Buchinberch.
XIII. Kal. *Wolframus* Abbas Hirsaugiens.

OCTOBER.

Nonis. *Henricus* Abbas Hildesheimens.
Hermannus Decanus.
III. Non. *Henricus* Laicus. hic dedit III. Mansos. II. Molendina, & XXIIII. Mancipia.
II. Idus. *Gerhardus* Abbas in Osbruck.
Albertus Comes. hic dedit XV. Marcas & dimidiam.
XVI. Kal. Nov. *Karolus* Comes de *Gliechen*. MCCCCXCVII.
XI. Kal. *Ervvinus* Abbas Isburgensis.
X. Kal. GEILPHRADUS Abbas nostræ Congregat.
V. Kal. *Theodericus* Abbas.

NOVEMBER.

III. Idus. *Hildeburg* Laica. hæc cum viro suo multa Ecclesiæ nostræ comparavit.
XVIII. Kal. *Thomas* Abbas Pegaviensis.
XIIII. Kal. *Henricus* Comes.
X. Kal. *Bonifacius* Abbas Limburgensis.
Irmingardis Comitissa. hæc dedit Tapetum & sericum Pannum.
V. Kal. *Henricus* Abbas in Abinchoven.
II. Kal. *Romanus* Abbas Gerodiensis.

DECEMBER.

Kalend. *Adela* Comitissa, pro qua dati sunt VI. Mansi.
Idibus. *Joannes* Abbas Trevirens.

Wede-

XV. Kal. Jan.	*Wedekindus* Abbas in Baldenstet.
XIII. Kal.	*Bertoldus* Abbas in Homburch.
	Erasmus Abbas in Velsdorf.
	Hildegunt Laica. hæc dedit prætiosam Pallam & XV. Talent.
XII. Kal.	*Wernherus* Abbas Hersfeldens.
X. Kal.	*Bernhardus* Abbas Northeimens.
IX. Kal.	*Gisela* Laica. hæc dedit annuatim II. Talenta & VII. Marcas.
II. Kal.	*Henricus* Marchio.
	Melchior Abbas in Schonaviâ.

III.

ANONYMI CHRONICON WIRTEMBERGENSE.

COmites de Wirtemberg inter totius Alemanniæ de Majoribus sunt potentissimi: Sunt autem Originaliter de istis Nobilibus Romanis advenis quos Carolus M. dum Liberasset Leonem Papam de Manibus Romanorum, secum duxit in partes Alemanniæ, & in alias mundi Regiones dispersit, ne sedem Apostolicam ulterius molestarentur Romæ, & quia Omnes Generosi Nobiles erant utpotè de Vetustissimorum Trojanorum Sanguine exorti, & Nobilitate & Ratione Excellentes, nequaquam eos servituti subjecit, sed his assignavit Principatus, illis Comitatus, istis Baronias, aliis Dominia, Castra, possessiones, juxta suorum meritorum Qualitates, Kyburg, Helfenstain, Habspurg, Ruck & similia multa & de istis creditur fuisse etiam Castrum Wirtemberg, & ut Magnanimi ultra Rhenum in Alsatiam Dominificaverunt usque in Burgundiam superiorem Alas extenderunt in Montem Pelligardi.

Circa ANNUM DOMINI MC. Vixit & Claruit Adelbertus Comes Wirtembergensis, Vir omni genere Virtutum & Honorum Insignibus præstantissimus atque in Rebus Bellicis strenuissimus, Patriæ & suorum simul defensor acerrimus ac contra Hostes Triumphator Magnificus, qui uxorem habuit Luitgardam Nobilissimam Comitissam, sororem Engelberti de Hallone ex Norico; ex præfata Luitgarda Conjuge Adelbertus quatuor Liberos sustulit, Berchtoldum, Conradum, Adelbertum & N. Filiam.

ANNO DOMINI MCXX. è vivis jam sublato Adelberto, Luitgarda ejus Vidua devotissima Ordinem & Regulam Sacrarum Monialium in Monasterio Berone non longè à Sancto Blasio in Hercinio saltu distante, assumpsit, ubi & vitam feliciter in summa Religionis perfectione finivit & ad Dominum migravit, sexto tum Abbate nomine Berchtoldo apud S. Blasium existente, quod Monasterium S. Blasii prædicta Luitgarda preciosissimis & venerantissimis Sanctorum Reliquiis, ac vario Ornatu Sacrarum Vestium, aliarúmque Rerum immensa donatione dotavit exornavitque.

Eandem quoque Matris Luitgardæ Munificentiam Conradus Filius Sectatus, qui Opulentissimis prædiis dictum Monasterium S. Blasii plurimum ditavit, & acerrimus ejusdem Vindex & protector fuit, cujus etiam Liberalitatem imitatus sororis suæ Filius: nam ille idem Conradi & suorum Fratrum Nepos ex sorore, de Castello suo, cujus nomen ignoratur, multa prædia & Bona Monasterio S. Blasii pio in Deum affectu contulit & assignavit, ubi etiam tumulatus.

Adelbertus vero Junior, Adelberti ex Luitgarda Filius, Frater Conradi & Berchtoldi, Adolescens Nobilissimus, præclarissimum stemma suum egregiis neque Vulgaribus Virtutibus Illustravit, & amplificavit: inerat quippe illi ab ipsa pueritia mirabilis & honesta morum Elegantia, adeo ut splendidissimo Corporis sui Decore, quo Altissimus singulari dono & gratia ipsum exornaverat, tam dictis quam Factis cunctorum Animis complaceret, & ut vita & Moribus erat Innocentissimus, ita ab Omnibus Mirum in Modum diligebatur: erat insuper, sicuti ex quorundam Relatione cognovimus, corpore

Castus, qui nunquam Mulierem cognoverat, verecundissima Facie, Innocens actu, Eloquio purus, verbis verax, Moribus Modestus, sinceritatem mentis vultus sui serenitate monstrabat, & pietatem Clementissimi Cordis ostendebat in Lenitate Sermonis, Rapinam tanta execratione detestabatur, ut quamvis à pueris castra & Militiam Regis Romani secutus fuisset, nunquam tamen permitteret suos Ministros & Familiares aliquid rapere vel raptum concedere, semper summo eum studio se continuit ab his vitys, quibus illud Hominum Genus implicari solet: nam præter modum à primis fere annis divinorum potius servitutem egregia illustris pueri spiravit Infantia, coepitque concupiscere Monasticam perfectionem, quam etiam sine dilatione aliqua arripuisset, nisi parentum vis obstitisset: sed hæc Mora seu Dilatio parum suos Lætificavit, namque.

Anno Domini MCXXVII. cum Iterum in Expeditione Regis Conradi cum duce Bavariæ esset, sagitta percussus ac graviter vulneratus fuit, quo vulnere illi inflicto, Rex & alii Principes, Comites ac Nobiles moerore Correpti vehementissime condoluêre; ipse vero imperterrito Animo Spreta Mundi pompa, & sæculi hujus fastu Ornatuque, tota mentis Intentione & Fervore, Religionis Habitum, Monasticamque perfectionem expetebat, quam & antea sæpius à primis fere incunabilis concupierat: adstantibus igitur Berehtoldo Fratre & Engelberto avunculo suo ac duce Lupoldo Bavariæ, dissuadentibusque unanimiter ne hoc tentaret aut in animum induceret, Conversus ad illos talem Orationem habuit: modo ad vos mihi sermo est, Amici, explicate mihi, Rogo vos, hæc præsens vita quæ, qualisque est? ut amicos Vestros ad vitam perpetuam ire volentes ad hanc infidelem & Instabilem, injusto Consilio revocetis, quid, inquam, in hac vita Operantes, tam delectabile possidetis, quod vos Instiget, ut Amicos vestros vel Filios ad Comitatum Coeli proficiscentes ad honorem incorruptibilem & amicitias Imperatoris æterni dehortemini, illosque ire non sinatis? tandem itaque Oratione & precibus multis convicti consenserunt Votis ejus, mittentes Nuntios suos ad Venerabilem Gozbertum priorem Monasterii, & alios Fratres qui non procul aberant ut quamprimum ad se venirent, qui quidem propere venientes, jam diu desideratum habitum ei imposuerunt, Monachumque S. Blasii fecerunt ac unctione sacri Olei exitum ejus præmunierunt, aliaque Ministeria, quæ Ritus Ecclesiasticus poposcit summa cum devotione peregerunt; qui Adelbertus, jam Monachus factus, post paucos dies de hac convalle Lacrymarum liberatus feliciter migravit ad Dominum in prædicto Monasterio tumulatus.

Anno Domini MCXLI. Ludovicus Comes Wirtembergensis inter alios plures Testis Invenitur inscriptus Privilegio, quod Conradus Rex Romanorum Monasterio S. Blasii concessit, ut Dominum Protectorem seu Advocatum suo arbitrio, quem ipsi vellent, eligere & habere possent.

Exstat præterea in Chronicis commentariis Naucleri, eodem Tempore, quo supra Adelbertum seniorem Comitem à Wittemberg claruisse retulimus, puta circa Annum Domini MC. inveniri apud Monasterium Hirsaugiense scripta de duobus aliis Comitibus de Wittemberg qui fuerunt Fratres, horum Major natu vocatus est Conradus Vir potens inter suevos, alter vocabatur Bruno eratque Spirensis Ecclesiæ Canonicus, & postmodum factus in Hirsangia Monachus: Anno vero MCV. Henricus Quintus Imp. Gebhartum Hirsaugiensem Abbatem Virum sapientem & Nobilem, & sanctitate famosum præfecit Spirensem Episcopum, in cujus Locum Hirsaugiæ in Abbatem Electus est ille Bruno, III. Kalend. Decembris, & à Richardo Hostiensi Episcopo. VII. Kal. Januarii Ordinatus, hic quamvis Natura Generosus esset, nihil tamen in habitu arrogantiæ ostendebat; præfuit annis XIIII. & X. Kalend. Aprilis corpore solutus est.

Idem Bruno scribitur in eodem suo Monasterio dedisse per manum & assensum Fratris sui Conradi Comitis de Beutelspach, aliàs de Wirtemberg, Prædium in Pfrundorff cum omni Jure ad Walheim XII. Jugera vinearum cum Beneficiis VI. hominum ad easdem vineas pertinentium, ad Saltingen V. Hubas, ad Barckhusen II. cum Vineto: Conradus vero Comes de Wirtemberg & Uxor ejus Werindrudt dederunt ad Durechen XVI. Hubas cum Molendino, & in proxima villa ejusdem Nominis Vinetum,

ad Sarwesheim unam Salicam Terram, ad Salzaha XVIII. Hubas, Item in Schaffhusen Molendinum unum: in prædicta autem donatione datæ sunt XX. Marcæ, quas Bernhardus de Schura Comes pro Cellula Bavaricensi dederat & duæ armillæ aureæ appendentes XV. Vncias auri, quas Luitgart Soror Domini Brunonis & Conradi Comitis de Wirtemberg, ad faciendum Calicem tradiderat, prout hæc de verbo ad verbum ex Nauclero huc adscripsimus, incerti an hi tres Liberi, Cunradus, Bruno, & Luitgarda Adelberti Senioris, de quo supra, Filii, an vero ejusdem Fratres ac soror, vel potius ex eadem Familia Coætanei agnati fuerint, cum idipsum ex Nauclero in XXXVII. Generatione circa finem, unde ista desumpsimus non potuerimus cognoscere.

Anno Domini MCCXLIIII. die XXVIII. Junii, mortuo Friderico Episcopo Aichstetensi ex Nobili Prosapia Barsperg, successit per Electionem in Episcopatu Heinricus Comes à Wirtemberg Vir singularis Eruditionis & Ingenio Excellentissimus, qui Episcopatui præfuit magna cum Laude & fruge: Dominum Ludovicum à Soltzberg Equitem auratum, fundantem ac Instituentem in dioceſi Aichstetensi Coenobium Sacrarum Virginum Ordinis Sancti Bernardi nuncupatum ad Portam Beatam vulgo *Selige Phorte*, præfatus Episcopus Ope & Consilio multum juvit; moritur Anno MCCLVIIII. die XIII. May, magno suorum tam Ecclesiasticorum quam Sæcularium Luctu, & in Summo Templo Aichstadiensi Terræ Sepeliendus traditur.

Anno Domini MCCLXII. his Temporibus fuit apud Suevos admirabilis ille Comes Wirtembergensis Vdalricus animo & viribus etiam Romano Imperio formidabilis, qui cum Civitatibus & Principibus multis plura fortiter prælia gessit, & semper feliciter triumphavit: Vxorem habuit Filiam Ducis Poloniæ, de qua Filios genuit duos & Filias quatuor, qui quidem Vdalricus Comes, duci Conradino & ejus Tutoribus, sicut & antea Patri quamvis essent Suevi Satis contrarius fuit, nec aliquanto se illis humiliare vel subdere voluit.

Anno Domini MCCLXIIII. Mortuus est Vdalricus ille Comes de Wirtemberg, dictus cum Pollice, qui octies Bello triumphavit, quem Conradus Rex & ejus similiter Filius Contadinus suevorum Duces, armis nunquam, Beneficiis & munere aliquando sibi consentaneum quidem fecerunt, subjectum vero nunquam.

Anno Domini MCCLXXX. Tertio Kal. Octobris mortuus est in Vinculis Hartmannus Comes de Gruningen diutino Carceris Squallore in Asperg pressus. hic Frater fuit Comitis de Wirtemberg, amborumque progenies una, Titulus quoque unus, sed Comitatus divisus.

Anno Domini MCCLXXXVI. prænotato Comite Wirtembergense Regiis Mandatis jam diutius reluctante non solùm, sed alios Imperii defensante Rebelles, Rudolfus Rex Magno suorum contracto Exercitu, Comitatum Wirtembergensem manu valida ingreditur, & omnia quæ potuit, hostili vastatione demolitur, Comes etenim Eberhardus cum se tantæ Multitudini cerneret non posse resistere, se & quidquid servare voluit illæsum, non in villis, sed in oppidis & Castris collocavit; unde Rex hoc ipso anno post devastationem Terræ bina vice, Stutgardiam Oppidum memorati Comitis Obsidione vallavit, fortiter Muros impulit, & constantissime impugnavit, Majore suo, ut fertur, damno, quam commodo: nam muris etiam in plerisque Locis, tormentis Machinarum quassatis atque dejectis nullus Hosti patebat introitus, his, qui intus erant, resistentibus. Postremo Archi-Episcopus Moguntinus vices suas amico interposuit & post concussum Oppidi Murum, post Incendia Villarum multa, post desolationem Terrarum & Spolia, in Regis Gratiam induxit Comitem & reformavit inter illos Concordiam simul & Pacem, quibus peractis Comes Eberhardus Rudolfum Juramento Recognovit ut Regem, quem ille deinceps gratiose prosequebatur ut Comitem: deinde etiam XXII. Mensis Februarii idem Rudolfus Rex pacem inter eundem Comitem & Senatum Eslingensem restituit.

Postea Dux Austriæ Albertus fecit conspirationem contra Regem Adolfum, in cujus auxilio non ultimus fuit Eberhardus Comes de Wirtemberg Homo Bellicosus,

 fortis,

fortis, audax, & impatiens quietis, qui ſemper vixit in armis, & multa cum vicinis prælia geſſit, Nulli Regum ſuo Tempore imperantium, voluntate Spontanea unquam fuit Subjectus, ſed cum Singulis contentiones habuit & cunctis ſemper fuit infeſtus, Rudolfo inprimis, ut ſupra diximus, fuit rebellis & contrarius & in eum cum XV. Comitibus conſpiravit, deinde duci Alberto contra Adolfum Regem usque ad mortem pertinaciſſime adhæſit, quo tandem occiſo, non minus Alberto Regi exſtitit contrarius, quam reliquos ante illum fuerat perſecutus.

Anno Domini MCCXCIII. Rex Adolfus in Oppido Imperiali Eslingen Conventum Principum habuit, ad quem omnes Sueviæ Comites, Barones & Nobiles convocavit qui mandatis Regalibus obtemperantes ire curabant, Solus Comes Eberhardus de Wirtemberg venire contempſit. Regina quæ interea morabatur in Caſtro Achalm in monte prope Reutlingen invitata per Comitiſſam de Wirtemberg, Vxorem Comitis Eberhardi, ad Stutgardiam venit & Baptismo Filiæ illius interfuit.

Anno Domini MCCCIX. Rex Henricus habuit Conventum Principum in Spira circa Feſtum S. Michaelis, ubi cum aliquanto ibi moram faceret, Eberhardus Comes de Wirtemberg Imperiali citatus Edicto, cum ducentis Armatis Equitibus in magna ſuperbia venit, qui cum Tirannide in Homines Imperii commiſſa, & multiplici Rebellione, qua jam diu erga Regnum exſtiterat inobediens, graviter fuiſſet accuſatus nihil curavit, ſed in ſua Pertinacia perſeverans, non ſolum veniam non petiit, ſed etiam cum ſuis inſalutato Hoſpite temerarius receſſit, cunctis etenim vitæ ſuæ diebus tanquam natus ad Rebellionem, Imperio & Regibus Germaniæ ſemper fuit contrarius.

Rex igitur Henricus, præfati Comitis Eberhardi Superbiam humiliare ſtatuens, maximam Pugnatorum congregavit multitudinem, ex qua tres magnos Exercitus uno tempore conſtituit, quorum primum cum Joanne Filio ſuo Rege, ſub ducatu Petri Moguntini Archi-Epiſcopi deſtinavit in Bohemiam, ſecundum vero contra memoratum Comitem miſit in Sueviam, cum tertio ipſe pro Corona Imperii profectus eſt in Italiam: egreſſus itaque contra præfatum Comitem Eberhardum Imperialis Ductor Exercitus, Omnia quæ ad illius Spectabant Dominium potenter ubique vaſtavit, & brevi tempore ex Octoginta Caſtellis & Oppidis bene munitis, ad Comitatum Wirtembergenſem pertinentibus, duo & Septuaginta violenter obtinuit, de quibus non pauca deſtruxit funditùs, in numero quorum Nobile illud Caſtrum Wirtemberg primum exſtitit, quod tunc penitus everſum nunquam poſtea ad primæ Fundationis Elegantiam, fortitudinem & pulchritudinem reſtitutum fuit: Comes autem Eberhardus videns ſe tantæ multitudini Armatorum nequaquam poſſe reſiſtere, recuſavit in patulo dimicare; nam ſubditorum aliqui prius ab eo defecerant, plures etiam ab Hoſtibus aut Capti fuerunt aut interfecti, reliqui vero Oppidani in Aurach, in Neuffen, in Seeburg & in Witlingen pro Comite, ſuo Domino, fortiter ſteterunt; continet ſe Comes in Caſtello ſuo Asperg juxta Neccarum quod natura fontibus & Flumine communivit, quod ubi Capitaneo Imperialis Exercitus innotuit, Caſtellum cum Oppidulo in manu ſuorum graviſſima obſedit: Eberhardus autem Comes loco non ducens confidendum propter Murorum Oppiduli infirmitatem noctu cum paucis aufugit & veniens Ocijus ad Rudolfum Marchionem Badenſium, ſororium ſuum, ab eo receptus eſt apud Beſigheim Oppidum, ubi & latuit quamdiu Rex in Humanis fuit: verum Henrico mortuo, amiſſa omnia recuperavit partim armis, partim Benevolentia quadam ſubditorum.

Eodem tempore, Vrbium & Oppidorum Imperialium Cives qui omnes, partes ſequebantur Regales, cum Odio Comitum Wirtembergenſium incredibili æſtuarent, propterea quod dudum pluta ab eis ſuſcepiſſent Incommoda ſuas cupientes vindicare Injurias, Factum nimis Incredibile, execrabile, ac penitus crudele in mortuos perpetrarunt, Sepulchra namque in quibus vita defuncti Comites de Wirtemberg cum armis & Inſcriptionibus ſuis in Memoriam poſteritatis requieſcebant in Eccleſia Collegiata in Beutelſpach, ubi ſepulturam habere ſolebant, perfregerunt ad Invidiam Nominis & Stirpis arma delentes cum Inſcriptionibus ſuis.

Anno

Anno Domini MCCCXXVIII. Collegium Clericorum, quod eatenus fuit in Beutelspach, per Eberhardum Comitem de Wirtemberg ad Stutgardiam translatum, Joanne XXII. Papa annuente & consentiente; cum enim personaliter in avenione accessit Eberhardus in hunc finem, & prædictum Collegium de Beutelsbach, in Ecclesiam Novam in Stutgard, quam jam antea præparaverat transtulit, ac eodem anno in die S. Bonifacii & sociorum ejus vita defunctus est, & in Ecclesia quam construxerat Sepultus, Filium relinquens Nomine Vdalricum, qui Patri statim succedens in Principatu, annis X. Comitatum suum gubernavit, vel ut alii scribunt annis XVI.

Anno Domini MCCCXXXVIII. Ludovicus Imperator Edictum statuit, & per totum Germaniæ Regnum publicari mandavit in cunctis Vrbibus, Castellis, & villis ut omnes & singuli cujuscumque Status vel conditionis, qui pro Reverentia & Honore Romani Pontificis interdictum servarent, de Locis & Beneficiis suis expellerentur, confiscatisque eorum Bonis, in Galliam ire cogerentur: hoc autem Crudele, Christianæque Fidei penitus contrarium Edictum in multis Locis publicè fuit denuntiatum non sine Injuria DEI, & animarum periculo gravissimo; Vdalricus Comes de Wirtemberg etiam hoc ipsum Cæsaris Impium Decretum Anno prænotato in Oppido Reutlingen & quibusdam aliis suæ ditioni subjectis, voce Præconis, publice fecit denuntiari.

Anno Domini MCCCXXXIX. Comites, Barones & Nobiles Terræ Lotharingiæ Conventum ad Civitatem Metensem Solatii causa indixerunt, & vocaverunt multos, aderat ibi Comes Wittenbergensis Vdalricus non absque singulari Magnificentia honorificè ab omnibus susceptus & habitus, qui Hastiludio cum Triumpho sæpe petitus, cum jam ad sua redire disponeret, à quodam Barone de Vinsingen prope Oppidum Benfeld in Itinere positus, insidiose captus, cum nihil talium suspicaretur, raptus in Custodiam abducitur, & pro magna pecuniarum summa taxatur: sunt enim qui scribunt, eum pro Liberatione sui, exposuisse detentoribus centies mille Marcas argenti.

Anno Domini MCCCXLIII. Facta est Dissensio Magna inter Austriæ Duces & Comitem de Wirtemberg propter quædam Oppida atque Dominia, quæ Comes quidam de Schelcklingen Australibus pro Peccunia vendiderat, in quibus memoratus Comes de Wirtemberg se non nihil Juris habere contendebat: contractis itaque Copiis idem Comes Oppidum Mengen Obsidione cinxit & devastavit, deinde vero suum præcedens Exercitum, etiam aliud Oppidum Eslingen gravissima & diuturna obsidione vallavit: Famis deinde Ingens Calamitas graviter intus afflixit obsessos quibus nisi tandem australes venissent in auxilium, prope fuisset, ut Oppidum tradere adversario cogerentur.

Anno Domini MCCCXLIIII. undecima die Mensis Julii mortuus est Vlricus Comes de Wirtemberg, duos relinquens Filios, Vlricum, & Eberhardum.

Anno Domini MCCCLIII. in principio Mensis Octobris Carolus Rex Germanorum, Albertus Dux Austriæ, Comes de Wirtemberg, Comes de Hohenberg, Episcopus Argentinensis, Episcopus Basileensis & Cives Regni Germanici convenientes in unum, magna cum Potentia Zurich Oppidum jam tertia vice obsidione cinxerunt propter retentionem Joannis Comitis in Habspurg, & per dies ferme XIV. acriter oppugnaverunt, erant in Oppido ex confoederatis aliarum Vrbium quamplures Viri fortes & Bellicosi Zuregiensibus in auxilium missi, qui oppugnantibus viriliter restiterunt, postremò tamen cum videbant se tantæ multitudini nullatenus posse resistere, pacem sunt coacti postulare: Rex autem Carolus certis conditionibus pacem orantibus concessit, & Captivum Comitem de Habspurg Joannem invitis omnibus Confoederatis, potenter ex Carcere liberavit.

Anno Domini MCCCLV. Zuricenses, Bernicenses, Suitenses, Lucernenses, Zugenses, Vntervaltenses, Glatienses & Vrienses iterum se se Juramento colligantes in unum conspiraverunt priorem confoederationem innovando confirmantes contra Duces Austriæ; Carolus Imperator, qui tunc in Alsatia erat Zuregum profectus est, volens conjurationem memoratam Imperiali authoritate dissolvere & in nihilum revocare; Zuricenses autem nullis persuasionibus permoveri potuerunt, ut confœderationem & Amicitiam

tiam furatam infringere, aut violare vellent, & ita sua pertinacia contumacitet perseverantes, cum nihil proficere posset Imperator secessit ad tempus, contractoque Pugnatorum Exercitu post dies paucos rediit & Oppidum Zuricense fortissimum obsidione vallavit; fuit in Exercitu Eberhardus Comes de Wirtenberg Vir magnanimus potens atque Robustus cum multis Suevorum Nobilibus atque Ministerialibus ad bella expeditissimis, quorum fortitudo non parum auxit Militiam; aderat etiam cum suis Episcopus Constantiensis qui suggessit Imperatori quatenus juxta morem & antiquam Alamanniæ Consuetudinem, pugnantium in Ordine ponerentur primi, quod cum Dux Austriæ reclamaret Albertus, nimium indignati sunt Suevi, & in unum consultantes ad sua omnes redierunt; Cæsar autem videns abivisse Alemannos & valde imminutum Exercitum Necessitate compulsus, cum Zuricensibus pacem composuit.

Anno Domini MCCCLX. Carolus Imperator Principum Conventum celebravit in Oppido Regni Eslingen, & multum cum eis de communi utilitate Omnium Germanorum tractavit, factum est autem in die quodam, Imperatore cum Principibus suis in Refectorio Fratrum Minorum habente colloquium, Cives in seditionem versi contra Familiam Cæsaris arma movere non timuerunt & furentibus persimiles Cæsarem invadere & contumeliis afficere tentaverunt, qui Fuga Lapsus eorum Insaniam ad tempus declinavit; post menses paucos cum Eslingenses non solum commissorum in Cæsarem nullam peterent veniam, sed magis in superbiam elati mandata Imperialia contemnerent, iratus ille magnum Principum & Civitatum Oppidorumque Regni contraxit Exercitum, veniens Oppidum Eslingen obsidione fortissima vallavit: Ducem vero Exercitus Eberhardum Comitem de Wirtemberg, Fratrem Vdalrici constituit & sub ejus directione militiam conformavit; Comes itaque Eberhardus jussu Imperatoris Eslingen fortissima Obsidione cingens, oppidanos quotidiano Impulsu haud mediocriter fatigavit, qui sero considerantes in malo se positos, & quod tantæ multitudini pugnatorum nequaquam resistere posse viderent de sua præsumptione in Cæsarem commissa dolore & necessitate extrema compulsi, Pacem quam multorum Judicio non merebantur, petunt & accipiunt, datis pro expiatione commissi sceleris Imperatori Carolo Sexaginta Florenorum millibus, & Comiti Eberhardo triginta millibus pro refusione Expensarum, quas hujus Belli occasione fecerat; sicque Pacem plebs furiosa quam violaverat, prætio Centum millium Florenorum emere compulsa est & soluta Obsidione quilibet eorum, qui convenerant in sua redierunt, Oppidanis de Eslingen multum confusis, & per omnia valde humiliatis.

Hac Victoria nimium elatus Comes Eberhardus quem Carolus Imperator Capitaneum suprà quatuor & viginti civitates & Oppida Regni Germaniæ constituerat, in Subditos Regni Tyrannidem exercebat, illicitis & inconsuetis illos Exactionibus gravando, ut multi Cives & Oppidani ejus crudelitatem non ferentes, mutare Domicilia cogitaverint: postremo tamen se Comiti omnes unanimiter opponentes contra illum ad Cæsarem provocarunt: Imperator his intellectis Comitem Eberhardum pie monuit, quatenus à gravaminibus illicitis & inconsuetis desisteret & Civibus Regni sibi ad Tempus, non vero perpetuo commissis nihil molestiæ inferret; sed ille piam Imperatoris admonitionem contemnens, & in sua cupiens Tyrannide permanere, confœderationem seu potius conjurationem cum Ducibus in Odium ipsius Imperatoris iniit, & quoscumque potuit, contra ipsum provocavit: quibus Cæsar auditis, ut Rebellem & inobedientem amovit ab Officio Vicariatus Regni, & jussit in suo illum privatum degere Dominio, qui fretus amicorum potentia jussa Imperatoris sui sprevit atque contempsit, seque ad rebellandum totis viribus præparavit: his Motibus in Regno malesubortis, Imperator Carolus in Boemia Regno suo Nativo atque paterno degebat, Sententias atque Censuras in Eberhardum Comitem de Wirtemberg fulminans & emittens auditu terribiles, sed eas omnes ille contempsit, unde inter ipsum Comitem & Regnum magni oriebantur Tumultus; quorum consideratione motus Imperator nec minus à Regni civibus Exoratus Rupertum Palatinum Comitem ac Bavariæ Ducem Electorem Regni Principem, Belli Imperialis Ducem pro Civitatibus Regni & Oppidis atque Capitaneum esse voluit, cui & Bellum contra Eberhardum prænominatum gerere mandavit: Comes autem Eberhardus nihili pendens Mandata Cæsaris se viriliter paravit ad resistendum habens in adjutorium Duces Austriæ, Carolo satis infestos, Ducem quoque de Teck, Barones de Limpurg quos Schenck

vel

vel Pincernas Imperii Nuncupamus, aliosque Sueviæ Comites, Barones, ac Nobiles multos, qui Cæsari & Regno pertinaciter contradixerunt: Imperator vero postea quam intellexit Comitem se parare ad rebellandum, Exercitum congregavit & ipse prævalidum ex Bohemia, Hungaria, Lituania & Vniverso Germaniæ Regno, & veniens contra illum in Sueviam, Comes Eberhardus posteaquam consideravit se potentiam Imperialium militum ferre non posse retraxit pedem & in Oppidum Stutgardiam se recepit: Carolus autem Imperator, qui à Nurenberga per Rhetiam Inferiorem contra Eberhardum duxerat Exercitum, Oppidum quoddam Alen nomine quod olim Comites de Oetingen pro viginti Florenorum Millibus Comitibus de Wirtenberg oppignoraverant obsedit, quo potenter obtento præsidium posuit, & postea etiam Schorndorff obsedit.

Rupertus autem Comes Palatinus Bavariæque Dux, quem Cæsar amoto Eberhardo Vicarium suum in Regno constituerat, sicut dictum est, ex Civitatibus & oppidis Regno subjectis fortem congregavit Exercitum, quem per Pagum, qui nuncupatur Zabergen ducens contra Comitem Eberhardum nonnulla ejus Oppida & Castra expugnando obtinuit, deinde Gtoningen occupavit: Augustenses vero, Constantienses & alii Cives Regni Oppidum Göppingen Obsidione cinxerunt, & discurrentes per villas multa pauperibus intulerunt damna: Comes autem depopulationem suorum graviter ferens cum Exercitu exivit Stutgardiam, & veniens contra Imperatorem haud procul ab Oppido Schorndorff animose commisit Prælium, & in isto congressu pugnatum est acriter, diuque anceps Fortuna consumpsit ab utraque parte plurimos: tandem Victoria cessit Imperatori. Comes Eberhardus victus, & Exercitus ejus superatus atque diffusus multi ex parte Comitis in eo prælio ceciderunt, multi gladio interfecti, plures capti.

Comes Eberhardus Necessitate compulsus pacem à Cæsare per medium Episcoporum Augustensis, Constantiensis & Spirensis coepit postulare, quorum petitionibus Imperator consentiens pacem dedit Eberhardo Comiti postulanti sub his fere conditionibus: In primis fuit per Electos Partium arbitros conclusum, quod Comes Eberhardus Foedus quod cum Austriæ Ducibus contraxerat, revocando cassaret, & nullam deinceps Ligam seu confoederationem contra Imperatorem aut Regnum cum illis omnino haberet: deinde Decreto fuit sancitum, quod Comes Eberhardus advocatiam Regni sive Vicariatum, quem à Carolo Imperatore super XXIIII. urbes & Oppida Regni susceperat resignare deberet, & se nullatenus de illo intromitteret amplius: Tertio fuit per arbitros partium Decretum & Judicatum quod Comes Eberhardus Civibus Regni omnibus & singulis coram Imperatore aut ejus judice delegato super injuriis per Tyrannidem irrogatis de justitia debeat & velit respondere: Quarto fuit sententionaliter pronunciatum & conclusum quod Comes Eberhardus Imperio, Regno, & Cæsari Carolo Fidelis, subjectus & obediens perpetuo debeat persistere, & neminem deinceps in ejus odium seu Rebellionem quomodolibet provocare: Quintò fuit per arbitros decretum quod Imperator tam ipsum Comitem Eberhardum quam Ducem de Teck & cunctos alios Confœderatos sive auxiliarios Milites Nobiles & Ignobiles, præmisso Bello Implicitos, Austriæ Ducibus tantummodo exceptis ad Reconciliationem & Gratiam debeat recipere, & commissa omnia plene Indulgere: Sexto statuerunt quod omnes captivi ab utraque parte, quomodolibet detenti sine aliquo sui detrimento vel damno libere dimittantur, & quatenus firma sit constitutio Pacis, quod Imperator Comites ipsos principaliter de hoc faciat securos. Septimo Judices decreverunt, quod Carolus Imperator omnia Oppida, Castella, & munitiones per se, vel per alios Bello durante captas, excepto Alen Oppido, soli Comiti Eberhardo debeat restituere & pacem Literis Imperialibus confirmare: Hæc summatim pro pace fuerunt per Commissarios decreta, & ab utraque parte laudata & confirmata: sic ergo pace inter Regnum & Comitem de Wirtemberg Eberhardum reformata, Alen Oppidum Fisco Regio pro mulcta fuit adjudicatum.

Anno Domini MCCCLXVII. Vdalricus Comes de Wirtemberg Frater Eberhardi, Vxorem duxit Elisabeth Filiam Ludovici Ducis Bavariæ, relictam viduam Scaligeri Veronensis Principis, de qua Filium genuit Nomine Eberhardum, cognomento Pium, Principem Memoria dignum.

Anno Domini MCCCLXVIII. graves inter Comites de Wirtemberg & Eberstain dissensiones exortæ multorum malorum causam mortalibus præstiterunt, unde Insidias

sidias sibi mutuò tendentes, omnia dolis & fraudibus impleverunt: contigit autem die quadam Anno memorato Eberhardum Comitem de Wirtemberg cum paucis esse in Thermis quas *Wildtbade* nuncupant, lavandi Corporis gratia, quod ubi Comiti de Eberstain innotuisset, contractis Copiis Familiarium, per Insidias illum capere & clanculum abducere quærebat, ordinatis ad hoc insidiis oportunis: verum illis patefactis Comes Eberhardus consilio Bubulci alicujus per invia densissimi Nemoris abducitur, & incolumis ad sua remeavit, sic delusa fraus Comitis de Eberstain, majoris dissensionis fomitem ministravit; qui videns Intentionem suam in nihilum esse reductam, omnes Nobiles totius Sueviæ quoscumque potuit, in mortem Eberhardi Comitis concitavit: Comes autem postquam fuga Lapsus in sua rediit, nihil studiosius quam vindictam sumere de Insidiatore suo Comite memorato cogitavit, unde contracto suorum Exercitu non parvo, contra Comitem de Eberstain Bellum assumere decrevit: Nobiles autem omnes in Comitatu Wirtembergensi existentes ipsum Comitem Dominum suum deserentes, Comiti de Eberstain à quo fuerant muneribus antea multis sollicitati ne dicam, seducti, tenacissima animositate adhæserunt: hinc metus & Timor omnes qui erant in parte Comitis de Wirtemberg vehementer oppressit, maxime propter Nobilium desertionem, qui multas in dominio Comitis Eberhardi munitiones & Castra possidebant, ex quibus Gentem suam haud modicum lædere potuissent; erant autem in Exercitu Comitis de Eberstain Duces Equitum potiores atque potentes illi de Hofingen, apparatum Belli fortissimum ducentes, cumque Oppido Haimsheim essent congregati in pago Wiringaw dicto, haud procul ab Oppido Regali Wyla, & in Comitem Eberhardum crastino Exercitum ducere statuissent, tum Comes ipse Consilio, noctu congregatis ex multitudine Rusticorum Copiis, cum auxilio Civium Oppidi Regalis Eslingen, qui ejus sequebantur partes, prima Luce memoratum Oppidum Haimshaim obsidione cinxit, & ne pateret egressus diligenter observavit; Comes autem de Eberstain Nobiles & Viri pugnatores qui intus erant omnes, cum viderent se ab Eberhardo præventos, ejus mirabantur audaciam & consilio inter se habito rem adgredi fortiter omnes statuerunt, Lapides & tela per murum in Exercitum Wirtembergensium continuo jacientes: Comes verò præcepit rusticis suis quorum ingens multitudo aderat, ut Ligna de proximo Nemore multa comportarent, & muris Oppidi per Gyrum apponerent immissisque Vappa & pice succenderent, quod obsessi cernentes pacem à Comite petunt, quæ certis sub conditionibus concessa ab oppugnatione Oppidi cessaverunt, per unam portam inclusis & obsessis exeuntibus, cumque de Oppido per ordinem Nobiles exirent captivi, & inprimis illi tres Capitanei Exercitus, qui se nuncupaverant Reges, quidam Rusticus de parte Comitis Eberhardi, Vir facetus stans cum aliis juxta portam dixit: Hah quam bene factum est; Ecce tres veniunt Reges, si quartus adesset, Integrum Chartarum haberemus Ludum.

Inde movens Exercitum Comes Eberhardus munitionem illorum de Höffingen prope Leonberg Obsidione vallavit, impugnavit fortiter, cepit, funditusque destruxit: captis post hæc multis tam de Nobilibus quam de vulgaribus suæ ditioni subjectis qui ab eo ad Comitem de Eberstain defecerant, capitibusque eorum truncatis, Castella subuertit; postremo tamen Nobiles in concordiam redeuntes cum Eberhardo Comite pacem inter se firmissimam statuerunt, Juramento & Litteris necessariis munitam: Et est Notandum quod præscriptum Bellum inter Comitem de Wirtemberg Eberhardum, & Comitem de Eberstain habitum, apud Suevos nominatur in Lingua teutonica *der Slegel Krieg* usque in diem præsentem, ideo quia Rustici, qui nec Lanceis nec Gladiis, utebantur sed clavis & fustibus sive Instrumentis Ligneis, quæ apud Suevos *Slegel* nuncupantur, victoriam contra Nobiles obtinuerunt.

Anno Domini MCCCLXXII. Vdalricus Comes de Helffenstain in Castello Nyberg per Insidias occisus est, unde Cives Regni quidam nimium Indignati, volentes mortem ejus Vindicare, in unum conveniunt, & expugnare prædictum Castellum Nyperg unanimiter contendunt, quod ubi Eberhardus Comes Intellexerat, misit contra Illos suorum Exercitum, & Bello inopinatò commisso Cives Regni poenè omnes corruerunt.

Eodem

Eodem Anno Carolus IV. Imp. Magnam Pecuniarum summam à Civibus Regni postulando exegit, cujus quidem Exactionis Principem & Pecuniæ collectorem constituit per Sueviam Eberhardum Comitem Wirtembergensem, qui cum pecuniam singulis Urbibus nomine Cæsaris impositam, jussus potenter exigeret, omnes unanimiter contradixerunt: iratus igitur Comes magnum suorum congregavit Exercitum & discurrens per Regionem, de Oppido ad Oppidum, Cives Regni contumeliis multis & injuriis affecit: postremo tamen concordia facta; Ulmenses LII. millia florenorum Eslingenses XV. millia; Rotweilenses X. millia; Reutlingenses XV. millia; Lindavienses VI. millia; Constantia XL. millia florenorum Cæsari solverunt; hæc Pecuniarum summa pro majori parte Comitibus cessit de Wirtemberg in refusionem Expensarum quas ratione Advocatiæ Regni per Sueviam, ut supra diximus, habuerunt, quarum summam quotannis XXX. millia taxarunt.

His quoque Temporibus memotati Comites de Wirtemberg Advocatiam Monasterii Mulbrunensis, Ord: S. Bernardi quam eatenus tenuerant; jussu Imperatoris resignare coacti sunt; eam Rupertus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux obtinuit, & post eum hæredes ejus per annos fermè centum & triginta, quibus evolutis Anno videlicet MDIV. Udalricus Dux Wirtembergensis Tertius eandem gladio recuperavit.

Anno Domini MCCCLXXVII. Factum est Prælium magnum & atrox in Suevia juxta Reutlingen Oppidum inter Comites de Wirtemberg & Cives Oppidi jam memorati cum sociis suis.

Inprimis igitur Comites magno suorum Exercitu congregato memoratum Oppidum Obsidione cinxerunt; Cives contracta manu Sociorum satis in Oppido videbantur muniti, nec Hostium Ferocitatem magni faciebant; quando igitur nocte quadam pedites quingenti Oppidum clanculo exeuntes Urach & Tetting versus iter direxerunt, pecora & omnia quæ poterant invenire sibi in prædam abducentes, cuncta igne ac ferro sine commiseratione crudeliter devastantes, onustique mox præda, per aliam viam secretiùs ad Oppidum revertebantur, quod ubi Comes de Wirtemberg Junior intellexit, assumptis secum de Exercitu Peditibus & Equitibus multis, obviam venire Hostibus tentavit, sperans se indubitanter etiam illos posse profligare & præda omnino liberare; sed aliter se res habuit, Cives namque per oppositam Urbis portam, quæ semper, etiam pacis tempore consuevit esse clausa, silenter exeuntes Comitem cum suis nihil tale suspicantem ab omni parte in modum coronæ circumdant, & subito velut pecora multa trucidant, nemini parcentes nisi fugientibus: ceciderunt in eo conflictu ex parte Comitum de Wirtemberg, quorum nomina tenemus, ex Ordine Nobilium. Fridericus de Zolfa Comes. Udalricus de Tuwingen Comes. Joannes de Swarzburg Comes. Godefridus Schederer Eques auratus, Magister Militum, Belli Vir strenuus. Swigerus de Gundelfingen. Reinhardus de Nyperg. Bernardus de Sachsenheim, & Fridericus Filius ejus. Wolfgangus de Stanche, Magister Curiæ. Burchardus de Sturmfeld. Benzo de Hohenstein. Joannes de Rotenburg. Georgius de Lustenaw. Sifridus de Welenberg. Swiggerus de Gemmingen. Zacheus de Bernhausen. Sifridus Waller. Henricus Waller. Conradus Truchses de Bichishausen. Albertus de Killer. Eberhardus de Stofflen. Eberhardus de Sternfels Advocatus in Zabergew. Heinricus de Lichteneck. Joannes de Sperbereck. Andreas de Gyslingen. Conradus de Stamheim. Wolfgangus de Jungingen. Waltherus Spät. Henricus Mager. Sifridus Franco de Erpach. Sifridus de Sachsenheim. Hermannus de Fladungen. Joannes de Grunbach. Cuno de Hedicken. Rabanus de Lichtenstein. Wolfgangus de Wernhoven. Wolcklinus de Krutheim. Joannes alter de Grunbach. Joannes de Winsheim. Wilhelmus de Kreilsheim. Conradus de Limpach. Heinricus de Bœnstein. Nicolaus de Steinfeld. Andreas Zobel. Robertus de Gebsatil. Joannes Riedesel. Thomas Wolfskeel & alii ex Nobilibus multi in eodem cruento Prælio ceciderunt, quorum nomina invenire non potuimus: verum ut monumentis edocemur Veterum. Barones atque Nobiles ex parte Comitum Wirtembergensium à civibus Regni occisi fuerunt numero LXXXV. aliorum vero incertus & ingens fuit numerus, quos omnes interemptos armis suis cives Regni spoliaverunt, & vix tandem precibus evicti permiserunt, ut eorum corpora aliorsum deportata sepelirentur in uno quo-

quodam loco: Comes autem de Wirtemberg memoratus Junior Ulricus, Dux Belli, graviter vulneratus cum quibusdam aliis cædentium manus vix effugit & se ad castrum Achalm nuncupatum, ad cujus pedem Montis Oppidum Reutlingen est situm se recepit, sieque obsidione necessariò soluta reliqui non sine jactura ad sua redierunt, quos Regni cives insecuti omnia Igne ferroque demoliri pro viribus conati sunt: Comes autem ex adverso furorem civium reprimere cupiens, denuò instruxit aciem juxta Toffingen, haud procul ab Oppido Wila existimans Hostes, ut erant jam labore simul ac furore defatigati, se facile superaturum; omnibus itaque ordinatis Comes cum suis in Hostes nihil tale metuentes, repente irruit, & plures ex eorum numero crudeliter occidens, viriliter triumphavit: verumtamen Ulricum Filium suum telo percussum in eo conflictu Comes Eberhardus Senior amisit, ut sequitur.

Anno Domini MCCCLXXX. Cives & Oppidani Regni facta inter se confœderatione, Comitibus de Wirtemberg denuo Bellum indixerunt, cujus quidem Expeditionis hic Ordo erat, ut sequitur: ex Oppido Sueviæ Ulma Lanceati Milites missi sunt LXXXIII. ex Civitate Constantiensi LIV. & Oppido Wila CXX. ex Norlingen LIV. ex Hailbruna LIV. ex Gemendia XXII. ex Rotwila XXXVI. ex Eslingen XXXII. ex Weissenburg Sueviæ X. ex Oppido Sancti Galli VIII. ex Memmingen XXVII. ex Reutlingen LX. ex Rotenburg XXXVI. ex Buchen III. ex Dinckelspiel XII. ex Biberach XV. ex Phullendorff IX. ex Uberlingen XXX. ex Ravenspurg XVIII. ex Nurenberg LXXII. ex Winsheim VII. ex Argentinensi Civitate XX. ex Basilea LX. ex Wisenburg prope Landaw II. ex Hagenaw IV. ex Spira XIII. ex Wormatia totidem. ex Magontia XXV. & ex diversis aliis locis mercede conducti ad Bellum complures pedites & Equites, per omnia ad Bellum expertissimi: convenerunt itaque ex parte memoratarum Civitatum Regni Viri Pugnatores cum longis Hastis mille, Sagittarii quoque mille, levis armaturæ Equites & Pedites mille, atque Nudorum sive Armatura carentium hominum similiter mille prædam sequentium: cum ea multitudine Terram Comitis de Wirtemberg ingressi, omnia ferro & incendio per circuitum devastare cœperunt, plura pauperibus damna inferentes, inter alia verò Cemiterium Villæ prædictæ Toffingen nuncupatæ haud procul ab Oppido Wila XXIII. die Augusti Obsidione cinxerunt; quod mox ut Comitibus innotuit Bellum movere in eos statuerunt, erant in partem Comitum missi à Ruperto Comite Palatino de Heidelberg quingenti Viri, qui ab Hastis quas ferebant, Lancearii dicebantur, Marchio quoque Junior Badensis, Episcopus Constantiensis & alii quidam Principes in auxilium eorundem plures miserunt armatos, eratque summa Exercitus Comitum de Wirtemberg Lanciariorum Equitum sexcenti, aliorum duo millia ducenti: congressione igitur facta in die dominica ante Festum Bartholomæi Apostoli Anno Christi prænorato, non longe ab Oppido Wila, pugnatum est acriter, sed Comitibus de Wirtemberg postremò cessit Victoria, ceciderunt in eo Prælio ex parte Civitatum mille quingenti Viri, Equites quoque eorum omnes, simul Capitanei aut cæsi aut in captivitatem abducti, ex omni eorum numero pauci per fugam salvati sunt: ex parte verò Comitis Eberhardi Wirtembergensis, in acie prima ceciderunt Filius ejus Ulricus Comes Junior, & alius Comes de Lowenstein cum XX. Equitibus atque Ministerialibus, ex parte verò Palatini Stephanus de Handschuesheim cum aliis Ministerialibus tribus occubuit, & sic ista Civium confœderatio periit.

Anno Domini MCCCCXXII. post mortem Comitis de Wirtemberg Uxor ejus Vidua relicta Comitatum aliquot per Annos strenuè gubernabat, quo tempore Comes de Zolre in superbiam elatus despexit mulierem quasi Regiminis Principatu indignam, ei subsannando his inter alia verbis: num Vulva hujus Mulieris virulenta, me vult aut poterit denuo absorbere? Mulieri nuntiata sunt hæc verba Comitis, ad quem scripsit: non solùm Te, sed etiam castrum tuum Hohenzolra, & omnia quæ ad Jus tuum pertinent, mea devorabit vulva, ut discas Te non Mulierem inertem, sed Principem tuam irritasse: contractis igitur Mulier copiis, auxilio Civium Regni Terram Comitis memorati, hostili apparatu intravit, omnia per circuitum Igne ferróque devastans: deinde castellum ejus Hohenzolra nuncupatum, situ & munitione fortissimum, per annum ferè totum continua Obsidione vallavit, quod tandem violenter capiens funditus destruxit & ad sua rediit Victrix.

Anno

Anno Domini MCCCCXLVI. Udalricus de Wirtemberg duxit Uxorem Elisabeth, Filiam Henrici Ducis, & Nuptias Stutgardiæ cum magna Pompa celebravit, de qua genuit Eberhardum Comitem de Wirtemberg postea Ducem Secundum, qui cum Ducatum aliquamdiu Rexisset post primum Eberhardum Ducem Barbatum, sine Liberis profugus obiit in Terra aliena sub ditione videlicet Palatini Comitis Philippi: Henricum quoque Comitem idem Ulricus genuit, cujus Filius Ulricus Dux Tertius, adhuc hodie Terram gubernat Wirtembergensium.

Anno Domini MCCCCXLVIII. Cives Oppidi Regalis Eslingen auxilio quorundam aliorum Civium Regni, contracto Milite, Comitis Wirtembergensis Terras hostili cœperunt incursione vastare: quibus recognitis Comes Udalricus mox suorum viribus adjutus in Hostes irruit, & quasi Leo rugiens eorum Exercitum violenter dissipavit occidens alios, & capiens plures, cœteros convertit in Fugam.

Anno Domini MCCCCL. quarto die mensis Novembris Waltherus Ehinger Civis Ulmensis, Vir prudens & potens inter suos, junctis sibi copiis Civitatum Regni Pugnatorum non parvum adunavit Exercitum, cum quo Terras Comitum de Wirtemberg hostiliter invadens omnia ferro & igne in circuitu devastavit, contra quos Comites memorati Ulricus & Ludovicus validum suorum & amicorum miserunt Exercitum, simúlque prope Oppidum Esslingen concurrentes atrox committitur Bellum, in quo Civium Regni, à Comitibus superatur Exercitus, & Victoriam Comites consequuntur; ex parte autem Civium in eo Bello plures ceciderunt, inter quos præcipue occubuit Waltherus Ehinger Ulmensium Capitaneus & Hieronymus Popfinger de Nordlingen campi Ductor cum aliis Militibus, omnes quoque Civitatum Regalium Capitanei aut capti fuerunt, aut occisi, paucissimis exceptis, quibus fugæ Beneficium nox atra contulit Tenebratum.

Anno Domini MCCCCLI. Pace inter Principes & Civitates Regni necdum plenè reformata, correptus peste Ludovicus Comes de Wirtemberg Frater Udalrici supradicti in Auraeh moritur, & apud Chartusienses in Gutenstein cum honore sepelitur; Uxorem habuit Mechtildem Ludovici Comitis Palatini Filiam de qua genuit duos Filios; Ludovicum, qui adolescens sine Liberis decessit, & Eberhardum cognomento Barbatum postea Primum Ducem in Wirtenberg, Virum justum, inclytum & prudentissimum; is in Comitatu Patri succedens Uxorem duxit Ludovici Marchionis Mantuani Filiam Nomine Barbaram, de qua genuit unicam Filiam, quæ Juvencula mortua est, reliquit etiam Comes Ludovicus memoratus duas Filias, Mechtildim, quæ nupsit Lantgravio Hassiæ peperitque duos Novissimos Wilhelmos, quorum adhuc Senior vivit; alteram Elisabetham, quæ primo nupserat Comiti de Nassaw & postea Comiti de Stolberg.

Anno Domini MCCCCLVIII. Udalricus Comes de Wirtenberg auxilio Marchionis Brandenburgensis Alberti contra Fridericum Palatinum Comitem Rheni Bavariæque Ducem Tutorem Philippi, hostiles gerens animos castellum Widern obsidione vallavit, cepit, ac funditus destruxit; quo facto Albertus Marchio cum suis ad propria reversus est: Comes autem Ulricus per agrum Hailprunensem iter faciens, ab altera parte Neccari Fluminis Fridericum supradictum Comitem Palatinum defensorem Oppidi memorati Hailbrunnensis, sex millia peditum, & mille octingentos Equites habentem, quo cognito Comes plana via cum suis, qui etiam fatigati erant ex fervore solis & numero pauciores, sicut ceperat, graditur & ad conspectum Hostium consulto non pervenit.

Anno Domini MCCCCLIX. Dietherus Archi-Episcopus Joannes ab Enzberg Episcopus Spirensis, Albertus Marchio Brandenburgensis, Ludovicus Dux Bavariæ Niger, Carolus Marchio de Baden, Ulricus Comes de Wirtemberg, Emicho Comes de Lyningen & plerique alii Comites & militaris Ordinis Homines in unum conspirantes, se Friderici Comitis Palatini, Philippi Tutoris Hostes & Inimicos publicos denuntiarunt, causas singuli singulas prætendentes; Archi-Episcopus etenim Dietherus propterea quod Fridericus defenderet Adolfi de Nassaw contra eum; Comes autem de Wirtemberg Udalricus Margarelliam Filiam Ducis Sabau-

 diæ

diæ Relictam Ludovici Comitis Palatini Fratris memorati Friderici & Genitoris Philippi duxerat Uxorem, cujus dotem præcedentis Matrimonii juxta condictum Jure postulare videbatur: contra hanc Udalrici Comitis postulationem, Fridericus Comes Palatinus respondendo negativè dicebat quod Margareta memorata, Fratris quondam Uxor, Materque Philippi secum ex Camera Palatinatus in Clenodiis, Jocalibus, & aliis, præter corporis sui Ornatum detulerit in valore non minùs centum millium Florenorum, reddat ille priùs, & dotem recipiat promissam: aliis aliæ fuerunt causæ, maxima tamen omnium fuit quod Fridericus Imperator non solum permisit, sed etiam præcepit ut Bellum contra Fridericum Palatinum Comitem moverent supradicti Principes, propterea quod videretur nimium superbus, arrogaretque sibi titulum Imperialis Electionis, Philippo, cujus erat Tutor, debitum; Imperialibus Præceptis Rebellis & inobediens eo quod Friderico Duci Bavariæ consentiret: Fridericus autem Comes Palatinus tot Inimicis circumseptus, nusquam est mente fractus aut animo perturbatus, sed contractis suorum copiis, Principatum suum per circuitum armatis munivit, & deinde cum reliqua parte Exercitus se ubique Inimicis opposuit.

Anno Domini MCCCCLXI. cum Dominus Adolfus Comes de Nassaw contra potentiam Comitis Palatini qui Diethero ab Eysenburg assistebat, resistere non posset, auxilium Ducis Bavariæ Ludovici, qui Niger dicebatur, & in Maysenheim morabatur, invocavit, assignans ei pro stipendio quicquid habuit Moguntina Ecclesia in districtu Spanheimensi, Bickelsheim videlicet castrum & villam, Sabernheim Oppidum, Montzoga Oppidum, Nossbarum Villam, Ulmonem Oppidum & Villas plures alias in circuitu cum omnibus proventibus: Carolo autem Marchioni Badensi Archi-Episcopus Adolfus pro stipendio contulit in pignus quasdam Villas in circuitu cum omnibus utilitatibus & proventibus eorundem. Udalricum Comitem de Wirtemberg contra Dietherum Adolfus etiam invocavit & conduxit stipendio XX. millium florenorum in prompta pecunia: erat autem Comes Udalricus Homo Bellicosus & audax, simul & potens valde; conduxit & alios plures videlicet Wilhelmum Saxonem, Henricum Comitem de Swartzenburg, Comitem de Konigstein, bnit & in auxilium Archi-Episcopum Trevirorum, Georgium Episcopum Metensem, Fratrem ejus Joannem Episcopum Spirensem, Albertum Marchionem Brandeburgensem, & alios plures. Comes autem Palatinus, qui cum Diethero sensit, postea quam ipsemet in Hostes sevire cœpit, non potuit quiescere, sed tanquam unicus Molossus quem plures circumstant catelli latrantes nunc in istum nunc vero in alium copiarum suarum impetum vibravit & morsus, & primo quidem Expeditionem movit contra Udalricum Comitem de Wirtemberg, & ejus Terram Incendio, deprædatione, ac ferro, multiplici Incursione hostiliter devastavit: Comes autem contracto Exercitu X. millium pugnatorum, IV. Idus Julii contra Hailbronnam Regni Oppidum, quod erat sub defensione memorati Comitis Palatini movit, quod ubi Cives intellexerunt, missa Legatione ad Comitem Palatinum, ea quæ fuerunt pacis rogabant & impetraverunt: interea Comes Palatinus cum una Exercitus parte contra Ludovicum Ducem cognomento Nigrum processit ut Hostis, quippe sæpe deceptus, & Oppidum Gaubicklheim in primis obsedit, cepit, murosque & Turres ejus dejecit, in quo CLX. pedites captivavit: duravit ista Principum & Episcoporum supradictorum contentio per integrum Annum, & non sine multorum damno periculorum.

Anno Domini MCCCCLXII. postea quam inter Fridericum Comitem Palatinum defensorem Diet[h]eri de Eysenburg & Adolfum de Nassaw cum adhærentibus ei, longa concertatio du[r]asset, & jam fessis aliquantulum partibus, amicorum consilio per Oratores Principum de Pace fuit conventum; igitur convenientibus in unum, quibus consultandi pro Pace Legatio fuerat commissa, sub certis clausulis atque Legibus negotium concordiæ in medium fuit propositum: Adolfus autem impatiens morarum conventum pro concordia facienda exspectare contempsit, sed in exterminium Palatini armavit, Rumor quippe falsus exierat, quia Palatinus qui dicebatur in Bavaria, mansérat occultè in Patria.

Igitur

Igitur Carolus Marchio Badensis, Georgius Episcopus Metensis Frater ejus, & Udalricus Comes de Wirtemberg, contracto milite adunaverunt Exercitum sexcentorum videlicet Equitum, & sex millium peditum, & Terram Palatini Comitis, quem longe extra patriam crediderant, devastarunt, & inprimis quidem Heydelsheim Oppidum obsidione cinxerunt; quod cum intellexisset Comes Palatinus, Viros secum armatos, quotquot videbantur necessarii, assumens, nocturno tempore intravit Oppidum, & paucissimis cognitus Custodias & defensores per Muros & Turres sufficienter collocavit: Videntes autem postridie obsessores quod expugnare Oppidum non possent, soluta obsidione inde recesserunt expeditionem Ulterius moventes.

Inde haud procul ab Heydelberg Oppido Residentiæ Comitis Palatini, Castra posuerunt, quibus Locatis auxiliarii missi ab Adolfo, quadringenti supervenerunt Equites, peditumque tria millia & paucis diebus quieverunt: ultima vero die mensis Julii Anno prænotato manè in aurora prænominati tres Principes Georgius Metensis Episcopus, Carolus Marchio Badensis, & Ulricus Comes de Wirtemberg cum multis aliis Comitibus atque Nobilibus, peditatu in Castris relicto, cum solo Equitatu mille circiter Virorum in agrum Heidelbergensem iter deflectunt & pedetentim equitantes, igne cuncta Villagia & Curtes Religiosorum devastare simul & Incendere cœperunt, Fridericus autem Comes Palatinus per Exploratores de Hostium intentione mane certificatus, cum septingentis equitibus & peditatu multo, cum ad huc tenebræ essent, Heydelberga exivit, & in proximo Nemore, ubi Hostes transituri erant, se abscondit; supervenit casu Dietherus de Eysenburg cum trecentis Equitibus, & se Palatini Copiis latenter conjunxit: postquam autem tres memorati Principes pertransiissent in Nemore haud procul à Seckenheim villa, & jam pervenissent inter Angustias Rheni & Neccari, ubi nullus erat Locus Fugæ nisi retrorsum, surgunt ex insidiis, qui latuerant Palatinenses, & à tergo impetum facientes, irruunt in Hostes: videntes ergo Principes sæpedicti quod nullus esset evadendi Locus, tumultuario impetu conversi contra venientes dimicare cœperunt, utpote contra quatuor millia, mille; & contra multos pauci, ceciderunt eo in prælio ex parte Principum duo Nobilissimi Comites unus ab Helffenstein, alter ab Salm, Captivi autem Georgius Episcopus Metensis, Carolus ejus Frater Marchio Badensis, Ulricus Comes de Wittemberg & alii Comites, Nobiles & Ignobiles ferme quingenti, cum magno triumpho ducti fuerunt in Oppidum Heidelberg & vinculis mancipati; tandem Pecunia multa se redimerunt. Acta sunt hæc in Campo latissimo non procul à Ladenburg die ultima Junii; Georgius Metensis Episcopus Jacobi Marchionis de Baden quondam Filius & Caroli Frater Germanus pro Liberatione sua de Captivitate Palatino Comiti Friderico quadraginta quinque millia Florenorum dare compulsus fuit: denique cum omni militia sua & tribus in Lotharingia Castellis Bergrod, S. Theobaldi & S. Crucis Palatino scripsit perpetuo obnoxia. Carolus Marchio Badensis pro sua Liberatione Palatino promisit, scripsit & dedit Centum millia Florenorum: verum quia tanta summa Pecuniarum non erat in promptu ad manum, tali conditione suo Triumphatori satisfecit: quicquid in Comitatu Spanheimensi habuit, Oppidaque Bessiheim, Bretzheim cum Teloneo & Castello sub reemptionis Jure assignavit, insuper omni reemptionis Juri, quod se habere super Oppido Heydelsheim & Oeppingen prætendebat, venationibus quoque & piscationibus inter Seltz & Germersheim in Terra & Rheno, pro quibus antea Lis & contentio fuerat, in perpetuum renuntiavit, Oppidum denique Pfortzheim Palatino Feudale constituit, & se cum omni Populo & posteritate sua literis & Juramento Necessariis, in perpetuum eidem obnoxium fecit.

Udalricus autem Comes de Wirtemberg pro Centum Florenorum Millibus à Palatino similiter fuit mulctatus, quorum in promptu fuerunt soluta quadraginta millia, viginti autem millia Florenorum Comiti memorato ab Adolfo de Nassaco moguntino Archi-Episcopo contra Dietherum super strata montana assignata, idem Comes Palatino resignavit: & sic fuerunt soluta sexaginta millia Florenorum: de reliquis vero quadraginta millibus Comes de Wirtemberg Palatino pensionem dedit annuam duorum millium Florenorum, quam Necessariis Monumentis confirmavit: Marpach insuper Oppidum Palatino Feudale constituit, & cum omni militia sua Palatinatui obnoxium scripsit: his Factis Principes liberati sunt & ad propria quilibet eorum rediit.

ANNO DOMINI MCCCCLXV. Adolfus Archi-Episcopus Moguntinus de consensu suo, & Romani Pontificis Pauli II. confirmatione, Heinricum ex Comitibus de Wirtemberg, Filium Udalrici Comitis memoratæ Ecclesiæ Canonicum, in coadjurorem assumpsit, qui officium illud aliquamdiu satis prudenter administrans, omnium in se convertit amorem, & dubium non fuit si in eo mansisset ordine, in quem fuit à Domino vocatus, ad apicem pontificatus fuisset assumptus verum non diu postea dimisso quo fungebatur officio coadjutoris, Canonicatum deseruit & ex Comitibus de Zweibruck & Bitsch uxorem duxit, de qua genuit Udalricum Ducem de Wirtemberg tertium in Ordine, sed ista mortua aliam duxit uxorem ex Comitibus de Salm de qua genuit Georgium Comitem, & Filiam quæ desponsata fuit Heinrico Duci de Brunswick.

ANNO DOMINI MCCCCLXXIIIJ. Eberhardus Barbatus Comes de Wirtemberg Filius Ludovici, qui postea in Ducem fuit sublimatus à Maximiliano Rege, uxorem duxit nomine Barbaram, Marchionis Mantuæ Filiam, & Nuptias in Oppido suo Aurach solemni pompa celebravit, Liberos tamen de ea non habuit præter unicam Filiam, quæ in pueritia morte fuit sublata.

ANNO DOMINI MCCCCLXXVII. Gymnasium Universale apud Suevos in Oppido, quod Tubinga nuncupatur Constantiensis diœcesis Erectum est, Opera & impensis Eberhardi Barbari Comitis de Wirtemberg, & Matris ejus Mechtildis Archiducis Austriæ, quæ genere soror fuit Ludovici & Friderici Comitum Palatinorum Bavariæque ducum, quæ primo nupserat Ludovico Wirtembergensi Comiti, ut supra dictum est, Fratri Udalrici, de quo concepit & peperit jam dictum Eberhardum: Ludovico autem jam vita defuncto nupsit Archiduci Austriæ Alberto, quo etiam sine Liberis mortuo, ad Filium est reversa, verum quia majoris est æstimationis Archidux quam Gomes, Ducis titulum sibi ab ultimo & non à primo retinuit: Sixtus ergo Papa quartus, ad preces hujus Mechtildis & Filii ejus memorati, noviter institutum Gymnasium auctoritate Apostolica confirmavit, & Privilegiis ad Instar Bononiensis Gratiose munivit, in quo Gymnasio plures viri docti floruerunt.

ANNO DOMINI MCCCCLXXIX. circa principium mensis Novembris Eberhardus Barbatus contractis Copiis Equitum & peditum in Comitatum provinciæ Nellenburg, sive Pagum quem vulgo Hogaw nominant, Exercitum movit contra Sigismundum Archiducem Austriæ, & Castellum Hohenkreuv munitissimum quod eorum fuit Equitum qui de Kreidingen nuncupantur, obsedit: Causa obsidionis fuit quod Joannes & Eytelius de Fridingen quasdam Villas ipsius Comitis incenderant, & Rusticos in memoratum Castrum abduxerant propria temeritate captivos: igitur obsidione firmata cum sine intermissione Comes oppugnaret Castellum, hi qui Laborabant obsessi, videntes tantæ multitudini se non posse resistere diutius, quæ pacis erant cœperunt à Comite postulare, dedit pacem Comes rogatus, & certis sub conditionibus obsidionem amovit ut videlicet arx illa Hohenkreen & sibi & suis omnibus pateret ad Libitum, obsidione autem soluta Comes Eberhardus liberatis captivis ad sua rediit: Verum Sigismundus Archidux Austriæ cum audivisset hæc, animo contra Eberhardum commotus, Litteras ad eum misit indignatione plenas, jubens ut ab iuvasione & occupatione Nellenburg & montis Metberg quantocius desisteret, aut experiretur quid ita læsus & injuriatus posset: sed Comes animo Constans & inperterritus per Litteras Duci respondit se præscriptionem & possessionem dicti montis Metberg decem supra Centum Annos posse docere, quare petat, ut ipsum quietum permittat, tandem causa, utriusque consensu ad Cæsarem translata est, qui secum assumens certos Regni Principes montem Metberg ut erat proprium Comiti adjudicavit, arcem vero Hohenkreen Juri possidentium permisit absque ulla contradictione.

ANNO DOMINI MCCCCLXXX. Mortua est Margaretha Ducis Sabaudiæ Amedæi quondam Filia, quæ primo Nupserat Ludovico pio Comiti Palatino Rheni ac Principi Electori, de quo concepit & peperit Filium Philippum, qui Patri successit in Principatu; Ludovico mortuo Nupsit Udalrico Gomiti de Wirtemberg.

Hoc ipso Anno mortuus est & Ulricus Comes de Wirtemberg memoratus, uxorem secutus, Princeps Magnificus, humanitate, mansuetudine, Beneficentia, virtute simul & pruden-

prudentia insignis & ab omni populo sibi subjecto dilectus ut Pater Stutgardiæ in collegiata Ecclesia S. Crucis cum tribus Legitimis uxoribus suis Nobilissimis, quas successive duxerat, cum debito Honore Sepultus: reliquit autem duos Filios Eberhardum & Henricum, quorum prior mortuo Eberhardo ex patruo Nepote, Duce postea facto sicut dicemus, in Ducatu successit, & sine Liberis obiit: Henricus autem uxore ducta Filia Comitis de Bitsch genuit Udalricum Ducem, qui pulso Eberhardo Patruo strenue Ducatum Wirtenbergensem gubernat, Patre ad huc vivente.

ANNO DOMINI MCCCCLXXXII. Moritur Mechtildis mater Eberhardi Senioris, circa Festum Bartholomæi Apostoli, quæ fuit soror Ludovici Pii, & Friderici Strenui Comitum Palatinorum Rheni: hæc ut supra diximus primo nupserat Ludovico Comiti de Wirtemberg, peperatque Seniorem Eberhardum Barbatum postea Ducem, Ludovico autem mortuo nupsit Archiduci Austriæ Alberto, quo etiam mortuo ad Filium reversa, reliquum vitæ in viduitate peregit.

Anno supradicto Eberhardus Comes Senior Barbatus Romam causa devotionis cum Notabili suorum Comitatu profectus est, & Sabbatho ante Dominicam mediæ quadragesimæ urbem ingressus, sequenti die quæ fuit Dominica Lætare, à Sixto Pontifice aurea Rosa donatus fuit, & tam ab ipso Papa quam à Cœtu Cardinalium magno cum honore susceptus obtinuit authoritatem & Licentiam transferendi sæculares Canonicos ex Collegiata Ecclesia Aurach ad Herrenberg, & in eorum Locum reponendi Fratres qui de communi vita nuncupantur Cœnobitæ, propterea quod Apostolorum Exemplo sine proprio socialiter vivunt in communi sub uno Præposito, Indulgentias etiam plurimas impetravit pro eadem Ecclesia, quam in sua reversus magnifice construxit & sufficienter dotavit, in qua & Rosam auream, sibi à Pontifice donatam, cum multis venerabilibus Reliquiis Sanctorum collocavit.

ANNO DOMINI MCCCCLXXXV. Eberhardus Barbatus Homo prudens & astutus Consilio, sciens quod juxta Dominicam Sententiam omne Regnum in se ipso divisum, desolationem patiatur, & domus supra domum cadat, cum Principatus Wirtembergensium esset in duo partitus quomodo in unam revocaretur Monarchiam prudenter excogitavit; habebat enim duos ex Patruo nepotes ut supra dictum est, Eberhardum videlicet & Henricum Comites, qui unam continebant partem Comitatus, Stutgardiam scilicet cum pertinentiis, ipse autem possidebat Aurach cum Oppidis Castellis & vicis suis, consilio itaque Senioris Ebirhardi, consentientes Junior Eberhardus & Henricus, Comitatum divisum reduxerunt in unum, statuentes & Litteris confirmantes quod Regimen Principatus Wirtembergensis perpetuo deinceps maneat indivisum penes unum, de cujus manu Hæredes reliqui annuam pro sustentatione sui pecuniariam recipiant portionem, hac unitate prudenter conclusa per populum quoque Terræ unanimiter collaudata, & sequenti Anno de consensu Principum in conventu Frankenfurtensi confirmata; Senior Eberhardus Juniori permisit facultatem acceptandi utrum vellet præesse comitatui, aut vitam ducere quietam; consilio suorum intellecto, qui non ignorabant Seniorem Eberhardum pro communis Patriæ utilitate ad Regimen fore meliorem, cessit Principatui, provisione annua sex Florenorum millium contentus: porro Henricus Frater Eberhardi hujus Junioris, propter continuas infirmitates suas simili contentus provisione fuit, postea solus progeniem Comitum nunc Ducum continuavit.

ANNO DOMINI MCCCCLXXXVI. Monasterii Zwifalten Ordinis S. Benedicti Abbas, novitate sua quærens disturbia se se una cum dicto Monasterio suo à Tuitione Comitum de Wirtemberg tentavit subducere & defensioni Austriæ Ducum in totum commendare, aptatum igitur Vexillum Archiducis Sigismundi qui morabatur in Inspruck Suspendit in Monasterio, ut Signum alienatæ Tuitionis esset manifestum, quod cum audisset Comes Eberhardus Barbatus, Monasterium potenter intravit, Vexillum Archiducis deposuit, laceravit, projectumque in Terram pedibus calcavit, reposuitque suum quod propterea secum attulerat, ea de re Magnam Friderici III. Imperatoris Indignationem contraxit, interveniente tamen Rege Maximiliano, in Gratiam rursus venit, & Tuitionem retinuit.

Anno Domini MCCCCLXXXVII. die XVI. Februarii Natus est Ulricus Comes de Wirtemberg, Patre Henrico & Matre Comitis de Bitsch Filia, in Richenwyler, quem Infantem Eberhardus Senior Comes Barbatus, per duos à Secretis, inde cum nutrice ad Sturgard occulte transferri fecit, ibique summa cum diligentia educari.

His temporibus idem Comes Eberhardus, ad Honorem Omnipotentis Dei novum in vasta solitudine Monasterium construxit cum Ecclesia, ambitu, aliisque mansionibus necessariis, in eo Loco qui ab antiquo Schonbusch nominatur, quod magnis tandem consumptis impensis provida largitione sufficientissimè dotavit: consumato Monasterio, non Monachos cujusvis approbatæ Regulæ non Canonicos Regulares, non denique sæculares, sed nouum quoddam Genus hominum, qui nullam alicujus Ordinis Regulam observant, sed in communi viventes, Fratres de communi vita vocantur; Hos ad novam introducens domum, quam erexerat authoritate Apostolica, Grisæum habitum in Blavum commutavit, statuens ut Ordinis S. Petri Fratres nuncuparentur & essent, in cujus Patroni memoriam Clavem de albo panno lineo ante pectus Tunicæ portarent assutum, & hæc ejus prima institutio fuit, ut in illum S. Petri Ordinem, de Comitatu Wirtembergensi dumtaxat Oriundi Paupetes sive depauperati Honestæ tamen conversationis Presbyteri sex, de illorum Genere quos Nobiles vocant, & de Oppidanis seu villanis similiter sex, & quod Nobiles debeant præesse cœteris etiam Sacerdotibus, sed hæc ultima constitutio sic postea immutata fuit & hodie servatur, ut non ex Nobilibus Laicis, sed ex Sacerdotibus unus sit prior, cui cœteri omnes obediant.

Anno Domini MCCCCXCV. Conventus Principum in Wormatia Magnus fuit, & diu duravit. Illic die XXI. mensis Julii Maximilianus Rex, proprio ut ferebant motu, ad nullius Instantiam Eberhardum Seniorem Barbatum Comitem de Wirtemberg, Virum prudenter strenuum, & non minus armis atque divitiis potentem, in Publico Principum consessu è Comite in Ducem sublimavit adhibitis in eo Negotio solennitatibus debitis & consuetis, & ex eo tempore Duces in Wirtemberg & Teck facti perseverant hodie.

Rosarum Rosa Wirtemberg Stirps generosa
Longe Laudati Comitesque nominati
Mumppelgart ditati, post hoc Duces creati.
De quibus est primus, nomen cui Eberhardus
Ad Bona non tardus, Fragrans ubique ut Nardus
Nam laus ejus late diffunditur ex probitate
Post vitæ Cursum ductus ad æthera Sursum.

Anno Domini MCCCCXCVI. Die Mensis Februarii XXIIII. Eberhardus ille Barbatus Dux primus in Wirtemberg & Teck excoriatione Vesicæ, aliisque Corporis doloribus cruciatus diem clausit extremum, cujus Corpus ut petierat, habitu Ordinis S. Petri, quem ipse, ut supra diximus, instituerat, involutum ad novum Monasterium ab eo constructum evectum, solenni Funere sepelitur: fuit autem Eberhardus Princeps statura quidem Corporis aliquantulum brevior sed magnanimus, & ad quævis ardua promptus & imperterritus, Consilio providus & cautus, omni disciplinarum Genere exercitatus, vita & conversatione singulari, & ad DEUM Rectitudine mentis devotissimus, in cujus quotidiano cultu, nihil eorum quæ ad quemlibet pertinent Christianum Principem vel optimum neglexit.

Post mortem hujus Clarissimi Principis Eberhardi Ducis Wirtembergensis primi, vocatur ad Ducatum è Primoribus Terræ Eberhardus Senioris defuncti ex Patruo Nepos Filius videlicet Udalrici Comitis, qui Frater fuerat Ludovici Genitoris Eberhardi primi Ducis jam memorati; is Eberhardus eo tempore profugus, vitam extra Patriam agebat, Senioris metu in quem deliquerat, qui proximus Hæres juxta dudum concordata, vocatus advenit: ab Episcopo Augustensi & aliquibus Nobilibus à suis deputatis cum debito honore suscipitur, Dux & Patriæ Princeps salutatur: Rexit autem Ducatum Wir-

Wirtembergensem Annis fere duobus, postea, ut diccmus, fumositate cerebri agitatus, Principatum deseruit: erat ei consuetudo dum cibum caperet nunquam sedere ad Mensam sed stare semper: ubi autem interdum aliquantisper sedere placuit, cessabar penitus ab edendo, lubebat tamen bibere, & hunc morem in Maximiliani Mensa & quorumlibet Principum præsentia servabat.

Anno Domini MCCCCXCVIII. Eberhardus Dux magnæ sibi fuit causa calamitatis: cum enim multa præter Rationem & æquitatis Ordinem præsumeret, Patrui sui bene Acta retractaret, statutis Patriæ Sanctis ac publicis temere contrairet, in Consilio suo Homines foveret fugitivos, à Monastica Professione Apostatas, Nebulones & Tenebriones, qui aliquamdiu Exulanti & profugo adhæserant socii, & viarum Comites, quorum jam Nutu Regebat & Regebatur, Bonos autem Viros Nobiles, Doctos, prudentes, & probos contemneret, atque à Consilio suo removeret, Populi Odium in se provocavit; Innotuerat præterea, quod Nomina quorundam Integerrimorum Virorum quibus pro Patria semper Cura fuerat, ad delationem illorum Tenebrionum, in Schedula consignata, morti destinasset; unde moti non sine ratione multa dicerent in Ducem, quæ honestatis consideratione transimus, & publicum Genti per Litteras indixere Conventum, in quo de communi Patriæ Utilitate tractandum erat, & hæc Indictio Conventus facta est de scientia ipsius, licet non placeret in Corde, quia contradicere multitudini Virorum Notabilium sine suspicione mali non potuit, causa vero Principalis hujus Conventus alia non erat, nisi pro Informando Principe quatenus Homines illos Spatieos, improbos, & Pacis Inimicos de sua Curia exterminaret, Viros bonæ Famæ, prudentes, Nobiles & doctos in Consilium suum reciperet, & quæ viderentur Reipublicæ Nocitura communi tractatu corrigerentur; verum prius quam dies Instabar conveniendi, Dux Eberhardus metuens Procerum, Prælatorum, Nobilium & Communitatum in se pro male commissis Censuram, deportatis secum Thesauris & quidquid in auro vel argento habere potuit, cum paucis de Familia Nebulonum Clandestine recedens abiit, & Patriam eum Ducatu voluntarie dimisit, & primo quidem Patria Terra cedens venit Ulmam Regale Oppidum Sueviæ, postea ad Argentinam, deinde Stauronesum Oppidum, vulgo Creutz dictum, quod uno milliari distat à Monasterio Spanheim, post hæc Ordinante Philippo Comite Palatino, ad quem confugerat, in Castello quodam Lindenfels nuncuparo mansit usque ad diem mortis suæ per Annos ferme sex, memorati Expensis Principis non tamen Captivus, ut quidam contendunt, causam enim Opinati hujus Rumoris breviter dicam.

Philippus Comes Palatinus Rheni, plus æquo Venationi deditus, patienter ferre non potuit, ut in ejus ditione quispiam Feram caperet; Eberhardus autem Dux profugus eum pervenisset ad dictum Castellum Lindenfels quod situm est in Optimo Venandi Loco, quotidie venatum ire cœpit, utpote Homo deditus otio & cui omnis Hora sine tali occupatione longa videbatur: videbant hoc Ministeriales Palatini Comitis, in eodem Castello servientes, qui voluntatem Domini sui non ignorabant, & quomodo Ducem à præsumpta Venatione deterrerent absque mora Consilium acceperunt: quodam igitur mane diluculo eum exiturus jam esset ad venandum ex more, casu prospexit per Fenestram & vidit à proximo Nemore duos Equites quasi ad Latrocinium paratos, nunc prodire paululum, nunc se denuo in Nemus recondere, quibus visis Castellanum vocat & dicit, Domine præfecte qui sunt Equites isti quos video in Nemore latitantes, numquid ex Palatinensibus sunt: cui Præfectus per Deum, inquit, Domine nescio qui sunt, vel quid ibi faciant; ad quem Dux, mitte precor Exploratores ut sciam qui sint, vel quid ibi faciant, ne forte sint Suevi mei, & quærant animam meam perdere: misit Exploratorem præfectus plenissime Informatum de subordinato Negotio Timoris, qui rediens ad Ducem plures in Nemore latitare dixit, & pedites & Equites armatos, nec se aliter conjicere nisi quod Suevi sunt Wirtembergenses, quibus auditis Dux Territus est, & Castellum egredi non audebat, post horas aliquot venerunt quidam Villani ad confirmationem figmenti, qui ad Ducem Intromissi dicebant se captos eo mane fuisse à Suevis in Nemore Latitantibus & interrogatos qua hora Dux Consuevisset exire venatum, his etiam auditis pro indubitato habuit, fuisse Suevos in Nemore ad captivandum eum; ab illo die nemo potuit ei persuadere ut amplius exiret venatum, sed quamdiu vixit, non captivus sed voluntarie inclusus permansit in Castro.

Maximilianus Rex audiens tam inopinatum Ducis recessum & volens ejus consulere Honori, monuit eum bis atque tertio, ut ad dimissum rediret Principatum, eo quod ipse suas vellet interponere vices, ut omnia fierent pro ejus nutu; rogabant id non minus, & ipsi Nobiles & Prælati Patriæ per Litteras & Oratores suos humili Supplicatione quatinus redire dignaretur ad Regimen sui principatus, promittentes se facturos omnia quæ decet erga Principem fieri per subditos; sed omnia frustra sunt tentata, per illos enim, quos secum habuit Nebulones, propriæ timentes pelli, seductus fuit primùm ut fugeret, deinde confortatus in proposito ne rediret, asserentes & persuadentes nimium credulo, quoniam si ad Ducatum redire voluerit perpetuo carceri esset mancipandus: Videns ergo Maximilianus Rex quod Hominem ad sanæ mentis Integritatem non posset reducere, Udalricum Henrici Comitis Filium fratruelem memorati Ducis profugi, ætatis Annorum decem, Wirtembergensibus Ducem constituit, & profugum Eberhardum omnino deposuit, & ut inutilem Patriæ simul & Regalibus inobedientem Mandatis, Rebellem declaravit, qui & posthæc apud Lindenfels moræ suæ tempus in Moria consumavit.

Anno Domini MCCCCXCIX. Sabina Alberti Ducis Filia desponsatur Udalrico Duci Wirtembergensi Annum ætatis agenti undecimum, quorum Nuptiæ post Annos duodecim apud Stutgardiam fuerunt celebratæ.

Anno Domini MDIII. Udalricus Dux Wirtembergensis sub Tutoribus Constitutus, quos Regentes nuncupabat ut eorum nutu regeretur; simul atque Ducatui vices suas interposuit Rex Maximilianus, amotis iisdem, omnem administrationem Principatus Udalrico prædicto ut Legitimo Hæredi moderandam commendavit, cum Annum ætatis ageret XVI. pensitabat enim jam tunc Maximilianus Rex in adolescente animum Generosum Nobilem atque maturum, qui satis ad Res Gerendas & Patriæ defensionem videretur Idoneus: erat sane tum adolescens supra ætatem Intelligens, Ingenio subtilis, Eloquio facundus, mitis & affabilis, & quod maxime commendatur in Principe, Mansuetus, non crudelis, non superbus, sed humanissimus.

Anno Domini MDIV. Maximilianus Rex Totius Regni Principes & Duces una cum Ministerialibus in Bellum contra Ducem Rupertum ejusque Genitorem Philippum Comitem Palatinum Rheni & omnes eis consentientes convocat, Bellumque indicit tanquam in eos, qui mandatis Regalibus inobedientes fuissent atque Rebelles, & Ecce conveniunt ad mandatum Regis mox Principes cuncti & civitates in vicinia, & quasi ex condicto in Palatinum Comitem Philippum & Filium ejus Rupertum unanimi consensu arma tulerunt: inter quos Udalricus Dux Wirtembergensis tum jussu Regio, tum propriam adversus memoratos Principes habens actionem, Anno prænotato mense Majo, se Litteris Heidelbergam publicè missis, Hostem & Inimicum, ut fieri solet, manifestat; deinde contractis Copiis ad Numerum, ut ferunt, XX. millium Pugnatorum peditum & DCCC. Equitum, Terras Palatinorum Ingreditur, & inprimis Monasterii Mulbrunensis, quod Cisterciensis est Ordinis, Possessiones & villas Igne & Ferro devastavit, Wernsheim villam dicti cœnobii cum aliis Incendio cremavit, pecora Rusticorum abegit, postea ipsum Monasterium, quod in modum Castelli satis erat munitum, obsidione vallavit, in quo Palatinus Comes trecentorum Virorum præsidium Locaverat, & in monte ex opposito, pro defensione Loci quoddam arcis in modum construxerat Fortalitium non sine multis expensis, quod Dux Udalricus in primis adoritur, quassatumque Machinis cepit, deinde muros cœnobii, Turres, & domos intus positas Machinis Bellicis impetivit; videntes autem qui erant in Monasterio quod tantæ potentiæ Ducis non possent resistere, quodque nullum de suo Principe haberent auxilium, quamvis id sæpius implorassent, sub certis conditionibus Duci Monasterium tradiderunt: Dux itaque Monasterium Ingressus, eos qui erant de parte Comitis Palatini, juxta condictum Libere dimisit, susceptaque Loci Advocatia, Monachosqui cum Abbate Spiram secesserant, revocavit: inde progrediens Knitlingensium Campum potenter subjecit, & Palatini Oppidum Bretheim obsidione cinxit, castra ponens ab ejus parte aquilonari, obsidione firmata, confestim Muros, Turres, ædificiaque Oppidi, Bombardarum Ictibus cœpit impellere ad Ruinam, sed qui erant in Oppido & Numero & audacia viri potentes, in Papiliones Ducis Machinas direxere tonantes & se & Oppidum

dum constanter & fortiter defensarunt; una namque dierum cum Wirtembergenses Bombotonantes & Machinarum Custodes, Ocio, vino, & somno dediti nihil minus quam Oppidanorum suspicarentur Excursum, Palatinenses de Oppidulo erumpunt, Ocio homines memoratos vacantes, quasi securos inveniunt, adgrediuntur, cedunt, occiduntque & Bombardas nonnullas Hostium violenter secum abducunt.

Fit subito ingens Clamor, & grandis sub confusione Tumultus, dum præ gaudio Palatinenses attollunt in aera Voces, Wirtembergenses autem ex subita Incursione attoniti, Palatinos minus caute secuti, cum portam invenissent apertam introgressi sunt Oppidum, protinusque Clausis valvis crudeliter occisi, sed & plures in captivitatem abducti sunt: ceciderunt in eo Tumultu ex utraque parte viri ducenti & supra, plures tamen de Wirtembergensium Exercitu quam Palatinorum: postremo sedatis Tumultibus Suevi Mortuos in Cœmiterio quodam non longe posito sepelierunt: duravit ista Oppidi Bretheim obsidio diebus XXI. quibus effluxis venit in Papiliones Ludovicus Filius Philippi Comitis Palatini primogenitus, quem Dux Udalricus de Wirtemberg cum Honore suscepit & in Tentorium suum lætanter introduxit: quid inter se tractaverint, aut quas conditiones pacis admiserint, me latet usque in præsentem Diem, solum hoc habeo compertum quod Udalricus Dux Wirtembergensis mox post Ludovici Recessum obsidionem amovit ab Oppido memorato Bretheim & inde recessit.

Verum Brèthemiana obsidione soluta, Dux Ulricus munitissimam Palatini Comitis arcem Bessikheim firmissima obsidione coarctavit, Lapides sine intermissione Bombardarum violentia intromittens, quibus haud parum tribulavit obsessos, qui impetum Machinarum diutius ferre non valentes, communi Decreto Munitionem Ulrico Duci sub conditione salutis tradiderunt: Dux autem Oppidulo cum arce obtento, traditores absque læsione abire permittit, dein ultrà progressus contra Ludovicum Comitem de Lewenstein, quierat in parte Comitis Palatini, quia ex Patruo Nepos, omnem Comitatum ejus Incendio & vastatione Hostili destruxit, penitusque desolavit, Castrum quoque memorati Comitis Lewenstein obsedit, & in quatuor diebus obtinuit, ipso Comite Ludovico, in Bavaria cum Duce Ruperto existente: verum post Annos quatuor Dux Ulricus quorundam Nobilium precibus ad misericordiam flexus, Castellum Lewenstein dicto Comiti sub certis conditionibus restituit, una villa dumtaxat excepta, cujus Incolæ nulla ratione induci poterant, ut sub ditionem Comitis Ludovici redirent, causas habentes varias.

Ulricus Dux exinde in Comitem de Weinsperg movit Exercitum & incensis igne per circuitum Villis, magnam Terræ intulit desolationem, postquam ipsum Castellum Weinsperg obsidione vallavit, quod similiter expugnavit in paucis diebus & per deditionem obtinuit: rursusque progrediens novam Civitatem Palatini Comitis facili facilitate capiens in suam redegit potestatem: deinde Meckmul Oppidum cinxit obsidione, quod etiam brevi suæ subjecit potestati; tandem mandato Regali subsecutæ sunt Treugæ, & à Bello cessatum. Animus in Udalrico Principe adolescente fuit magnus, cujus Impetum nisi Regia cohibuisset authoritas, damna Palatinis Graviora intulisset: Laudamus eum quoniam in ea parte Christianum servavit pugnandi modum, quo & Monasteriis & Ecclesiis Deo consecratis pepercit; quippe qui neque Incendio consecrata Domino Templa subvertit, neque servorum DEI cœnobia spoliavit, sed animo strenuus, potentia Virtuosus ac Pius in Deum, quoad fieri potuit Ecclesiæ Monasteriis omnino pepercit.

Anno Domini MDV. in Principio Mensis Julii convenerunt ad Regem Maximilianum in Colonia multi Principes Regni; in eo conventu ipse Pius Rex reformavit pacem inter discordantes Principes: Summa conditionum fuit, ut qui Tempore Belli plura perdidisset, careret amissis, & qui multa fuerat Lucratus non compelleretur, saltem in Foro contentioso ad Restitutionem.

Anno Domini MDXI. in Dominica Quinquagesimæ quæ fuit II. dies Mensis Martii; Ulricus Dux Annum ætatis agens XXIIII. Bavariæ Ducis Filiam sororem videlicet illius quam Palatinus Comes Ludovicus accepit, Nuptias Stutgardiæ magna cum solennitate celebravit, ad quas invitati convenerant Principes isti; Wilhelmus Dux Bavariæ Frater sponsæ Germanus, Fridericus Dux Saxoniæ Princeps Elector, Fridericus Fra-

ter ejus Germanus, Fridericus Marchio Brandenburgensis, Henricus Dux Mechelburgensis, Christophorus Marchio Badensis & Filius ejus Ernestus, Wilhelmus Comes de Henneberg Fridericus Comes de Hohenzollern & Filius ejus Franciscus; Nicolaus Comes de Salm, & Comes unicus de Bitsch, & plures alii Nobiles & Barones Equos habentes, ut ferunt, tam pro curribus quam pro suis vectionibus plusquam VII. millia.

Anno Domini MDXII. Ulricus Dux Wirtembergensis Abbatem Monasterii Zwifalten sive duplcis aquæ nuncupati, cepit, & de cœnobio abductum in Castello suo Neuffen custodiæ mancipavit, quæ res cum in Notitiam Constantiensis Episcopi devenisset, Ducem pro violenta injectione manuum in Prælatum denuntiavit excommunicatum, Dux autem Nuntios suos misit ad Julium Romanum Pontificem, & informavit de causa, ab eoque Beneficium absolutionis petivit & impetravit, quod etiam ei memoratus præsul Constantiensis ex Commissione Apostolica impendit: Abbatem vero Captum Dux Episcopo tradidit quem ille in Castello suo Mersburg nuncupato custodia mancipavit.

Anno Domini MDXIII. Ludovicus Princeps Elector & Fridericus Frater ejus Comites Palatini, cum Ulrico Duce Fœdus perpetuum contraxerunt, quod Maximilianus Cæsar authoritate Regali confirmavit: hæc autem novi ac perpetui Fœderis Sanctio est denuntiata a populo per Territorium, non solum in Oppidis sed etiam in villis commorantibus.

Anno Domini MDXIV. Suborta fuit in Ducatu Wirtembergensi magna contra Ducem Udalricum, subditorum suorum conspiratio: surrexerunt enim ex Oppido Schorndorff quidam Homines Frontosi & Factionum Principes perniciosi, qui sub prætextu justitiæ omnem Principatum Ducis & Christianam Religionem nitebantur extinguere: nam occulta conspiratione inter se facta, in brevi tempore Magnam Rusticorum multitudinem sibi adjunxerunt: crevit paulatim multitudo Rebellium & animis concitata furiosis, se se ad publicam Principis sui contumeliam armavit, conquerebantur se in consuetis nimium gravari exactionibus multaque præferebant in medium, quibus simplicium animos in odium Principis & consiliariorum ejus contra Jus & æquitatem provocabant: augebatur quotidie conjuratorum Numerus, adunatoque IV. millium Exercitu, in campum pugnaturi adversus proprium Dominum perjuri & stolidi processerunt; at vero Ulricus Dux prudentia usus, Rusticorum Insaniam mitigavit, revocatisque ad subjectionem plurimis, Factionum Principes alios capitis reos detruncavit, alios de Patria proscripsit, reliquæ multitudini ut seductæ per alios, veniam sub certis conditionibus dedit & sic insanæ mentis populi Furor, Ducis prudentia coercitus quievit.

Periculosa nimis fuit ista Tenebrionum Conspiratio quam in provinciæ totius, omniumque Germaniæ procerum utriusque status simul & Christianæ Religionis exeidium, Gens Impia suggerente Diabolo, excogitavit, nam ut constat ex Reorum confessatis hæc Intentio fuit quam articulatim subjiciam. Primus conspiratorum Articulus, quod non solum Rusticos & Oppidanos Ducatus memorati Wirtembergensis, sed Omnes quoque in circuitu Populos à Principum, Episcoporum, Abbatum, Dominorum atque Nobilium subjectione retrahere laborabant, census & subventiones debitas penitus negaturi, & ut sperabant sine lege deinceps victuri. Secundus vero articulus, quem in proposito habuerunt fuit: quod si Dux renuisset temeritati eorum præbere consensum in multis quæ præter rationem præsumebant, quod ipso vel capto vel Interfecto, Fratrem ejus Germanum, qui Comes est, pro eo in Ducem sublimarent. Tertius articulus fuit talis: conabantur Summo Studio Societatis suæ numerum augere, quem si ad XX. seu XXX. millia pugnatorum perducere potuissent mox aciem non solum in Principem, sed & in Clerum quoque omnem, in claustrales maxime divites & Nobiles Terræ dirigere, cunctisque Bonis spoliare cogitabant.

Crudelis eorum sævitia, quam nisi omnipotens Deus sua providentia citius redegisset in nihilum, militibus præsumendi similia brevi audaciam præstitisset. Hanc Turbam Conspirantem, vulgari vocabulo Pauperem Conradum indigne nuncupabant, vel ab autore seditionis, ut quibusdam placet, vel propter Vexillum quod sibi Statuerant pugnaturis præferendum, in quo ante imaginem Crucifixi in genibus decumbens Rusticus depictus erat, super cujus verticem Inscriptio talis videbatur *der arme Conrad*, id est *Pauper Conradus*.

IIII.

IIII.

ANONYMUS DE ORIGINE ET ABBATIBUS COENOBII COMBERGENSIS.

ANtiquis Temporibus Amnis *Kochen* (qui Sueviam à Franconia separat) *Chohe* dictus fuit, & Castellum velarx, ubi nunc Collegium Comburgum est, olim de hoc Fluvio Chohe *Chohenburgum* fuit appellatum, ut Constat ex Litteris Fundationis & Libris qui reponuntur ad Rerum memoriam: extincta autem Nobili illa Gente quæ Chomburgum primitus tenebat, Arx cum adjacente Oppido, Episcopatui Augustano, ut Feudi Domino, cessit, donec insequenti Tempore per concambium ad Comites Rotenburgenses è Sanguine Ducum Franconiæ derivatos transiit: Hi olim appellati fuerunt de Fluvio Tubari, Domini de *Taub* sive de *Columba* unde albam quoque Columbam expansis alis super Galea Gestarunt, in scuti vero Thalassico Campo Caput aureum Leonis cum Trabe aurata in Ore, quorum & hæc est Genealogia.

N. COMES de ROTENBURG.

RUGGERUS		RICHARDUS	EINHARDUS
ALBERTUS	RUGGERUS	RICHARDUS	
EINHARDUS Episc. Würtzburgens	BURCARDUS Monachus	HEINRICUS Uxor. Geba † absque Liberis.	RUGGERUS † in peregrinatione Jerosolym.

Vocabantur autem hi Proceres Domini de Taub aliàs de Columba, (ut dictum est) postea Comites Rotenburgenses à Civitate sua: porrò, erat sacellum quoddam prope Arcem Comburgum ædificatum in Honorem Dei & S. Bartholomæi Apostoli, quod Nostro Sæculo juxta peristylium vel circuitum Monasterii, S. Mariæ Cappella erat, Ruinam minitans: juxta id sacellum magna stabat Quercus, sub cujus patulis Ramis, tres Fratres Generosi, Arcis hujus inhabitatores, tempore æstivo sedere, & auram Suavem capere solebanr Burccardus Nimirum, Heinricus & Ruggerus, ad quos fere quotidiè, ut ad Juvenes Hilares ac Jucundos, Equites & Nobiles Viri ex Vicinia veniebant.

Quadam Die Burccardus sub illa Quercu obdormiens, videre sibi visus est Pulchrum Monasterium, & quendam in Pontificio habitu Virgam manutenentem, illudque in duo Cenobia dividentem, quorum unum reposuit in monte vicino qui nunc paruum Comburgum & S. Ægidii appellatur, quod Burccardus evigilans, admiratus, Fratri suo Ruggero totum narravit, qui & illud diligenter consideravit: eandem visionem quædam Religiosa mulier infra habitans ad montem Combergium (nunc Steinbach appellatum, sibi in prædicto Sacello inter Orandum vigilanti oblatam fuisse retulit eodem die quo Burcardo dormienti: Fertur quoque Incolas Villæ Hessenthal nocte Naralitiorum Christi Magnarum Campanarum Sonitum audivisse, quo excitati surrexerint, euntesque Steinbachium ad Vigilias Nativitatis Domini, cum ad Hessethalericum Clivum venissent visi sunt sibi multos Cereas ardentes in arce Comburgo videre & Choralem Cantum audire, portus igitur Arcis pulsasse ut intus intromitterentur, sed cunctos inhabitatores, præter Vigiles, somno sopitos fuisse; alio die Comes quidam Chohengovus Westæ habitans una cum Comite Burccardo Comburgum versus equitans, cum ad montem Comberg venisset pileo detracto erga eundem se reverenter inclinavit; causam Facti rogatus, eam se rescire dixit: verum Burccardus sui Propositi memor, Faxit Deus, inquit, ne frustra te Inclinaveris.

L   Die

Die de hinc Pentecostes, Monachis Benedictinis ex vicino S. Jacobi Monasterio, Lithurgiam in Sacello S. Bartholomæi decantantibus, cum ventum esset ad versiculum: *Infunde Unctionem tuam*, Tres illi Fratres Comites qui tunc assistebant, ad Lacrymandum commoti sunt, ac Sacello egressi, quercum illam subierunt, atque illius visionis, quæ Burccardo oblata fuerat recordati, de condendo Monasterio in eodem Loco inter se tractarunt: quo minus tamen mox exequeretur impedimento fuit Expeditio Saxonica Regis Heinrici, cui interesse cogebantur Comites Heinricus & Ruggerus; inde Domum reversi, convenit inter ipsos ut Ruggerus Italiam peteret, interea vero Burcardus. Castellum Comburg demoliretur Cœnobiumque construeret, quod quomodo & quando factum sit Indicat sequens Inscriptio.

Anno Dominicæ Incarnationis MLXXVIIII. Indictione II. VII. Kal. May, Feria III. Beatæ memoriæ Domnus BURCKHARDUS Cœpit Arcem suam Cohenburg destruere & Monasterium construere.

Anno autem MLXXXVIII. Indictione XI. XII. Kal. Januarii Dedicatum est idem Monasterium a Venerabili ADALBERONE Wirtziburgensi Episcopo Catholico in Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis & in Honore Sanctæ & Victoriosissimæ Crucis, Sanctæ DEI Genitricis Mariæ Sancti Nicholai Episcopi & Confessoris & omnium Sanctorum.

Omnia enim jam tum erant perfecta & absoluta exceptis tribus Turribus, quæ ad decem Cubitorum altitudinem tantum educta erant: Postquam autem Comes Burchardus Monachos ex proximo S. Jacobi Cœnobio desumptos in illud introduxisset, ipse sequentes Litteras ab Archi-Episcopo Ruthardo impetravit.

„In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Ego RUOTHARDUS DEI Gratia Moguntinensis Archi-Episcopus, Omnibus Sanctæ Ecclesiæ Fidelibus Notum esse Cupio, „tam futuris quam præsentibus quod Domnus BURCHARDUS, in Honore Sanctæ DEI Genitricis Mariæ & Sancti Nicolai, in monte Kohenberg nominato, Monasterium quod„dam construxit, ad quod ipsum Locum cum omnibus justitiis & pertinentiis Prædiorum „& Mancipiorum seu quarumcumque Rerum ex toto super Altare S. Nicolai Libera manu „sua & Fratrum suorum Comitum scilicet Ruggeri & Henrici tradidit, DEO & Sancto „Nicolao in proprietatem &c.

In his Litteris continetur.

I. Illos tres Fratres Comites omnia Bona sua huic Monasterio tradere, ut DEI Cultus in eodem perpetuis temporibus perseveret.

II. Licere conventui Abbatem Idoneum sibi Eligere secundum Regulam S. Benedicti.

III. Fas esse Abbati & Fratribus Advocatum probum & justum ad tuenda Monasterii Jura, & possessiones adsciscere, quam præfecturam ille semper ab Imperio Romano, nec tamen Hæreditario accipiat.

Nomina Testium in illis Litteris sunt.

„Adelmannus S. Albani Præpositus, Embricus Camerarius. Arnoldus Custos. „Anshelmus Præpositus. Volckuandus Decanus. Embricus Cantor. Eulogius Præpo„situs, Richardus Præpositus. Druthmarus. Guntherus. Gotscalcus.

„Laici Comes Gerhardus. Comes Wigerus. Comes Heinricus. Comes Ludo„vicus. Rudiger de Husen & Frater ejus Heinricus. Heinricus de Newenstat. Gisel„bertus. Ernestus, & alii plures.

Vive-

Vivebat tunc temporis Nobilis Vir nomine Wignandus de Castel juxta Moguntiam, cui uxor erat Nomine Adelheidis. Ipse habens Moguntiæ veterem Domum, quæ ruinam minabatur, quam cum dejiceret reperit intra muros ingentem Thesaurum, ignorans autem cujus fuisset, nec sciens quomodo collocandus esset, cum de Nova Comburgi Fundatione inaudiunt tres ibidem Turres inchoatas sed Comitis Burccardi morte imperfectas relictas esse, Fratremque ejus Comitem Heinricum Cogitare de Cœnobio Sacrarum Virginum è Regione Majoris Cœnobii ædificando, quæ res amborum animos ita commovit, ut integrum illum Thesaurum cum omnibus Bonis suis quandoquidem Liberos non habebant, ad utriusque Comburgi absolutam exædificationem converterent; sic tres illæ Lapideæ Turres, quæ adhuc cernuntur perfectæ sunt, Fœmineumque S. Ægidii Cœnobium quod & olim parvum Comburgum dictum est, Anno MCVIII. Construi cœpit. Ambo Conjuges Vitam Monasticam professi piè obierunt, Wignandus in Sepulchro Fundatorum Loci depositus, Adelheidis vero in Parthenone Ægidiano, ubi etiam humatæ sunt Geba uxor Henrici Comitis. Bertha soror Engelhardi Comitis Lobenhusani soror nec non Sophia, Guta, & Irmelgardis aliæque personæ Illustres.

De Comite Heinrico etiam hæc reperio, quod cum nullos Liberos suscepisset ex conjuge sua Geba, Templum S. Ægidii in parvo Comburgo ædificaverit, Magno Comburgo autem dederit Oppidum Neunburgum, hodie non amplius exstans, & villas Gebsattel, Vischbach, Sulzbach, Ottrsbach, Thalam & Marckartshofam, Civitatem vero Rotenburgum Imperio Romano tradiderit.

Nuper etiam in Loco S. Ægidii in effossione Cellæ vinariæ inventum est Sigillum æreum in quo visebantur Duæ Palæ cum hac Inscriptione. *S. Agnetis de Paris Prioriss. S. Ægidii.*

SERIES ABBATUM.

I. Hemmo. Is dicitur fuisse ex Monachis Lorchensibus qui & Lorchæ mortuus ac sepultus sit, cum post aliquot Annos ibidem suos olim Confratres inviseret: Lorchense autem Monasterium Anno Domini MCII. Conditum est; seriùs igitur Hemmo in Abbatem Comburgensem electus est.

II. Adelramus. Sub hoc S. Ægidii Gynæceum Cœptum & absolutum est, ubi & ipse humatus.

III. Herduwigus. Qui Tertius post Burccardum & Wignandum Fundator exstitit, plurimos Fratres & sorores in utroque Comburgo congregavit, eisque optimo Exemplo præivit. Coronam æream in auratam cujus circumferentia continet pedes XX. super Fundatorum Sepulchro appendi fecit.

Semper ut ad Cœlos nisus extendat Anhelos
Hac ope Virtutum prospexit iter sibi tutum
Viribus has scandens totis Hartuvicus *ad Arces,*
Istud præclaro, qui fecit opus, Nicolao,
Quo Patre Magnorum sibi Præmia dante Laborum,
Gaudeat in Cœlis, servi mercede fidelis.
Arte metallorum Visus cum pascitur horum:
Quærere mens Curet, quid opus sibi tale figuret?
Turribus & muris, Fundatæ, non ruituris,
Mysticat, Ecclesiæ structuram Circulus iste:
Argento, Ferro, confectus & ære sub auro,
Monstrat Apostolicum, Turris bis sena, Senatum
Per totidem metas sua pandit Imago Prophetas,
Qui pacis veræ Fundamina prima dedere;

Signat opus Fidei, nitor aureus illitus æri,
Innuit argentum verbi cumulare Talentum,
Durities Ferri commendat vim patiendi
Ignis ad ardorem servare videtur amorem
Cardine Supremæ scandi in alta Catenæ
Spes designatur qua Virtus quæque levatur
Et Patris & Fratrum petit hoc quodcumque Theatrum
Se Fabricæ tali meriturus confabricari.

Fecit idem Abbas duas Tabulas in quibus Imago Christi, Extremi Judicii & XII. Apostolorum, quarum unam in Ægidiano Cœnobio, alteram vero in Comburgensi sed multo majorem multis etiam Gemmis exornatam, collocavit; auream item Crucem fecit altitudinis Cubiti unius, Latitudinis vero digitorum quatuor, multis radiantem Gemmis, quarum una præcipua Gammahu erat magnitudine Ovi Gallinacei, faciem & pectus æthiopis habens; hæc sola Gemma mille florenis æstimata fuerat à quodam Gemmario; verum cum aliquando Monasterio ob Decimas quasdam, ære alieno gravatas, redimendas, pecunia Opus esset, missus fuit cum Cruce Syndicus Cœnobii Georgius Widmannus in Urbem Augustam, ubi tunc prima Comitia Imp. Carolus V. agebat, ut illam Gemmam venderet, sed cum non pluris fieret quam Flor. Centum. exhibita est Crux Domino Conrado de Thungen Episcopo Herbipolensi, qui eam integram emere voluit, verum cum eandem diligentius examinaret, vidit à tergo hos in caustis Cæruleis insitos versus.

Auri Gemmarum Speciale Decus Variarum
Sumat Majestas pia, quod collegit Egestas,
Sudor & Hertwvici placeat Divæ Genitrici,
Servet & hoc Ædis, Nicolaus, Tutor Plebis
In Commune Bonis Vigil insit Cura Patronis
Auferat ut si quis, studiis illectus iniquis
Pœna marcescat, quæ nullo fine quiescat.

His Epigrammate & Execratione lectis, non amplius emendam sibi Crucem Episcopus constituit, sed eam voluit in perpetuum manere Comburgensi Cœnobio ex voluntate Abbatis Hartuwici promittens alia se ratione, Inopiæ Cœnobii consulturum cogitabat ille de auro Tolosano non tangendo.

Obtinuit etiam idem Abbas à Conrado III. Imp. in Favorem sui Monasterii Insigne Privilegium ratione Jurisdictionis, & est sequentis Tenoris.

„In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis CONRADUS Divina favente Clementia „Romanorum Rex. Quotiens Religiosis & justis petitionibus Fidelium nostrorum „maxime autem Sanctarum Ecclesiarum, aures Regalis nostræ Propitiationis inclina„mus, nos ipsos & pro nobis orantes à Rege Regum Clementer exaudiri non Dubita„mus: Omnibus igitur tam futuris quam præsentibus Christi Fidelibus Notum esse vo„lumus nos pro animæ nostræ ac Parentum nostrorum Remedio & per interventum di„lectæ contectalis nostræ GERTRUDIS omnia Bona ad Ecclesiam KOMBERG nuncupatam „& in Honore Sancti Nicolai constructam, jure pertinentia, sub nostra Tutela recepis„se & Regia nostra authoritate decrevisse, ut salvo per omnia jure & justitia Wirzebur„gensis Episcopi, amodo Libere ac pacifice sub immunitatis Libertate maneant: Nihil„ominus consentiente etiam per omnia ac nobis in hac causa astipulante Dilecto nostro „EMBRICONE Wirzeburgense Episcopo, Banno Regali interdicimus ne Comes aliquis, „vel quisquam sub eo qui vulgo Waltpoto vocatur, placitandi, Angariandi, vel ali„quas Exactiones faciendi, per totam illam Abbatiam, ullam habeat potestatem, nisi „tantum Advocatus Beneplacito Abbatis & Fratrum ejusdem Ecclesiæ Institutus, hoc

„autem nominatim per totum Comitatum Kochingovve, quem ante nostram in Reg-„no sublimationem nos ipsi habuimus, fieri præcipimus; humili autem flexi petitione „Hartuwici qui eandem nunc regit Ecclesiam Instinctu quoque Waltheri de Loiben-„husen & Fratrum ejus nos id fecisse sciatis: ut autem hujus nostri Præcepti Pagina firma „& Inconvulsa omni permaneat ævo hanc Chartam inde conscriptam & manu nostra „Roboratam Sigilli nostri impressione Insigniri jussimus, si quis autem, hoc nostrum „Præceptum Violare præsumpserit, auri puri Centum Marcas componat, dimidiam „partem Cameræ nostræ & partem alteram præfatæ Ecclesiæ persolvat.

„Signum Domini Conradi Romanorum Regis II. Invictissimi.

„Ego Arnoldus vice Adelberti Moguntini Archi-Episcopi & Archicancellarii „Recognovi.

„Dat. Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXVIIII. Indict. II. Anno vero Domi-„ni Conradi Regis secundi invictissimi. II.

IV. Albertus. qui Fanum S. Oswaldi & Xenodochium Comburgi Condidit.

V. Gernottus aliis Gernandus. Is post Triennium Laudabilis Gubernationis suæ Fuldam postulatus est Abbas, vixit circa Annum Christi MCLX. & obiit priusquam Romæ à Pontifice confirmaretur, ideo non recensetur inter Fuldenses Abbates. Sepultus in Fuldensi Basilica; sic & Waldranum Comitem Veldentiæ Spirensem Episcopum qui ad Annum MCCCXXXVI. Mortuus est, ob hanc causam deterioris conditionis fuisse invenio, nam Effigies ejus super sepulchro suo apud Prædicatores repræsentat quidem Episcopum, sed infula non in capite sed juxta posita est.

Sub hoc Gernotto, Vetus & Labile Castellum in monte Suevicæ Halæ positum, quod nobilibus de Halbi exstinctis, ad Comburgenses ut Feudi hujus Dominos pervenerat, Hallenses permutatione quadam obtinuerunt ab Abbate & Conventu assignando illis aream, ubi nunc Nosocomium est juxta Rivum; Tunc & vetus illud Castellum Senatus Halensis demolitus est ibique Templum S. Michaeli sacrum construxit ut fieret Parochialis Ecclesia Civitatis.

VI. Engelhardus Leo. Hic ex Conventuali Comburgensi Electus fuit. Obiit II. Calend. Januarii & Halæ sepultus est in S. Jacobi Monasterio.

VII. Wernherus. Sub hoc ossa Fundatorum, Burchardi scilicet & Henrici Comitum, Wigandi de Castel & Abbatis Herdwigi exhumata sunt, & simul in Lapideo sepulchro reposita sunt.

VIII. Rudigerus ex Halensi Familia Sulmaisterorum Ortus fuit.

IX. Volckardus, aliis Volkerus qui obiit in visitatione Præpositure in Nusbaumo, ubi & Terræ mandatus est; Nusbaumum autem Monasteriolum, non longe à Comburgo situm conditum fuit ex Arce quadam hujus nominis à duobus Equitibus Marcuvardis nomine, Patre & Filio circa Annum Domini MCXXXVI. qui illud cum suis proventibus tradiderunt Comburgensi Cœnobio, ea conditione adjecta, ut perpetuis Temporibus duo ex Fratribus Comburgensibus ibidem Monasticam vitam agerent.

X. Waltherus. Obiit III. Kal. Januarii & Murhartti sepultus.

XI. Conradus Prensius; qui senectute pressus Abbatiæ Renuntiavit.

XII. Conradus de Entzsewig. Rudera Castelli Entzsewe de quo hic Ortum traxit, conspiciuntur in sylva post Michelbachium, Fichenthalam versus: Sub hoc Abbate Cœnobium S. Jacobi Halæ cessit Patribus Franciscanis Anno MCCXXXVII. Statutum etiam fuit ut deinceps nullus ad Cœnobium Comburgense admitteretur nisi ex utroque Parente Nobilem se probaret.

XIII. Eberhardus Elstershovius obiit VIII. Kal. Februarii.

XIV. Embrico de Bebenburg.

XV. Henricus de Scheffaw. obiit Anno MCCXLI.

XVI. Berchtoldus de Hohenstein. Obiit XVII. Kal. Jannarii Anno MCCLXXXVII.

XVII. Siegfridus de Morstein. Obiit Anno MCCCXV. die Nona Aprilis.

XVIII. Henricus de Bretzing, Hessenthalius nuncupatus obiit XVII. Kal. Dec.

XIX. Beringerus Sulmaister. Murharti in Peristylio Sepultus.

XX. Conradus Hohusius sive de Anhausen & Ehusen.

XXI. Wolframus de Bielriedt. Cum hoc medietas Castelli Bielriet una cum Redditibus provenit Comburgensi cœnobio. Suis etiam Temporibus quatuor Parrochiæ Tungenthal, Gebsattel, Steinbach & Cunzelsaw cœnobio incorporatæ sunt, pro quibus cesserunt Ecclesiæ Herbipolensi quatuor aliæ Reinwolsberg, Michelfeld, Steinkirchen, & Kreglingen.

XXII. Conradus de Munckheim. Hic Anno MCCCXXIV. decima quarta Idus Martii, dum Monasterii sui commodis intendit, graviter ab Hallensibus vulneratur, & captivus abducitur: sed interveniente mox Archi-Episcopo Moguntino Mathia è vinculis solvitur & ab Halensibus omni satisfactionis Genere placatur. Habuit deinde Limburgenses & Hohenloenses Dominos sibi graviter infensos propter arcem Nagelsberg, quæ prope Kuntzelsaw sita est: cesserat ea Comburgensibus, ut Feudi Dominis, postobitum ultimi hujus nobilis stemmatis: in quo & partes ejus tuitus est Balduinus Trevirensis Archi-Episcopus & Moguntinæ sedis tunc administrator. Præfuit Conradus Abbas Annis XLI.

XXIII. Rudolfus de Gundelshausen.

XXIV. Heinricus Siefer. Monachus Comburgensis qui contra Antecessorem suum Rudolphum violenter intrusit, & Annis X. Regnavit. Facta sunt hæc tempore Urbani V. Papæ circa Annum MCCCLXVI.

XXV. Erckingerus Veldner. Alias de Stetten dictus, obiit Anno MCCCXCIX. Sepultus Comburgi in sacello S. Joannis: Anno aurem MDXLIX. dum ibidem Johannes Spiessius nobilis, suæ gentis ultimus, sepeliretur, visus est hic Abbas Erckinger in Ligneo suo Loculo serica veste indutus, nondum corruptus.

XXVI. Ernfridus de Vellberg. Qui decessit Anno MCCCCXXI. die S. Timothei. eo Præsidente Domini de Hohenstein ædificarunt in Gratiam Fratris sui Monachi Comburgensis sacellum quoddam supra portam interiorem duobus Turribus Lapideis ornatum, quod consecratum fuit in Honorem S. Michaelis.

XXVII. Gotefridus, aliis Sifridus de Stetten in Kochenstetten; hujus tempore Bemburgius quidam Comburgensibus erat vehementer infestus; unde Abbas subditorum clamore excitatus valide Hostes aggressus est, ac ipsemet Hasta pro suis pugnavit. Obiit Anno MCCCCXXXI.

XXVIII. Ernfridus de Vellberg hujus Nominis secundus. hic Anno MCCCCLXVIII. pridie S. Bartholomæi de consensu & voluntate Rudolfi Episcopi Herbipolensis aperuit Lapideum Sarcophagum, Ossa Fundatorum Comburgensis cœnobii continentem invenitque quatuor plumbeas Tabulas in totidem Saccis Coreaceis seorsim jacentibus, cum his inscriptionibus.

I.

II. Die Septemb. Obiit Comes Burckardus Fundator hujus Loci.

II.

XVIII. Februarii. Obiit Comes Heinricus Frater D. Burckardi Fundatoris hujus Loci. III.

III.

XII. Mensis Novemb. Obiit Wignandus Mon.

IV.

XXI. Novemb. Obiit piæ memoriæ Herduvigus Tertius Abbas hujus Loci.

Hæc omnia suis rursum Locis reposita sunt & addita plumbea Tabula quo Anno & die, quove Abbate & Testibus apertum fuerit hoc sepulchrum. Ædificavit hic Abbas sacellum super ossuarium Comburgi, ibique in Lapideo Sarcophago jacet Anno MCCCCLXXVI. die Paschatis mortuus.

XXIX. Andreas de Trefftshausen, hujus Stirpis ultimus. Monachus probus & simplex, qui à Prædone quodam cœnobium infestante, in tantum molestatus, ut muneri suo ultroneè se abdicaret. Obiit Anno MCCCCLXXXIV.

XXX. Hildebrandus de Creisheim, qui opponentibus se ipsi conventualibus mœrore confectus obiit Halæ, Domi sororis suæ. quiescit Comburgi in D. Virginis sacello Anno MCCCCLXXXV.

XXXI. Sigefridus dictus Vom Holtz conventualis Neresheimius. hic fuit ultimus Combergensis Abbas & primus præpositus nam Anno MCCCCLXXXVIII. Innocentio VIII pont. max. Imperante vero Friderico III. Rudolpho Scherenbergio Episcopo Herbipolensi Monasterium hoc in Collegium seculare mutatum est, Prælatisque commissum quinque, Præposito nimirum, Decano, Scholastico, Cantori, & Custodi. Obiit Sigefridus Anno MDIV. die Decollationis S. Joannis Baptistæ. Comburgi in Capella S. Petri humatus, sed cum adhuc viveret Coadjutorem sibi adhibuit Petrum de Aufsess. Canonicum Wirzeburgensem magnæ prudentiæ & authoritatis Virum. & I. Præpositus. II. Præpositus.

V.

NECROLOGIUM MONASTERII S. MICHAELIS BAMBERGÆ.

JANUARIUS.

	Kal.	*Hiltebrandus* Conversus.
		Anshelmus Abbas in Salevelt.
		Heilica Laica.
		Albrat Conversa.
		Eberhardus Abbas Bruvenigens.
IIII.	Non.	Adelbertus Abbas nostræ congregat.
		Gertrudis matrona Tekgingens.
		Mathilt & *Appa* Conversæ.
III.	Non.	*Williramus* Abbas Frat. nostræ congregat.
		Wernhardus Conversus.
		Diezela Laica hæc dedit octo Talenta.
		Udalricus presb. & Monachus nostræ congregat. MCXLVII. hic multos Libros scripsit nobis.
		Christina Matrona & Inclusa.
II.	Non.	*Udalricus* presbit. Præpositus S. Petri MCLXIIII. hic dedit Prædium pro se & pro Patre & Matre, Thuribulum cum Acerrâ, & scutellam argenteam.

	Franco presb. & mon. nostræ congregat. hic dedit nobis prædium cum vinea. . . . .
	Fritala Laica.
	Burchardus Laicus hic dedit VI. Talenta.
VIII. id. Jan.	Tiemo Diac. & Abbas nostræ congregationis. MXCIIII.
	Erminoldus Abbas S. Georii pruvenıngens.
	Helmericus Laicus. MCLXXV.
	Cunigunt Comitissa hæc dedit prædium suum Dornbach in anniversarium suum.
VII. id.	*Rudolfus* Laicus hic dedit mansum.
	Hemma conversa.
VI. id.	*Bertholdus* Abbas Wirciburc.
	Heinricus Comes.
V. id.	*Udalricus* presb. S. Petri MCLVIIII. hic dedit nobis Cappam cum aurifrigio & scutellam argenteam.
	Erenbertus Laicus. hic dedit pro se & Filio suo Sigiberto prædium.
IIII. id.	*Ebo* puer & Monachus.
	Ella conversa.
id. Janu.	*Hemma* Abbatissa Kizzingens.
	Liupoldus conversus nostræ congregat.
	Irmingart Laica. hæc est mater Beronis Canonici, quæ dedit nobis prædium suum.
	Fridericus Archi-Episcopus Magdeburgensis.
XVIII. Kal.	*Anshelmus* Abbas Seligunstad.
	Irmingart Laica.
XVII. Kal.	Rato Abbas. primus hujus Monasterii Abbas fuit Domnus Rato. III. candelæ.
XVI. Kal.	*Frotolfus* presb. & mon. nostræ congregat. MCIII.
XV. Kal.	*Waltherus* Abbas S. Felicit. Swartzach.
	Bertha de *Wisintovva* conversa: hæc dedit mansum.
	Volcmarus Abbas Tekking.
	Herbort puer & mon.
XIII. Kal.	*Burchardus* Abbas S. Felicit. Swartzach.
XII. Kal.	*Udalricus* Abbas Schyrin.
	Irmingart Laica.
XI. Kal.	*Ruzelin* diac. S. Petri. hic dedit nobis prædium suum III. Cand.
	Ekkehardus Laicus.
	Helivic Laica: hæc dedit cum viro suo Adelhardo VII. mansos.
	Irmingart Inclusa.
IX. Kal.	*Gunzo* Laicus. hic dedit prædium.
VIII. Kal.	*Arnoldus* de *Chunstat* Laicus hic dedit prædium unum & pratum tam pro se quam pro uxore sua.
	Frideruna & Filia *Bertherat*. Insuper Filius ejus *Arnoldus* dedit pro eis mansum unum. III. Cand.
VII. Kal.	*Eberhardus* mon. MCLXVI.
	Adelheit conversa.
V. Kal.	*Volmarus* Abbas Hirsaugiens.
IIII. Kal.	*Herdegen* de *Wisa* pro hujus anima datus est mansus.

FEBRUARIUS.

IIII. Non. Febr.	*Poppo* Abbas S. Burchardi.
III. Non.	*Imbrico* Abbas in Michelvelt.
	Chuno Laicus. hic dedit nobis XXX. Marcas.
II. Non.	*Dietpertus* Laicus. MCLXIIII.
	Chunradus Marchio.
	Rutger Laicus. hic dedit prædium unum & II. marcas.

Hedevvic

Hedevvic Laica. hæc dedit prædium.
Non. Febr. *Adelheit* de *Gremiſtorf* Laica.
VIII. id. Febr. *Poppo* Laicus. hic eſt Frater Udalrici, pro cujus anima dedit prædium.
Lampertus presb. & mon. Fuldæ.
Druthlieb Laica pro hujus anima datum eſt Talentum unum, quo comparatus eſt miſſalis Liber.
Dietricus Abbas S. Mariæ Ahuſen.
ADELHEIT Comitiſſa de Wartperc. hæc dedit prædium cum Familia.
V. id. *Nixo* Converſus hic dedit vineam.
Adelheit Converſa.
IIII. idus. *Gundeloch* de *Lancheim* Converſus.
Otto Laicus hic conſtituit Carratam vini & Talentum.
III. idus. *Reginoldus* Abbas de Seligſtad.
Ezzo Abbas S. Petri Wirziburc.
II. idus. *Adelbero* Laicus.
Sigehardus Abbas in Swarzaha.
Adelburg Laica. hæc dedit cum viro ſuo *Wilrat* Calicem unum deauratum cum duabus Albis, & mappam unam.
Idus. *Juſtina* Laica hæc dedit prædium.
Mathildis Incluſa & Monacha noſtræ congregat.
Hilta Sanctimonialis.
Liutfridus Monachus Frater Domini OTTONIS Epiſcopi.
XVI. Kal. Mart. ADELBERO Epiſcopus Babenbergenſis.
Imiza Laica. hæc eſt mater Udalrici, pro cujus memoria dedit Prædium.
XV. Kal. POPPO Epiſcopus Wirziburc.
Vuillihalmus Laicus. hic dedit pro Filia Manſum unum & pro ſe ipſo XII. marcas.
Pabo presbiter Canonicus S. Kiliani.
CUNRADUS Rex. MCLI.
XIIII. Kal. *Nicolaus* Abbas Sigiburg.
XIII. Kal. *Adalbertus* Abbas S. Emmerammi.
Wezil Monach. S. Blaſii, pictor.
XII. Kal. *Hademot* Converſa S. Bonifacii.
Adelheidus Laicus hic dedit cum uxore ſua *Helvvic* VII. manſos.
Rupertus Abbas S. Felicit. Swarzaha.
Hermannus Laicus. hic dedit nobis plenarium cum Pallio & VIII. manſos.
XI. Kal. *Wolframus* de *Stetebach* Laicus.
Liutgart Laica Filia *Ratlohi*.
X. Kal. *Eggehardus* Abbas S. Lauræ Vraugiæ.
Friderun Converſa S. Theod.
Waltricus Converſus. hujus cauſa Filia ejus *Cunigunt* dedit calicem argenteum, Albam I. Srolas. II. & pallium.
Svvipoto Abbas Breiting.
VIIII. Kal. *Ortrun* Laica. hæc dedit nobis Albam & Talentum.
VIII. Kal. *Bertha* Laica. hæc dedit Auriſrigium.
Iſingart Laica, mater Reginbodonis.
V. Kal. *Henricus* Presb. & Mon. noſtr. congregat. Scriptor. MCLXXVII.
Otto Presbiter Præpoſitus majoris Eccleſiæ.
Juditha mater Udalrici Præpoſiti.
IIII. Kal. EMEHARDUS Epiſcop. Wirciburg.
III. Kal. *Arnoldus* Laicus. hic dedit Prædium.
II. Kal. *Mechtilht* Laica.
Henricus de *Haſela* Laicus.
BERTHOLDUS Comes. hic dedit Prædium Richpach.

MARTIUS.

	Kalend.	*Gundeloh* presb. & mon. nostræ congregat. MCLXXVI. Indict. IX. *Bertha* Inclusa.
V.	Non Mart.	CHUNIGUNT Imperatrix MXXXVIIII. hæc est Imperatrix quæ construxit Locum Babenberg.
IIII.	Non.	*Friderun* Conversa. hæc dedit nobis duas aureas Fibulas & fecit nobis optima Aurifrigia. *Adelbertus* Laicus. hic dedit nobis prædium.
III.	Non.	*Burchardus* Laicus, cujus causa nobis data est Vinea una. *Richolfus*. hic est qui ædificavit Monasterium nostrum sub Domno OTTONE Episcopo. *Geppa* Abbatissa in Tulba.
II.	Non.	*Hermannus* Abbas Vraha; nostræ congregat. Frater.
VI.	Idus.	*Chunradus* Abbas S. Petri Salevelt. SWIDIGERUS Episcopus Poloniensis. *Udescalcus* Abbas S. Udalrici Augustens. *Bertha* Inclusa Wirziburc. *Geboldus* Abbas Castell.
IIII.	Idus.	*Peppo* Laicus. hic dedit cum uxore sua *Bilezza* Calicem & Casulam cum reliquo Pararu & Prædium, insuper duo Pallia, Cappam & stolam.
II.	Idus.	*Richardus* Abbas in Nuestad. *Paulina* Conversa. *Guta* Inclusa. *Otto* Laicus de *Luttenbach*. hic dedit Prædium.
	Idus.	*Bero* Laicus de *Wisentovva*.
XVII.	Kal. April.	*Godefridus* Abbas Bruvinninge MCLXIII. hic dedit nobis Talenta XVI. pro Anniversario matris suæ, illuminando Altare S. Mathei: Insuper Casulam Aurifrigio ornatam, Calicem, Albam & humerale aurifrigio decoratum & stolam & crucem & Vineas, quas pro LXX. Talentis comparavit. *Osterhilt* Laicus.
XV.	Kal.	*Adelbertus* de *Buna* Laicus.
XIII.	Kal.	*Pilgrimus* Abbas S. Burchardi Wirciburc.
XI.	Kal.	*Mathildis* Conversa: hæc dedit Prædium solvens IIII. uncias.
X.	Kal.	*Udalricus* presb. & mon. MCLVIIII. hic præter alia Pietatis suæ Monumenta, Nobis contulit Calices II. casulam aurifrigio paratam, Thuribulum argenteum, Fistulam auream, Antiphonarium & marcas XII. *Brun* Abbas Hirsaugiens. *Reginbertus* Laicus. hic dedit nobis Prædium.
VIII.	Kal.	*Adam* Abbas in Lancheim. *Hazecha* Laica.
VII.	Kal.	*Alexander* Subdiaconus. hic dedit nobis libros suos super dialecticam & marcam unam & dimidiam.
VI.	Kal.	*Altmannus* Abbas S. Petri Castel.
III.	Kal.	*Ramvolt* puer. *Diemut* Inclusa.
II.	Kal.	*Irmingat* Conversa. hæc dedit nobis Prædium suum Altolveshusen & duas Fibulas aureas.

APRI-

APRILIS.

IIII.	Non.	*Henricus* Conversus.
		Adelheit Laica. hæc dedit nobis pecuniam.
III.	Non.	*Mazelinus* puer Filius *Gundelohi*.
		Wentilmut Conversa.
	Nonas.	*Wezil* mon. & pictor.
		Tuto Diaconus Scolasticus majoris Ecclesiæ, in nostro loco S. Mariæ obtulit Calicem argenteum. Sancto Michaëli CC. Libras argenti. XXX. videlicet pro comparatione Curtis, quæ sita est in Mogontia. LXX. pro Novalibus. VIII. pro ædificatione diversorii. IIII. ad purgandam Cisternam & alias in varios usus pro oportunitate exigente distribuit: præterea totius veteris ac novi testamenti Libris quam nobilissimis Armarium nostrum ditavit.
VII.	id.	*Bertha* Sanctimonialis S. Afræ Wirciburc.
VI.	id.	*Reginbertus* Conversus. hic dedit Marcam Auri.
		Bertha Laica hæc dedit Prædium.
V.	idus.	CHUNRADUS Archi-Episcopus Salzburc. hic dedit Prædium & Cappam.
IIII.	id.	*Heinricus* Laicus. hic dedit nobis cum uxore sua *Tuta* Prædium unum X. marcas & anulum aureum.
III.	id.	*Otto* presbiter Præpositus S. Kiliani.
		Adelheit Laica uxor *Meginhardi*. hæc dedit casulam cum aurifrigio, & alia capitis sui Ornamenta, sed maritus retinuit ea.
II.	id.	*Gundeloh* Laicus. hic dedit nobis XI. Libros.
	id.	*Vuolgnandus* Abbas Vraugiæ Frater nostræ congregationis.
		Wernhardus presbiter Decanus in Hoga.
		CHUNIZZA Comitissa.
		Juditha Laica. hujus causa datum est Prædium.
XVIII.	Kal. Maij.	*Heribertus* Abbas S. Felicitatis in Swarzaha.
		Othnant Laicus. hic dedit nobis prædium.
		GERTRUDIS Regina pro cujus animâ datæ sunt nobis III. Casulæ.
XVII.	Kal.	*Volgmarus* Abbas Merseburgens.
		Richkart Laica. hæc dedit nobis cum viro suo *Hevilone* mansum.
XVI.	Kal.	*VVernherus* Abbas S. Georgii.
XV.	Kal.	*Rapholdus* Abbas S. Stephani Wirciburc.
XIII.	Kal.	*Sophia* de *Frembach* Conversa. hæc dedit Prædium.
XI.	Kal.	*Tuto* Abbas Therasiens.
		Billungus presbiter S. Gangulfi. hic dedit nobis X. Talenta.
X.	Kal.	*Liutold* Laicus Pater *Udalriei* Præpositi; hujus causa *Udalricus* præpositus dedit nobis Prædium Willihalmistorf ad Anniversarium ejus.
		Chunigunt Laica hæc dedit Mansum.
VIIII.	Kal.	*Balduinus* Abbas S. Dionisii Banzo.
		Burchardus Laicus. *Ernest*. de *Rodeheym* dedit Prædium unum & pro se & pro Burchardo Cognato suo.
VIII.	Kal.	*Henricus* de *Brunnen* Laicus.
		Arnoldus de *Chunstat* Laicus.
VII.	Kal.	*Hermannus* Abbas Fuldæ.
		Gotefridus Laicus Frater *Herimanni* Abbatis. hic dedit nobis V. Marcas.
		Hiltigunt Conversa. hæc dedit Prædium.
IIII.	Kal.	*Adelhardus* presb. & Monachus & Custos MCXXX. hic scripsit nobis moralia & Libros Omiliatum duos, aliosque Codices multos.

		Heinricus puer. hujus causa *Vuolgmarus* Pater ejus dedit V. Talenta & duo Vexilla.
III.	Kal.	*Bucca* Laica. hæc dedit cum viro suo *Eribone* Prædium, Calicem, & stolam de aurifrigio.
II.	Kal.	*Helmricus* Abbas Enstorf.

MAJUS.

	Kalend.	*Burchardus* Abbas de Swinfurte,
		Bertha Laica. hæc dedit prædium.
VI.	Non.	*Chunradus* de *Hule* Laicus hic dedit nobis Prædium.
		Egisbertus Laicus. hic dedit Prædium & Vineam.
IIII.	Non.	*Meginvuardus* conversus. hic dedit nobis Casulam & duos calices.
		VVernherus Abbas Erpesfurt.
		VVentilmut Conversa.
II.	Non.	*Albericus* Abbas S. Viti Tharis.
		Cuno Laicus. hic dedit Prædium.
	Nonas.	*Liupoldus* presb. Præpositus. S. Stephani MCLVI.
		Hiltigunt Conversa hæc dedit Prædium.
V.	idus.	HEINRICUS Episcopus Ratisponens & mon. S. Emerami. MCLV. hujus causa *Gotefridus* Abbas instituit nobis in oblationem carratam vini.
		MISICO Dux Polonorum Frater noster. hic dedit nobis Pallium & VI. Cappas puerorum & plurimum pecuniæ unde factæ sunt XXIIII. Staruæ, quæ circa Chorum sunt locatæ.
IIII.	idus.	*Heinricus* Laicus Pater EBIRHARD. Saltzburgens. Archi-Episcopi. *Bertha* Conversa MCLXIIII. pro hujus animâ *Geba* mater ejus in Sepultura ipsius Anulum bonum & Clamyden VI. Talenris comparatam obtulit.
II.	idus.	ADALHALMUS Abbas MLXVI. hujus Monasterii tertius Abbas fuit Adelhalmus, qui restituit nobis Sperulas Furto ablatas.
		Regilint Laica hæc dedit mansum.
	idus.	*Chunnizza* Monacha MCLI. hæc dedit nobis Albam aurifrigio ornatam, stolas II. insuper aurifrigium magnum, aliaque plurima contulit Beneficia.
XVII.	Kal. Jun.	*Mathilt* Laica hæc dedit nobis Cappam I. & X. marcas.
		REGINBOTO Comes hic dedit nobis duo Prædia scilicet Berestat & Cibilze, Pallium cum Calice deaurato, Urceolum argenteum, plurimum pecuniæ, aliaque multa Beneficia contulit nobis.
		Meginloh Laicus. hic misit nobis ab Jerosolimis IIII. Marcas & unum Fertonem aureum.
XV.	Kal.	*VVignandus* Abbas Tharis: nostræ Congregat. MCLI.
		Juditha de *Stambach* Conversa, hæc dedit Vineam & V. Marcas, & Pallium.
XIII.	Kal.	*Frumoldus* Abbas S. Mariæ.
XII.	Kal.	*Chunizza* Inclusa S. Albani.
XI.	Kal.	*Hartuvicus* Abbas S. Nicolai in Fabaro.
		RAPOTO Comes Monachus in Harresberc.
X.	Kal.	*Gisilbertus* Abbas S. Petri Witzenburc.
VIII.	Kal.	*Friderun* de *Chunstat* Laica.

VII.	Kal.	*Wolframus* Laicus. hic dedit duos mansos.
VI.	Kal.	*Geppa* Laica, cujus Causa *Gotefridus* Filius ejus dedit nobis Prædium & Paraturam bonam.
IIII.	Kal.	EGILBERTUS Episcopus Babenbergens. MCXLVI. hic dedit Prædium suum Zuchaha, duo novalia, & duo pallia. in Annivers. suo V. Candel.
II.	Kal.	*Henricus* Laicus, pro hujus anima datæ sunt Duæ Armillæ aureæ.
		Heilwvica Conversa. MCLVII. hæc dedit cum marito suo *Razzone* Prædium.

JUNIUS.

	Kalend.	*Alboldus* Abbas Swarzaha.
		Ludovicus Abbas Sanctæ Mariæ.
		Eppo Abbas S. Petri.
II	Non.	*Wernherus* Abbas S. Martini Wihil.
		NORTPERTUS Archi-Episc. Magdeburg.
		Ruggerus Abbas Fuldæ.
		Mahthilt Sanctimonialis in Kizzingen. hæc dedit nobis Cappas II. Albas II. Stolas II. Vexillum & vas Onichynum.
VII.	idus.	*Sophia* Monacha in Tulba. MCLXV.
VI.	idus.	*Gisilbertus* Præpositus in Lancheim.
V.	idus.	MARCHOLFUS Archi-Episcop. Mogunt.
		RICHIZA Imperatrix. hæc dedit nobis III. Cappas.
IIII.	idus.	*Udalricus* de *Liebestein*. MCLXV.
III.	idus.	HILTIGRIMUS presb. & Abbas nostræ Congregat.
		RUOTPERTUS Episcopus Babenberg. hic dedit duo Prædia.
		DIEMANUS Comes. iste dedit cum uxore sua RICCHARDA Prædium.
II.	id.	HERIMANNUS Babenberg. Episcopus.
	idus.	*Gumbertus* Abbas in Swarzaha.
XIIII.	Kal. Jul.	EBERHARDUS Episcopus Tridentinus.
XIII.	Kalend.	*Vuirint* Laicus de *Chunstat*. hic dedit nobis Prædium.
XI.	Kalend.	EBERHARDUS Archi-Episc. Saltzburg. hic dedit nobis XL. Marcas.
		Gunderun Conversa hæc dedit nobis Prædium suum Ascerbach.
		Hiltigunt de *Steinaha* conversa.
VII.	Kal.	*Gotefridus* Abbas ad montens.
		Burchardus Abbas S. Johannis de Matelhartesdorf.
VI.	Kal.	*Eberhardus* presb. Præpositus S. Petri MCXLIII. hic contulit nobis Prædium unum, & XX. Marcas. pro alio Prædio emendo ob memoriam Fratris. X. Marcas, Calicem aureum, Albam cum Aurifrigio & duas scutellas, ampullam argenteam & alia plurima Beneficia cum Fratre *Volgmaro*.
III.	Kal.	*Gozwinus* Abbas Svarzaha.
		Christina Inclusa.
II.	Kal.	OTTO pius Episcopus Babenbergensis Pater noster. hic est Dominus noster piissimus Otto Episcopus cognomento Pater Pauperum Christi, Apostolus Gentis Pomeranorum, Restaurator hujus cœnobii, Fundatorque aliorum XVIII. Monasteriorum cujus memoria in omni Ore quasi mel indulcabitur, quia ipse revera divinitùs in hunc Locum est directus quem per XXX. & VI. Annos Deo propitiante Gubernans, Cultu interiore ac exteriore tam nobiliter augmentavit, ut quo usque Mundus iste volvitur, ejus Laudabile Meritum semper accipiet incrementum.

JULIUS.

VI.	Non.	*Vualtherus* Abbas Salveldensis.
		Adelbero presb. & mon. nostræ Congregationis Abbas in Banzo.
		MEGINHARDUS Episcopus Pragensis. hic dedit nobis IIII. pallia & LV. Marcas.
		Arbo Abbas Bruvenningens.
IIII.	Non.	*Liutpoldus* Laicus. hic dedit Unciam Auri.
III.	Non.	*Vuillehelmus* Abbas Hirsaugiens.
		Dieto Abbas Swarzaha.
II.	Non.	*Vuillo* Abbas VII. nostræ Congregat.
		Arnold Laicus hic dedit VII. Marcas pro se & Fratre suo *Heimone*.
VII.	id.	*Bruningus* Abbas Scutera: Frater nostræ Congregat.
VI.	id.	BRUNO Episcopus Strazburg. MCLXII. hic dedit XX. Talenta.
V.	id.	*Richardus* Abbas Munstur.
III.	id.	*Derlanus* Abbas Nurinbeg. Scotus.
		HEINRICUS Imperator, hic est Domnus noster Heinricus cognomento PIUS, Secundus in Regno, primus in Imperio Babenbergensis Episcopatus ac nostri Fundator Cœnobii, cujus innumera erga Nos ac Locum nostrum Beneficia Luce Clariora sunt.
	id.	*Chunradus* presb. MCLX. Custos majoris Ecclesiæ Locum nostrum speciali Devotione excolens Duas vineas, unam Heitingesvelt XV. argenti libris coemit, aliam in Fundo Ecclesiæ XX. Talentis excultam ad suum & Domni *Vuolframmi* Abbatis Anniversarium celebrandum deputavit.....
XI.	Kal. Aug.	*Berthous* Abbas S. Bonifacii Fuldæ.
		Gotefridus Abbas Geginbach.
X.	Kal. Aug.	*Marcuvardus* Abbas Fuldæ nostræ Congregat. Frater Anno MCLXVIII.
		Conradus Abbas Scuturæ nostræ Congregat. Frater.
VIIII.	Kal.	ADELHEIT Laica mater BERTHOLDI Comitis. hujus causa datum est Prædium.
VI.	Kal.	*Gertrudis* Laica Filia *Margarethæ*; hujus causa datæ sunt XX. marcæ & Pallium.
III.	Kal.	GUMBOLDUS nonus Abbas nostræ Congregat. MCXII.
		Heinricus Abbas Wizenaha.
II.	Kal.	*Arnoldus* presb. mon. & Medicus.

AUGUSTUS.

III.	Non Aug.	*Adelbero* Abbas Wezinesburc.
VII.	id.	TIEMO Laicus Pater BERCHOLTI Comitis. hujus causa Bertholtus Comes dedit nobis Prædium unum.
IIII.	id.	*Arnold* Abbas Wizenaha.
II.	id.	*Margaretha* Conversa. hæc dedit pro se & pro Filia sua *Gertruda* XX. Marcas & pallium.
	id.	EBIRHARDUS primus Babenberg. Episcop.
		Gerbirc Laica. hæc est mater *Suitgeri* Fratris nostri cujus causa dedit X. mansos.
XVII.	Kal. Sept.	*Wentila* Conversa hæc dedit nobis Monilia & Inaures & Armillas aureas.

Cuni.

		Cunigunt Laica de Vrankenvurt, hæc dedit Domum suam, de cujus censu illuminatur Capitulum.
XVI.	Kal.	*Billunc* Laicus. hic dedit nobis VIII. Mansos.
XIIII.	Kal.	*Rumoldus* Laicus. hic est Pater *Udalrici* Fratris nostri, pro cujus memoria dedit nobis Prædium suum.
X.	Kal.	*Bertoldus* de *Swarzenburc* Laicus. hic dedit Prædium.
V.	Kal.	*Biliza* Laica MCLVIIII. hæc dedit cum Viro suo *Peppone* Calicem & Casulam cum reliquo ornatu & Prædium & Duo pallia, Cappam & Stolam, & Obtulit super principale Altare Inaures gemmatas & aureas.
II.	Kal.	*Tradeboto* Abbas Swarzaha.

SEPTEMBER.

III.	Non.	*Liutoldus* Abbas Admunt.
VIII.	id. Sept.	*Heinricus* Abbas Augiestens.
VII.	id.	*Vuerimburc* Conversa.
		Mathildis Abbatissa S. Mariæ Coloniæ.
V.	idus.	*Vuolfherus* Abbas S. Felicitatis Swarzaha.
IIII.	id.	*Richizza* Laica. hæc est Mater *Ebirhardi* Præpositi, qui multa Beneficia nobis contulit.
II.	id.	Uto Abbas & Levita nostræ Congregat. MLXXXV.
		Vuilleherus Abbas de Panzo. nostr. Congregat. Fratet.
XVII.	Kal. Octob.	*Christina* de Cella-Paulina Inclusa. hæc dedit nobis pallium & Cortinam Laneam.
XVI.	Kal.	*Bernoldus* Abbas S. Nicolai Kaberc.
X.	Kal.	*Vuolframus* Laicus. hic dedit nobis X. Talenta. III. Cappas Calicem & missalem Paratam cum omnibus appendiciis.
VIII.	Kal.	*Udalricus* Abbas de Cella-Paulina.
V.	Kal.	*Altmannus* Abbas.

OCTOBER.

	Kalend.	*Vuolframus* Abbas.
IIII.	Non.	*Eggehardus* Abbas S. Mariæ Steinaha.
	Nonas.	Herimannus Marchio.
VII.	id.	Clemens Papa.
		Heinricus Abbas hujus Loci secundus. hic fecit Analogium & Duas Cruces argenteas, & alia plurima Beneficia contulit huic Loco.
VI.	id.	*Adeloch* Laicus Frater *Herimanni* Abbatis.
		Berthohus Comes & mon. dedit Prædium Sobistal in anniversarium ejus.
XII.	Kal. Nov.	*Witigo* Abbas veteris Castelli.
XI.	Kal.	Wolframus Abbas nostræ Congregat. Anno MCXXIII. Non valet ulla ratione perstringi, quam Largam Benedictionis suæ Copiam in Ingressu Venerandi Patris nostri Wolframi Dominus huic Loco infuderit, qui Monachorum gemma, Discipulorum suorum Honor & Gloria; Locum hunc Restaurando, Gregem Dominicum vigilantissime custodiendo, Magistralem in se Rigorem Paterna Lenitate temperavit, qui in Ordine decimus hujus Monasterii Abbas exstitit, sed omnes Prædecessores suos meritorum prærogativa Longe antecessit; Cujus memoria in Benedictione semper erit.

VIIII.	Kal.	LIUTPOLT Marchio.
		Gertrut Inclusa.
VIII.	Kal.	*Fridericus* Laicus Frater OTTONIS Episcopi.
VII.	Kal.	ADELA Comitissa. hæc cum marito suo REGINBOTONE Comite multa Beneficia contulit nobis.
VI.	Kal.	*Heinricus* Abbas S. Jacobi Mog.
V.	Kal.	POLEZLAUS Dux Polonorum.
IIII.	Kal.	*Fridericus* Laicus de *Lutenbach*. hic dedit duos mansos cum molendino.
		Etha Conversa MCLVIII. hæc dedit mansos II.
II.	Kal.	*Liutpoldus* Abbas Ahusen.

NOVEMBER.

IIII.	Non.	*Wolvoldus* Abbas.
II.	Non.	BEATRIX Comitissa. pro cujus anima dedit maritus ejus BERTOH Comes Prædium Richpach.
		Otgoz Laicus. Ministerialis.
	Nonas.	*Reginhardus* Abbas Sigeberg.
VIII.	id.	HARTUVICUS Episcop. Babenberg.
		Hiltigunt Conversa.
VII.	id.	*Sterkerus* Laicus. hic dedit nobis Prædium suum & L. marcas & Pallium.
IIII.	id.	IMBRICO Episcopus Wirziburc.
		GERHARDUS Comes.
III.	id.	REGINBERTUS Pataviens. Episcop.
XVI.	K. Dec.	*Gozmarus* Abbas Wizenaha.
		Volgmar Monachus, de *Chezberg* hic dedit nobis Casulam prætiosam, tres Calices, & XXV. marcas & II. vexilla.
XV.	Kal.	*Bero* Abbas de Steinaha.
XIIII.	Kal.	ADELHEIT Comitissa de Berchteish. MCLIIII.
XIII.	Kal.	*Wernherus* Abbas de Gotevic.
VIII.	Kal.	*Fridericus* Abbas S. Petri Castell.
VI.	Kal.	*Ekebertus* Abbas Swarzaha.
		Gumbertus puer pro hujus anima Mater ejus dedit Casulam Stolam & Calicem.
IIII.	Kal.	HERMANUS Abbas, hic est Dominus noster Felicis memoriæ Hermannus XI. hujus Loci Abbas. . . . . .

DECEMBER.

III.	Non.	BERENGERUS Comes.
II.	Non.	*Heinricus* Laicus Frater *Herimanni* Abbatis.
	Nonas.	*Anna* Conversa, hæc dedit dimidiam marcam auri.
VIII.	id.	BUCCO Episcopus Wormatiæ.
VII.	id.	POPPO Comes. hic dedit mansum.
IIII.	id.	HELMERICUS Abbas nostræ congregat. An. MCLXVI.
XVII.	K. Jan.	AGNES Imperatrix. hæc dedit nobis. . . .
		Wernherus Abbas in nigrâ sylvâ.
		Gerungus Abbas Cellæ Paulinæ.
XII.	Kal.	*Gozpertus* Abbas in Michelvelt.
XI.	Kal.	*Adeloldus* Monach. hic dedit XX. marcas.
		Fridericus Abbas S. Marci in Gegenbach.

HART-

X.	Kal.	HARTMANNUS Episcop. Brixiens.
		Ernuft Laicus hujus causa Episcop. Magdeburg. Adelgoz dedit nobis Aurifrigium unum.
VIII.	Kal.	*Hartmannus* Abbas de Steinaha.
VII.	Kal.	UDALRICUS Spirensis Episcop.
		Irimbertus Abbas Admontens. nostræ congregat.
V.	Kal.	*Arnolt* presb. S. Stephani, hujus memoriam Herbipolensis Præpositus Frater ipsius agi instituit.
V.	Kal.	*Adelheit* Laica Mater Domni *Herimanni* Abbatis.
II.	Kal.	*Heimo* Laicus. hic est qui Ecclesiam nostram decenter ornavit Fenestris, & insuper dedit X. Marcas.

VI.

BURCHARDI DE HALLIS CHRONICON ECCLESIÆ COLLEGIATÆ S. PETRI WINPINENSIS.

CUm Patrimonium Crucifixi ad usus DEO Famulantium, Monasteriis à Christi Fidelibus collatum, propter Obliviosos desides & negligentes Procuratores seu officiales frequenter, & quandoque etiam à Tyrannis & malefactoribus distrahatur, necesse est Prædia Monasteriis à Christi Fidelibus largita, scripto signari, ut si quando distracta fuerint, possint revocari: hinc est quod Ego Burcardus de Hallis Sacerdos prebendarius Ecclesiæ S. Petri in Winpina scripturus Prædia & Redditus Ecclesiæ ejusdem ad instantiam & preces honorandi Viri Diecheri de Helmestad Præpositi, totiúsque Capituli Ecclesiæ prædictæ, de antiquo statu & mutatione ipsius Loci Winpina & Monasterii Fundatoribus quædam præmittere cogitavi.

Vocabatur igitur hoc Opidum olim Cornelia, quod Nomen componi credo à Cornu & Elijos quod est sol, & sic quasi Cornu seu Radius solis, cujus Opidi Gens primùm Legi & Ritui Gentilium subjecta, postea ad Fidem Conversa, Christo militavit. Accidit autem aliquando ut inter Liutolfum Ottonis magni Imperatoris Filium qui Alemannorum Genti præerat & ejus Patruum Heinricum Noricorum Ducem oriretur Lis Odiumque per instigationem Satanæ & malorum Hominum suasione, quos cum Imperator ad Concordiam minimè revocare potuisset, Fratri adjutorium fuit contra Filium, cum autem contentio in tantum inter ipsos increvisset, ut non aliter nisi Ferro finiri potuisset, jamque acie partis utriusque Ordinata ut Comminùs deberet committi Pugna, athleta DEI Ulricus Augustensis Ecclesiæ Episcopus Vir miræ Sanctitatis, sciens quia beati sunt Pedes portantes pacem, & quod ipse Dominus in Evangelio ait: Beati Pacifici quoniam Filii DEI vocabuntur. Assumpto Harperto Curiensis Ecclesiæ Episcopo, Viro Religioso, se medium injecit, & tanta eos arte suadendi aggressi sunt, Spiritu Sancto in amborum Ore loquente, ut facile eos ad Pacis Federa revocarent: non aliter tunc Otto Imperator pœnitentem Liutolfum, quam ille Evangelicus Pater Olim suscepit revertentem Filium; mortuus enim fuerat & revixit, perierat & Inventus est: fit Gaudium Ingens & exultatio in utroque Exercitu quia per Famulum suum Udalricum Liberavit Dominus Populum suum; sequenti vero Anno Gens Unnorum & Ungarorum, omni Bellua Crudelior, juxta quod viro DEI à Sancta Afra Martyre in somnis sibi apparente, revelatum fuerat, cum Innumerabili multitudine erupit, omnemque Noricorum Regionem, citra Danubium & ultra devastando occupavit, multis urbibus & Castellis succensis & destructis, ad hoc Opidum quod tunc Cornelia, ut prætactum est, vocabatur, pervenit, tunc Cives & advenæ quibus plena erat Civitas, quia ad eam tanquam ad munitissimam istius Regionis omnis populus confugerat Christianus, ex arce viriliter undique portas defensare nituntur: at Huni acriter instant, Machinis muros pulsant, turmis quoque hinc inde ad prælium

 dispoſi-

Winpinensi prædicta; quo mortuo parentes sui Bona prædicta invadunt, ea sibi vendicando, nec fieri permittunt quod Testator optavit; sed hos Richardus coram Judicio in causa trahit, illique se defensare nituntur: tandem Lis per arbitros deciditur, & pro omnibus Bonis Legatis centum & Viginti Libras Hallens. huic Ecclesiæ assignantur, quam Pecuniam Creator Omnium Rerum, qui cuncta ex Nihilo condidit, & qui de paucis Granis totum mundum pascit, in manibus Famuli sui Richardi ita augmentavit, ut de ea duas prebendas duobus Sacerdotibus ad aram B. Mariæ servientibus institueret: his itaque Ordinatis, Reverendus Dominus Wernherus de Hornecke Præpositus Majoris Ecclesiæ Spirensis & etiam Præpositus hujus Ecclesiæ fuit, vir eximiæ Honestatis, considerans quæ DEUS dignatus est per Famulum suum Richardum in hac Ecclesia Operari, vocato ad se ipso Richardo, habitoque ejus consilio IV. prebendas, in hac Ecclesia ad aram B. Nicolai instituit Anno MCCLXXIIII. quas in tantum prædiis dotavit ut redditus earum, antiquis præbendis æquipatarentur, unde accidit ut Canonici eadem Bona, suis unirent, efficerentque unum Corpus prebendarum: Facta est autem & celebrata hæc sollempnis institutio prædictarum prebendarum temporibus piissimi ac serenissimi Rudolfi Regis & semper Augusti Romanorum.

Anno autem Domini MCCLXXVIII. in die Sancti Marci Evangelistæ mortuus est ipse Richardus Decanus; concurrentibus itaque undique Clericis & Populis factus est planctus magnus super eum & populi Clamantes dixerunt:

Tempore Heu! Miseris quid nobis accidit isto
Quo Patrem Patriæ nostræ perdidimus, in quo
Temporibus multis, fuit hæc Winpina superno
Thesauro dives, ac decorata nimis:
O Richarde Pater, toto venerabilis Orbe!
Cur Patriam nostram deseris, imo tuam?
Hic Pater & Dominus fueras, Custósque Benignus.
Hactenus hac Terra, Vivus & exanimis,
Rebus in adversis fueras spes una salutis,
Munimen tribuens supplicibus populis,
Quorum tu precibus præsens venerande favebas
Votaque Suscipiens, quæque rogata dabas
Pastor oves proprias cui nos committis alendas?
Væ nobis miseris, qui Te perdidimus,
Virtus, Solamen nostrum, Decus atque Levamen
Tu Spes una, salus, Causaque Lætitiæ
Væ nobis miseris hæc omnia perdimus; at nos
Hinc subit & Luctus, perpetuúsque dolor,
Mendicum vulgus indiscreta quoque voce
Insultat morti, Culpaturque Deus
Brachia cum manibus tollunt ad sydera Solis,
Improba Mors Clamant, Tigribus asperior
Mors mala, Mors pejor, Mors pessima, quis tibi suasit
Tale Nefas facere? Væ nobis miseris!
Heu Nobis! & Væ! Semper geminatur & auwæ!
Morte sua nobis, attulit omne malum.

Interea Sacerdotes Corpus cum ymnis & Psalmodia ad Monasterium delatum missarum Sollempniis, & Exequiis ex more celebratis, ante summum Altare sepelierunt, statimque

statimque Capitulo indicto Canonici Dominum Dyetherum de Helmestat Decanum Elegerunt, qui confirmationem consecutus, mortuo Domino Wernhero de Alevelt hujus Ecclesiæ Præposito, eodem Anno, prædictus Dietherus Decanus, similiter à Canonicis in Præpositum Electus est.

Richardus igitur Filius Fratris, piæ memoriæ Richardi Decani, subdiaconus, & hujus Ecclesiæ Canonicus, una cum Manufidelibus, quos ipse Decanus Richardus adhuc vivens Executores Testamenti constituit, de Bonis suis duas prebendas Duobus Sacerdotibus instituit, quibus Ordinatis Ego Burcardus Sacerdos, pia DEI Misericordia favente ad unam prædictarum præbendarum vocatus & Electus, demum in hac Ecclesia me recepi, ubi & Novissimam Tubam me exspectaturum Optavi: adeptus ergo præbendam, una cum Socio mihi assignato videlicet Domino Ludovico, Canonici tum propter amorem Reverendi Patris piæ Recordationis Richardi Decani, tum propter Honestatem Ecclesiæ & firmiorem stabilitatem ipsarum præbendarum, habito Consilio maturo in Nos, & Bona prædictis nostris præbendis assignata, suis prædiis uniunt & præbendis eorum annumerati sumus cum reliquis, ita ut Numero essemus X. & VIII. quibus de uno Granario & uno Cellario æqualis præbenda ministraretur: præterea statuerunt ob perpetuam Memoriam præfati Richardi XIII. Scolaribus pauperibus, Mandatum per totam quadragesimam de communibus ministrari præbendis, videlicet Feria II. IV. & VI. quibus Pauperum quilibet, Lotis pedibus & Manibus à Sacerdote ebdomadario, interim dum XV. Gradus Leguntur recipiet I. panem & I. alec, dimidium Cyphum Vini & I. Hallensem: insuper in suo anniversario quod V. Kal. Maij celebratur, I. Libram Hallens. inter præsentes dari & dividi statuerunt.

His ita peractis præfatus H. Decanus obiit, cui Dominus Cunradus de Heilprunn Frater matris meæ in Decanatu successit, Vir Largus satis, prudens, & Strenuus & in DEI Famulatu pervigil & assiduus, & hic effecit ut Cappis Nigris induti per Adventum & Septuagesimam tam Canonici quam præbendarii & Vicarii perpetuo ad Chorum procedere deberent; hujus etiam Temporibus Dominus Wecelo præbendarius ad aram S. Nicolay, Vir honestus & in extremis positus, duas præbendas, Duobus Sacerdotibus de Bonis suis constituit & ordinavit, quarum collationem Capitulo reservavit: Anno igitur Domini MCCLXXXIX. Nonas Junii obdormivit in Domino & Sepultus est in Claustro Monasterii in cujus anniversario I. Libra Hallens. datur præsentibus: his etiam Temporibus ob Emendam cujusdam Militis Burcardi de Brendelin interfecti à quodam Muthardo nomine, ad instituendum perpetuum Sacerdotem ipse Muthardus actor Sceleris dedit huic Ecclesiæ Quinqnaginta Libras Halleus. . . . . .

VII.

DIETHERI DE HELMESTAT, CONTINUATIO EJUSDEM CHRONICI.

HIC Tædio dictandi affectus ille Egregius Burchardus ultra describere cessavit, nam circa descriptionem Bonorum hujus Ecclesiæ, ac ædificationem Monasterii & Curiæ præbendalis & Torculariorum & aliarum utilitatum Ecclesiæ in tantum occupabatur, ut deinceps hujusmodi describere non curaret: hinc Ego Dytherus de Helmestat Canonicus istius Ecclesiæ prædictæ, Burkardo scientia & describendi stylo multum dissimilis, ipsius Vestigia tanquam Magistri discipulus sequendo, in quantum parvitas Ingenioli mei sufficit, inantea describere formidolose præsumpsi.

✠ ANNO DOMINI MCCXCI. post obitum RUDOLFI Regis, Principes in quibus jus Eligendi consistit secundum consuetudinem, in die Philippi & Jacobi in Vranckfurt conveniunt & Dominum Adolfum Comitem de Nassawe Virum utique strenuum & illustrem in Regem Romanorum unanimiter elegerunt, quo Coronato, & in Regno valide confirmato ob invidiam, quam Principes adversus Dominum Albertum, Filium quondam Magnifici Regis Rudolfi, Ducem Austriæ habebant, ipse Rex Adolfus prædictum Dominum Albertum de Ducatibus quos à Rege in Feodum habere debebat, non solum infeodare non curabat, sed & sibi eosdem Ducatus auferre conabatur; quod ut prædictus Dux percepit melius esse prævenire quam præveniri cogitans, amicitias Principum, Ducum, Comitum & aliorum ipsius Alemaniæ, prece & prætio comparavit, & ad defendendum se strenuissime præparavit.

✠✠ Dum hæc aguntur obiit Reverendus Conradus Decanus hujus Ecclesiæ, in cujus Locum creatus est in Decanum Egregius ille Burchardus, qui ante me hæc describere incœpit, sub quo moriebatur quidam præbendarius nomine Sibodo, qui de Bonis suis in tantum contulit huic Ecclesiæ, ut Mandatum tempore quadragesimali secundum institutionem Venerabilis quondam Richardi Decani reliquis tribus Diebus pauperibus erogaretur Scolaribus: hoc etiam Tempore occisus Wolframus armiger de Helmestat meus Patruus à quibusdam malefactoribus, qui in Emendam ipsius, Redditus Annuos XVIII. Libras Hallens. Sacerdoti perpetuo ad aram S. Katharinæ Virginis missam celebranti, & Lumen perpetuo ibidem continuandum assignarunt.

✠ Interim Rumoribus crebrescentibus & ad aures illustris Ducis sæpius volantibus, quod Rex Adolfus eum de Ducatibus expellere niteretur, ipse collecta universa Militia Austriæ, Stiriæ, & Karinthiæ in multitudine magna Curruum & Equitum Terram suam egressus, transito Danubio, venit ad Litus Reni & Castra metatus est juxta Civitatem dictam Brisach: cui Rex Adolfus ibidem in alteram partem Litoris Reni cum Exercitu suo occurrit, sed neuter ad alterum poterat pervenire; dum sic certatim utrumque Litus occupant, Dux Albertus receptis Litteris Gerhardi Archi-Episcopi Moguntini, & aliorum Fautorum suorum, de ad ipsos in Altzeiam Civitatem veniendi, assumpsit secum Episcopum Argentinensem ceterosque Barones Alsaciæ, ac Naves & currus oneratos Vino & Blado per Terram & alveum Reni, malis Gratibus Regis, Civitatum, & aliorum Fautorum suorum intrepidus usque in Altzeiam descendit, ubi à prædicto Archi-Episcopo & aliis adjutoribus suis Benigne susceptus, ipsum super Dolium levantes in Regem sublimarunt; dum hæc in Altzeia agerentur, Rex Adolfus Ducem insequi quantocyus non cessabat & etiam in villa dicta Eppenheim sita prope Wormatiam in amœno pratō cum Exercitu suo resedit, sperans se prædictum Ducem eum omnibus suis Fautoribus absque sui Exercitus periculo citissime superaturum, sed Res aliter evenit, nam cum Rex in tanta spe consistit, dimissis à se Civibus multarum Civitatum cum reliquo Exercitu sæpedictum Ducem insequitur & in Loco, qui dicitur Hasenberg juxta Cœnobium Sanctimonialium Dictum Rosental Anno Domini MCCXCVIII. in die Processi & Martiniani cum ipso pugnaturus incaute progreditur: itaque Victoria hinc inde nutante, Rex Adolfus inprovisè occubuit: quo conperto Rudolfus Comes Palatinus & Dux Bawariæ Gener prædicti Regis, una cum Duce Ottone Patruo suo cum multitudine magna militum & armigerorum de conflictu usque in Wormatiam celerrime fugerunt, reliquis Comitibus & Baronibus cum suis adhuc viriliter pugnantibus, sed quia Tot & tanti de ipso conflictu profugerant, Dux Albertus de victoria jam securus cum Exercitu suo, repugnantibus sibi acertime restitit ac omnes eos citius quam Sperari poterat, pugnando vincens captivabat, quibus tamen se in hoc Clementem, more paterno exhibuit, ut nullum eorum Vinculis includeret, sed omnes ad propria remeare permiserit, & sic in proposito suo nimium confortatus, assumtis secum Archi-Episcopo Moguntino & aliis adjutoribus & Fautoribus, Aquensem adiit Civitatem, & ibidem contra spem multorum, in Regem confirmatus est & coronatus.

✠✠ His ita Gestis Dominus meus Dytherus de Helmestat hujus Winpinensis Archidiaconus, qui erat meus Patruus, cum Archidiaconatum suum XXIIII. Annis & amplius Gubernasset Laudabiliter, correptus Febre Anno MCCXCIX. in Vigilia Mathiæ Apostoli in Castro Helmestat felicem exalavit animam, qui Capellam Sanctæ Katharinæ

in

in Ecclesia ista propriis sumptibus construxit, & Sacerdotem in ea perpetuo Ministraturum instituit, tradidit etiam Ecclesiæ isti LX. Libras Hallensium ad Ambonem & Altare S. Crucis sub ipso Ambone construendum, donavitque huic Ecclesiæ tria cum dimidio Jugera vinearum sita in Marcha villæ Duttenburg: præterea Legavit Ecclesiæ isti pratum situm in Marcha villæ Bageßtat, cujus prati Longitudo & Latitudo continet XII. Jugera, ita ut Census pro quo prædictum pratum annuatim Locari potest, in anniversario suo præsentibus in Choro distribuatur, post cujus Obitum Electus fuit in Præpositum Dominus H. de Duna, qui etiam erat Præpositus Majoris Ecclesiæ Wormaciensis, quo Archidiaconatum Winpinensem gubernante obiit Anno MCCC. Ille Gloriosus Burkardus Decanus, quem nullus ante vel post eum in utilitatibus Ecclesiæ istius procurandis præcelluit vel præcellet: Testes sunt Casulæ, Libri, & sedes Chorales, Testes sunt Curia præbendalis, & Torcularia in ea sita, Testes sunt Recuperationes ac descriptiones omnium Bonorum istius Ecclesiæ, & alia Beneficia, quæ per eum Dignatus est Dominus operari, sicut usque in præsentem diem cerni possunt in hac Ecclesia Fide oculata: præterea construxit in hac Ecclesia Cappellam S. Kyliani suis sumptibus ac ipsam plenissime propriis sumptibus dotavit, ita ut Duobus Sacerdotibus in prædicta Capella alternis septimanis missam celebrantibus competenter sit provisum.

✠ Igitur cum Serenissimus ille Dominus & Rex Albertus in tam brevi tempore tam magnifice sublimatus & prosperatus fuisset in Regno, incurrit invidiam Principum, sicut fortunatis Hominibus accidere solet, quorum Principum quatuor, videlicet tres Archi-Episcopi & Dominus Rudolfus Dux Bawariæ, Filius sororis prædicti Regis, obligationibus & conjurationibus multis confœderati, contra Regem se erexerunt, quos omnes una æstate ita potenter sibi subegit, ut de cœtero contra eum mugire non auderent; de hinc Regem Bohemiæ Wenzeslaum aggressus, qui aliquantulum supradictis Principibus favebat, Regnum devastabat, sed nihil tamen egregium ibidem peregit: Tandem Rege Bohemiæ Wenceslao prædicto sine Filiis & Hæredibus decedente, felicissimus Rex Albertus Dominum Rudolfum Filium suum eidem Regno præfecit; post talia miranda & stupenda quæ Excellentissimus Rex in multis provinciis perpetravit, à Duce Johanne Filio Fratris sui Domini Hartmanni Ducis Sueviæ in campo Lato & Spatioso dum juxta Regem confabulando equitaret, inopinate confossus Gladio occubuit, in quo Loco ejus nobilissima conjux Regina Cœnobium Sanctimonialium in memoriam ipsius construxit, & eidem Cœnobio nomen Kunigesvelt imposuit.

✠✠ Itaque post decessum Honorabilis Domini Burkardi Decani, Dominus Geroldus de Hawestein, Vir justus, pius, Clemens, & multum Hospitalis in Decanum eligitur, sub quo obiit Gerhardus Canonicus hujus Ecclesiæ qui duas præbendas competentes Duobus Sacerdotibus in Altari S. Crucis perpetuo ministraturis, de Bonis propriis instituit.

Obiit itaque Sincerissimus & piissimus Dominus Geroldus Decanus, in cujus Locum Electus fuit Heinricus dictus de Grunbuch Vir castus, justus, & rectus, post cujus Obitum Rembodo de Nyperg Vir Clarus Genere Ordinatus fuit in Decanum, sub quo Conradus dictus Zophritter prebendarius hujus Ecclesiæ obiit, qui quatuor cum dimidio Jugera vinearum sita in Marchia Villæ Eberstat Legavit Ecclesiæ, ut de vino quod de eisdem Vineis provenire poterit Mandatum in Cœna Domini quolibet Anno cum ea sollempnitate qua nunc peragitur, in hac Ecclesia celebretur, videlicet ut Decanus cum omnibus Canonicis & præbendariis Ecclesiæ in Domum Capitularem in Cœna Domini post prandium conveniant audituri Sermonem ipsi Festo convenientem & interim dum Sermo legitur Decanus vel Senior in ingressu Ecclesiæ omnibus Canonicis & præbendariis manus & pedes abluat, & confectiones specierum & vinum ad potandum cum omni Devotione & Gratiarum actione prout est institutum, administret.

Hic sisto Ratem; sed quia Torrens modicum intumuit, ideóque Puppi ad Navigandum Ulterius Remos imposui: postquam vero Dominus Rembodo de Nyperg Ecclesiam istam satis honeste aliquot Annis Rexisset, correptus Caligine Oculorum, Decanatum resignavit; post quem Dominus Petrus de Muer in Decanum non tam Electus quam est etractus, qui post Obitum illustris viri Domini Engelhardi de

Winsperg in Præpositum hujus Ecclesiæ est Electus, cui Dominus Gerlacus de Bettingen, Vir largus, Benignus & Hospitalitati inserviens in Decanatu successit.

Sub hujus Regimine Elisabeth virgo & Conversa dicta de Hawestein II. Jugera cum dimidio vinearum in Northeim & II. Jugera in Offenheim ab omni exactione Libera, huic Ecclesiæ legavit, ita ut si fieri posset, præbendula aliqualis ex his institueretur, cujus Devotionem Dominus Dietzo de Steinfurt præbendarius hujus Ecclesiæ, Frater prædictæ Elisabeth animadvertens, VI. Jugera agri in terminis villæ & Marchiæ Steinfurt superaddidit.

VIII.

NECROLOGIUM ECCLESIÆ COLLEGIATÆ S. PETRI WINPINENSIS.

JANUARIUS.

III.	Non. Jan.	*Abba* cum Filio suo *Gerungo* dederunt S. Petro Wimpin. III. mansus Hobinstat.
VIII.	id.	*Cuno* qui ultra IIII. Jugera nobis in Clivo Novalis nostri dedit, & in plano montis superioris II. Jugera.
VI.	id.	*Cuno* Canonicus S. Petri Wormatiensis.
		Mechtildis de *Steinach*, uxor *Rabenonis* Militis de *Helmestat* in cujus memoria dantur X. Flor.
IV.	id.	*Udalricus* presbiter, qui Kirchart Prædium suum dedit.
II.	id.	*Adelheit* quæ Prædium suum Gartaha dedit.
		Bena Scultetissa de Heinsheim, quæ Legavit Ecclesiæ II. maldra silig. & II. avenæ, & Domum in valle.
	idib.	*Wernherus* qui Curtim suam in Inferiori Wimpina dedit.
XVIII.	K. Feb.	HERTUWICUS Decanus.
XVI.	Kal.	HAZECHO Episcopus, qui servitium de Hurwenvurt & de Kessaha constituit.
		Juditha quæ Vineam in Oberchein absolute dedit.
XIIII.	Kal.	*Adelrat* qui XII. Jugeta in Beggingin dedit.
XI.	Kal.	*Bruno* presbiter qui Vineam in Hettingsbach dedit.
		Ruggerus qui contulit Ecclesiæ XXIIII. Talenta.
		Ludevvicus Canonicus qui Pratum in Isenheim.

FEBRUARIUS.

II.	Non. Feb.	HEINRICUS de GRUNBUCH Decanus hujus Ecclesiæ.
	Nonas.	*Albertus* Canonicus hujus Ecclesiæ, qui Curtim suam absolute dedit, & omnes Libros suos.
VI.	id.	*Hezel* qui Curtim & VI. Jugera in Gundolfsheim dedit.
		Ezelinus qui Prædium suum in Hagenbuch dedit.
XVI.	K. Martii.	CUNRADUS de HEILPRUNN Decanus hujus Ecclesiæ.
XIIII.	Kal.	*Richgovve* presbiter, qui Vineam & Mansum in Erlebach dedit.
		Irmingardis Conversa de *Gartach*, Vineam in Banholtz sub Luneburc.

Gertru-

XII.	Kal.	*Gertrudis* de *Tvvingenberc* mater Custodis hujus Ecclesiæ, pro cujus anniversario dedit *Gerungus* de *Helmestat* ejus maritus X. solid. annui Census.
XI.	Kal.	BUBO Præpositus, qui Prædium suum in superiori Isenheim dedit.
VIII.	Kal.	*Beringerus* Frater & Sacerdos, qui Curiam suam in Cœmiterio nobis dedit & insuper Vineam in Stabuhel, dedit etiam puellam sui Juris nomine Mechtilt. ad Censum duorum Nummorum.
V.	Kal.	RUDOLFUS hujus Ecclesiæ Decanus, qui in Offinheim XV. Jugera dedit & Curiam suam in Winpin.
		DIETHERUS de Helmestat Præpositus hujus Ecclesiæ.
II.	Kal.	*Cuniza* quæ in Bachhein VIII. Jugera & Curtim in Griez dedit.
		Hiltegunt quæ II. Jugera Jagisvelt dedit.
		Heilka Anno MCCLXXXIII. quæ dedit II. mansos in Sigelpach.

MARTIUS.

IIII.	id.	*Adelbertus* qui in superiori Gartha III. Curtes, in Becgingen XII. & in superiori Isenheim VI. Jugera & I. Curtim dedit.
II.	id.	*Hildegundis* cujus rogatu Mater ejus Curtim suam in superiori Wimpin post mortem mariti sui Snelhardi Liberè contradidit.
		Mechtildis mater Domini Burchardi Decani.
XV.	Kal. April.	*Drutelinus* Decanus.
		Dietherícus Frater & Canonicus, qui missalem Librum & XI. Jugera in superiori Isenheim dedit, ut post obitum Hedewigis Conversæ & ejus Filiæ cedant in usus Fratrum.
VI.	Kal.	*Benno* qui unum Mansum in Hundelingin dedit.
		Petersa Religiosa Fœmina de Bonvelt, quæ dedit Domum suam sitam in Litore juxta Domum Nautæ.

APRILIS.

IIII.	id. April.	*Ludevvicus* miles in *Herbotshein*, pro quo data sunt II. Talenta.
III.	id.	*Eberhardus* Othenheimensis Cœnobii primus Abbas.
	id.	WOLKNANDUS Præpositus.
		EBERHARDUS Decanus.
X.	Kal. Maij.	*Judintha* quæ VII. Jugera in Kirchusen & Curiam in Neckirgartha dedit.
VIIII.	Kal.	*Henricus Morsel* miles de *Havvenstein*. qui dedit super vinea juxta Fontem qui dicitur Fokebrunn, Libram Hallens. annui census.
VIII.	Kal.	ISENGARDIS Comirissa, in cujus anniversario XII. Floreni dantur de Bonis in Bellingen & totidem in anniversario sui Mariti.
V.	Kal.	*Heinricus* advocatus, qui II. mansus in Huffiluh dedit.
		RICHARDUS de DITENSHEIM Decanus istius Ecclesiæ, qui post primum Fundatorem istius Ecclesiæ & secundum Restauratorem Crudolfum Episcopum Wormatiensem, merito cunctis posteris in memoria habetur.
IIII.	Kal.	*Bezecha* quæ cum Viro suo Prædium suum in Haginbuch dedit.

MAJUS.

	Kal. Maij.	ARNOLDUS Wormaciensis Episcopus, qui Bleeginger & Slehtbach ad servicium dedit.
IIII.	Non.	*Crafto* qui dedit Prædium in Tiefenbach.

VI.	id.	SIFFRIDUS Præpositus, qui duo Dorsalia in Choro pendentia & tertium ante S. Crucem dedit, & Vineam in Stalbuhil.
V.	idus.	*Helvvick* uxor *Hartmudi* Armigeri de *Lutenbach* Anno MCCCXXXV. & Filia eorum *Agnes*.
XII.	Kal. Jun.	*Adalbirg* Monialis, quæ Vineam & Duos Mansos in Gundolfsheim dedit.
III.	Kal.	*Ludevvicus* de *Niperg*, & uxor sua Damburg, qui dederunt Fabricæ Vineam & Domum ibidem sitam cum suppellectilibus.

JUNIUS.

VIII.	id.	*Adelheidis* de *Oringuvve*. quæ XL. Libras Hallens. Legavit.
		Heinricus de *Sunesheim*.
III.	idus.	EBERHARDUS Comes de Wirtemberg.
XVI.	Kal. Julii.	*Rudegerus* Miles de *Erlekoven*, pro quo *Adela* uxor sua dedit Vineam Sulmen.
		Hermannus de *Witzstat* & uxor ejus *Gertrudis*.
XV.	Kal.	*Gisela* uxor *Cunradi* in *Winsberc*. Nulli Dominorum obnoxia, se & pueros suos Hedewick. Hartunc. Heinrich. Emehart. Albrecht. Cunrat. Nidunc. Walther, & Proles eorum successiva, obtulerunt se Ecclesiæ S. Petri in Winpina ad annuum Censum persolvendum; quilibet ex conjugatis in Festo Petri & Pauli solvet IIII. Denar. Ceræ & de morte, jus quod dicitur Houb recht.
II.	Kal.	*Adelheidis* de *Gundolfesheim*.

JULIUS.

III.	Non.	*Lucgardis* de *Niffen* Legitima Domini C. de *Wilre*. Anno MCCXCIX.
II.	Non.	ADELBERTUS Episcopus, qui Plenarium auro dolatum dedit, nec non magnam partem silvæ ab eo scilicet Loco, qui dicitur Mordersclinge usque ad Garteloch ascendentem contulit.
II.	idus.	*Theodoricus* de *Gutenberc* pro quo Vinea in Stalbuhil data est.
		Ulricus Miles de *Huchelheim*. qui legavit Ecclesiæ nostræ V. solidos Hallens.
X.	Kal. Aug.	*Irmila* de *Laufen* Anno MCCLXXXX.
VIII.	Kal.	*Heinricus* dictus *Dudeburg* & *Hedevvigis* uxor ejus.

AUGUSTUS.

II.	Non.	HILTEBOLDUS Wormatiensis Episcopus.
		BURCHARDUS Decanus hujus Ecclesiæ Anno MCCC.
XIII.	Kal. Sept.	BURCHARDUS Wormaciensis Episcopus.
X.	Kal.	*Cuno* in Jerosolimatano Itinere, qui Prædium suum Hagenbuch dedit.
		CRAFTO hujus Ecclesiæ Decanus.
XI.	Kal.	*Mechtildis* de *Horneck*. pro qua data est Vinea in Gundolfsheim.
VIII.	Kal.	*Heinricus* de *Fulda* Cantor hujus Ecclesiæ.
		Hartmudus Armiger de *Lutenbach* Anno MCCCXXV.
VI.	Kal.	DIETHERUS Præpositus hujus Ecclesiæ, qui dedit Hortum in Inferiori Winpina, Vineam in Ottenheim, & Domum in Hilrespach.

Sep-

SEPTEMBER.

IIII.	Non.	*Beringerus* de *Kochindorf.*
		Burchardus de *Beckingen.*
	Non.	*Adelheidis* de *Kirchusen.*
VII.	idus.	*Conradus* de *Huchilheim*, qui dedit Vineam & Domum cum Horto in Gundolsheim.
VI.	id.	GEROLDUS de HAWESTEIN Decanus hujus Ecclesiæ.
XII.	Kal. Octob.	RUDEGERUS Præpositus, qui II. Mansus in Helmestat. I. in Dutenbere. II. Jugera Vinearum & Agrum Talaheim dedit.
X.	Kal.	*Dinemut* de *Boggingen*, quæ contulit Ecclesiæ Bona sua ibidem.
VIII.	Kal.	HEINRICUS Wormaciensis Episcopus.
V.	Kal.	WERNHERUS Præpositus hujus Ecclesiæ & Spirensis.

OCTOBER.

V.	Non.	*Adelheidis* de *Kirchhusen* Anno MCCLXXXVI. quæ dedit tertiam partem Molendini, & Curiam in Kirchusen cum omnibus attinentiis, omnesque suas res mobiles.
V.	K. Novemb.	RUDOLFUS hujus Ecclesiæ Decanus, qui Casulam purpuream & Calicem auro Coopertum & III. Velamina dedit.

NOVEMBER.

VIII.	idus.	*Hedewig* uxor C. militis de *Helmestat.*
		Gunzo qui Prædium suum Hagenbuch dedit.
VI.	idus.	RUPERTUS Præpositus.
		Adelheidis de *Winsperc*, quæ dedit Pallium Ecclesiæ & Albam.
V.	Idus.	PETRUS de MURR Præpositus hujus Ecclesiæ, qui ad Decorem hujus templi construxit Capellam Paradisi & in eadem Sacerdotalem prebendam Instituit.
		Gertrudis de *Lauffen.*
XIII.	K. Decemb.	GEBENO Decanus, qui contulit Ecclesiæ II. marcas.
X.	Kal.	*Beringerus* de *Cochindorf*, qui dedit nobis Equum.

DECEMBER.

	Kal.	*Cunradus* dictus *Platz* armiger, pro cujus anima uxor sua *Mechtildis* de Wiler contulit X. Lib. Hallens. perpetui Redditus.
VIII.	idus.	BUGGO Wormaciensis Episcopus, qui magnam nostræ silvæ partem nobis dedit.
XII.	K. Janu.	*Cunradus* miles, Filius *Rabenonis* militis Senioris de *Helmestat.*



IX.

ANONYMI VITA B. LAMBERTI MONASTERII NOVI-OPERIS JUXTA HALLAS SAXONICAS PRIMI PRÆPOSITI.

SCripturus Vitam Beati Lamberti Confessoris Christi, Doctorem omnium Bonorum, Spiritum Sanctum Invoco, ut qui ei contulit Gratiam bene vivendi, mihi quoque Gratiam Largiatur ad ædificationem multorum, qualiter vixerit, describendi: Fulsit igitur Homo DEI Splendore Natalium sed Terrenam Nobilitatem parum pendens, Cœlestem Nobilitatem quæ meritis bonorum Operum comparatur, toto mentis affectu appetebat: poterat enim dicere cum Apostolo, Nostra Conversatio in Cœlis est, sed ne Nos parentelam ejus præteriisse videamur, Dicamus breviter quod ejus Frater fuit Bernhardus Hildensemensis Episcopus à DEO trium Donorum prærogativa decoratus, scientia scilicet Litteratum, qua per totum Imperium Romanum & Regnum Franciæ florebat, Formæ Gratia, qua Multos Mortalium præcellebat, Religionis Excellentia, qua Soli DEO placere studebat, fuerunt ei præterea Laici Fratres, Suvidhardus, Opertus, Everardus, Viri tam divitiis quam Sæculari Gratia pollentes; his præmissis transeamus ad Reliqua.

In Flore primævæ Juventutis fuit Canonicus in Ecclesia Sancti Petri apud Coloniam, quæ Archi-Episcopali sede præfulgens, Mater est Multarum Ecclesiarum, in Littore Reni posita, ad Decus & Gloriam Imperii gloriose Caput erigit, in qua scilicet Ecclesia tam devote Deo servivit, ut etiam apud eos qui foris erant, bonam haberet Famam, qui est illæsæ dignitatis Status, tandem animi fervorem circa Divina plenius ostendens, iter Peregrinationis ad sepulchrum Domini arripuit & uno servo Comitatus, Civitatem Bavariæ Patavinam pedester intravit, ad exemplum Apostolorum relictis omnibus quæ habebat, ubi à quodam Laico Converso de Ecclesia quæ vocatur Redenboch, cui Nomen Razo visus & cognitus est, à quo etiam requisitus, cur tantæ Nobilitatis Vir, cujus obsequio tam militaris Gratia quam Famulorum Turba magis quam comitatus unius servi competeret, sic humiliter incederet, respondit ille Beatus: Sic esse in beneplacito DEI; verum Razo ut credimus divinitus inspiratus, considerato ejus Hospitio, Episcopum Pataviensem, qui tunc nutu DEI in Civitate præsens erat, festinanter adiit, ejusque pedibus provolutus est; Episcopus pavore perculsus causam quæsivit tam Subitaneæ provolutionis: Domine, inquit Razo, Dominum Lambertum Coloniensem Canonicum in hac Civitate cum uno servo vidi humiliter incedentem & se Iherosolimam velle proficisci dicentem, quem si Ecclesiæ nostræ possetis associare, Gloria & honore Nos omnes coronassetis; Episcopus gavisus gaudio Magno valde fecit sibi servum DEI quantocius præsentari; Razo plus desiderio currens quam pedibus, ejus præsentiam Episcopum desiderare beato Viro nuntiavit, at ille, qui vere humilis erat, occultari maluit quam publicari, considerans tamen Reverentiam Episcopo se debere, ad ejus præsentiam venit; Episcopus Secretum colloquium cum eo habuit, Domine, inquiens, Lamberte audivi vos Iherosolimam velle proficisci, sed si meis consiliis acquiescitis, inutiles vagationes postponetis, & in aliqua Ecclesia Religiosorum Virorum stabiliter DEO Servietis: ut autem breviter Consilium meum vobis aperiam, habemus in vicinio Ecclesiam Redenboch Nomine, in qua Religiosi Viri sub Regula Beati Augustini serviunt, in hac sunt amici vestri Everhelmus scilicet, quondam vester Concanonicus in Ecclesia beati Petri, Wichmannus, vir ut scitis nobilis Desrekense, & quidam Canonicus in Ecclesia beati Gereonis Coloniæ, cum aliis Reverendis viris, qui profectum animæ

animæ vestræ desiderant, cupientes vos esse in visceribus Christi JEsu: Suadeo igitur vobis ut ad eos transeatis, & consiliis eorum acquiescatis; Si placet vobis eorum cohabitatio, dona mea Scilicet Equos Duos, quos vobis & servo vestro assignabo, Ecclesiæ resignate: Si non, cum DEI benedictione ac eisdem donis abite. Audiens hæc Homo humilis & simpliciter prudens, Gratias egit Episcopo, veniens que ad prænominatos Reverendos viros, vice angeli DEI ab eis susceptus est. Sentiens itaque Spiritum Sanctum in eis loqui, consiliis eorum in tantum obedivit, ita ut eadem die qua venerant, habitum, tafuram & tonsuram secundum morem Regularium Canonicorum acciperet, in hac itaque, sicut & in priori Ecclesia sic vixit, ut tam Deo quam Hominibus placeret, congruum quippe fuit ut quem Deus profuderat Gratia, ab Hominibus quoque amaretur.

Eodem fere tempore Sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ Venerabilis Archi-Episcopus Christi Adelgotus tam Deo quam Hominibus acceptabilis in proposito habuit ædificare Ecclesiam de Regula Beati Augustini infra diœcesis suæ ambitum, cumque hæsitans sollicitaretur unde Viros ad hoc Opus idoneos congregare posset, nutu DEI Venerabilis Conradus Salsburgensis Archi-Episcopus advenit; Fugerat, ut dicunt, iste Archi-Episcopus Bannum quo Imperator Heinricus Quintus propter multiplices Excessus ab Apostolica sede fuerat innodatus, comprovinciales enim Episcopi scilicet Bavari qui erant tunc temporis, favebant Imperatori, adeoque simili sententia subjacebant: Susceptus itaque, ut decuit, honorifice à Magdeburgensi Archi Episcopo, aliquanto tempore caritative ab eo detentus est, cumque dulcia inter se volverent Colloquia, Magdeburgensis Salzburgensi voluntatem suam de ædificando prædicto Monasterio aperuit, sed se nimium sollicitari dixit unde Viros ad ambulandum in via DEI aptos possit colligere; Dominus Salsburgensis Devotionem Religiosi viri approbans; Domine, inquit, Vestrum est bonum Opus incipere, DEI autem perficere, qui bonam vestram voluntatem magis pensat quam operis quantitatem, cum sit utrumque Necessarium, Cooperatores quoque vestri erimus in Labore, quatinus consortes fieri mereamur in Retributione, Viros enim tales vobis transmittemus, qui assiduitate tam Orationum quam Bonorum Operum & semet ipsos & alios sciant ædificare: Archi-Episcopus noster ad hæc verba exhilaratus est valde, eoque magis intendit Operi prædicto insistere, quo se tantum ac talem Cooperatorem se sciret habere, hinc digressionem faciemus, & quid miraculi Deus ante initium nostræ Ecclesiæ ostenderit breviter aperiemus.

Quodam Tempore cum Venerandus Præsul Adelgotus in Castro Gevekenstein esset, quidam Hallensis Civis, Hazecho nomine Vir dives & prudens ad eum venit & de instantibus causis usque in Vesperam cum eo tractavit, in crepusculo vero cum rediret ad Civitatem vidit mirabile prodigium intus Castrum & Civitatem, instrumentum scilicet Rusticorum quo Frumentum Seminatum Terra obruitur, quod secundum Virgilium, ut habetur in Georgicis, Dentale vocatur, in specie Ignis de Cœlo paulatim descendere & in Locum, ubi nunc principale Altare B. Mariæ consecratum est, deponi; unde Hazecho pavefactus accessit ad Locum & eo diligentius considerato Cirothecas pro Signo posuit, ut si forte Dentale, eo absente, evanesceret, Locum per hoc designatum haberet, inde quantocijus ad Castrum pedem reflexit, & Foribus vehementissime pulsatis cum pavore Archi-Episcopi intromissus est, & Domine, inquit, si Signum insolitum videre vultis Equum meum quantocijus ascendite, in Urbemque descendite: Archi-Episcopo causam inquirente, non est hic modo, Domine, Verborum circuitus Necessarius, ipse namque oculis vestris videbitis Miraculum quod ostendet vobis Dominus: Præsul Deo dignus considerans Virum prudentem nec falli leviter nec fallere, ascenso ejus Equo cum quibusdam secutus est eum, & cum penes Locum Venisset, prædictum Instrumentum Sublevatum à Terra, ea qua venerat Via, rediit in Cœlum; Heu! Heu! inquit Archi-Episcopus, ô Hazecho quia Locum amisimus, non ait, ô dilecte Domine, quia Cirothecis meis ipsum Locum designatum habeo, hinc Venerabilis Dominus non modice Lætatus accessit ad Locum Deoque Gratias præcordialiter agens, hîc, inquit, Fundamenta Novellæ plantationis jacientur, hîc Deo & Beatæ Virgini diu noctuque grates persolventur, deinde ad Castrum redeunt sæpe oculis ad desideratum Locum cum gaudio reflexis; accesserunt tunc preces Hallensium quatenus in eodem Loco dilectum Opus inchoatum consumaretur, cum Archi-Episcopus prius ambigeret quonam in Loco Operis Fundamenta poneret, nam quandoque in Loco qui vocatur Glinde quandoque in monte S. Geor-

S gii

gii prope Hallam quandoque in Loco ubi nunc situm est inchoare proponebat, sed hunc ultimum Locum Domino placuisse & prædictum Instrumentum & preces Hallensium ostenderunt, quorum Devotionem propterea interposuimus quia studio eorum & expensa Ecclesia nostra multum est augmentata.

Interpositis his, redeamus ad Ordinem: Dominus Salzeburgensis in patriam reversus sicut promiserat transmisit Archi-Præsuli Adelgoto Viros valde Religiosos Præpositum scilicet Berewigum de Redenboch, Everhelmum Decanum ejusdem Ecclesiæ, Wichmannum de Frenkense cum aliis æque Catholicis viris tam Clericis quam Laicis cum quibus & memorabilem illum nostræ Congregationis futurum Patrem Dominum Lambertum, Virum cum omni Reverentia nominandum, fugerant hi Viri DEI sicut & eorum Archi-Episcopus, Communionem eorum quam comprovinciales ipsorum cum Imperatore habebant: non solum prædicta fecit venerandus Præsul Conradus, sed & ipse corde tenus compunctus Regularem habitum devotissime suscepit, id vicissim Salseburgensibus Canonicis quibus præerat, facere suadens, quod tandem Deo dante sicut hodie cernitur ad Laudem & Gloriam Ordinis nostri perfecit, licet quibusdam eorum primo fortissime, quod non erat necessarium resistentibus; honorifice igitur prædicti Viri, ut decuit, ab Archi-Præsule Aldelgoto suscepti, aliquanto tempore in Castro Gevekenstein manserunt, brevi autem intervallo Temporis Præpositus Berevicus, Vir plenus bonorum Operum migravit ad Dominum, cui communi Electione, licet renitens, Dominus Lambertus substitutus est, qui ideo primus nostræ Congregationis Præpositus fuit, quia beatus prædecessor ejus interventu mortis curam ab Archi-Episcopo non susceperat.

Anno igitur ab Incarnatione Domini nostri MCXVI. inchoata sunt Fundamenta nostræ Ecclesiæ ad Honorem Domini ac Salvatoris nostri & Beatæ Mariæ perpetuæ Virginis per manus Venerabilis Adelgoti Archi-Episcopi aliis Christi Fidelibus Subsequentibus & Consummantibus: Prosperabatur etiam Opus exterius, quia vigebat Religio Fratrum interius, Venerabilis enim Lambertus ita temperate Rexit Gregem Christi, ut in severitate Patris non oblivisceretur pietatem Matris, creber fuit in Vigiliis, creber in Orationibus, creber in Lacrymis quarum tantam gratiam consecutus fuit à Domino, ut inter missarum solempnia casulas uberrimè infunderet, cumque inde à Fratribus corriperetur, submovit se parumper ab Altari quando gratiam sensit adesse & tantum Lacrymarum excussit in pavimentum, ut ex concretione earum & pulveris pavimenti cumulus non modicus excresceret; prætera singulares consuetudines inter Fratres esse noluit volens omnes unum sentire, unum tenere, si quem extra Chorum aliis Psallentibus, in privatis Orationibus reperit, brevibus verbis eum emendavit, publicas Orationes privatis præferens, circa Infirmos erat piissimus providens eis talem qui & in Horis dicendis & in alimentis administrandis erga eos esset sollicitus; nisi abstraheretur per Hospites semper voluit esse in conventu Fratrum, prius ipse benefaciens & postea benefacere docens secundum illud: cœpit Ihesus facere & docere; & quia iste Beatus Vir servivit Domino in Timore & exultavit cum tremore secundum illud: Lætetur Cor meum ut timeat Nomen tuum, hanc gratiam consecutus fuit à Domino, ut à Fratribus cum timore diligeretur, & cum dilectione timeretur; hæc est enim Reverentia secundum illud:

Mixtus amore timor poterit Reverentia dici.

Tali enim modo eum Fratres habebant, ut vix ejus possent tollerare præsentiam, vix etiam ejus possent ferre absentiam: Tandem per XXVI. annos circa salutem animarum vigilans, corporali molestia pulsatus Lecto decubuit, sentiensque Terminum, quem Nemo transgredi potest, adesse, quadam die in Capitolium Fratrum se deferri fecit, ibique facta publica confessione pauca Locutus est de Ordinis observantia, monuit quoque Fratres concordes esse in Electione sui successoris, sciens vir prudens quod secundum cujusdam sapientis hujus sæculi dictum: Concordia parvæ Res crescunt, Discordia vero maximæ dilabuntur, deinde cum Magno Luctu Fratrum reportatus de die in diem destituebatur viribus, tandemque à Venerabili Archi-Episcopo Friderico, Sacro perunctus Oleo, in Capite Jejunii quod erat V. idus Februarii post mediam diem migravit ad Do-

Dominum, complevitque Spirituale triduum, de Ægypto ad Terram promissionis profectus primò scilicet in hac vita malum dimittens, secundo gratiam Lucis qua aliis de bonis Operibus Luceret, possidens: Tertio ad Gloriam vitæ transiens, & quia in hac vita Exultationes DEI erant in Gutture ejus, ideo perpetuo ibi exaltabit, ubi exaltabunt Sancti in Gloria; ibi Lætabitur ubi Lætabuntur in Cubilibus, hoc est in suis mansionibus;

Quid igitur Miraculi Dominus in Fine ipsius ostenderit dicemus; fuit Tempus dum hæc scribimus, superstes adhuc Venerabilis Dominus Ekkehardus Regens Ecclesiam Beati Petri in Sereno Monte qui cum situm Terræ plurimum emineat, moribus tamen & honesta Conversatione inhabitantium plus eminet, hic Venerabilis Sacerdos à beato Viro in omni disciplina educatus, tunc temporis Fotensem Ecclesiam B. Mariæ in Hallo regebat; hic de Obitu Venerandi Patris nostri talem vidit visionem: Wichmannus de Frekense, cujus mentionem superius fecimus, qui ferme ante annos sex mortuus fuerat, Vir valde Religiosus venit quærens Præpositum, ingressusque Domum ubi jacebat, apprehendens manum: Domine ibitis, inquit, at ille surgens secutus est eum; in ipso autem Domus exitu graviter pedem læsit quodam offendiculo, & cum exclamasset præ dolore, consolamini, inquit Wichmannus, Domine quia post istam aliam non sentietis pœnam, sicque istis abeuntibus visio disparuit.

Idem Venerabilis Præpositus Ekkehardus, qui prædictam vidit visionem, nunc temporis cum hæc scribimus habet in Ecclesia sua Religiosum Sacerdotem Ebbekonem qui tunc temporis Rexit Ecclesiam Sancti Mauritii in Hallo sitam; hic habuit matrem Senio ac infirmitate gravissime confectam quæ Statim post Obitum Beati Viri Filium vocavit ex Nomine: Ebezzo, inquiens, veni; quo querente quid vellet, Dominus inquit Præpositus noster mortuus est; Sacerdos obstupefactus, unde, ait, hæc nosti? ibi inquit, eram, vidique Duos DEI Nuntios Venerabilem Virum à Lecto ægritudinis per medium Monasterium usque ad Sanctuarium DEI ducentes, cumque illuc venissent, aperto Sanctuario felicem animam desuper ad Cœlum duxerunt: præterea vidi totum Sanctuarium foris niveis volucribus repletum, quæ omnes DEI Electum cum dulci Cantu sequebantur; postremo vidi, Mirabile dictu, quasi totum Monasterium velut se inclinando post eum moveri tanquam ei valediceret aut de bona provisione gratias ageret; has duas Visiones & omnia quæ deinceps dicturus sum, vivis Testibus probari possunt.

Comes Henricus de Bodenburch, Vir Nobilis, & unus de Majoribus Terræ, qui Filiam Domini Operti, Fratris Beati Lamberti Evezam Nomine in Matrimonium duxerat, coram Imperatore Friderico accusatus est tanquam Reus de morte Comitis Hermanni de Wynseburch, cumque inde coram Imperatore se duello expurgaret, victus est & graviter vulneratus, ideoque in Sæculo nolens manere, ad Ecclesiam nostram transiit, ibique habitu suscepto, Hospitali pauperum prælatus est: hic ictu Gladii parvulum Officulum in pede contractum habuit, quod ex Negligentia forte Medici, pede Sanato, & cute superducta extractum non fuerat, unde præfatus Vir frequenter gravi affectus molestia ad memoriam Beati Viri veniens ejus auxilium supplicIter expetiit, inde dormitum vadens, circa finem somni pruritum passus est in pede, manuque fricans Locum Cicatricis cutem rupit, cumque officulum Locum vulneris parumper exiisset, manu illud apprehendens leviter extraxit & ulterius Molestiam non sensit.

Quodam tempore cum Sancti Viri anniversarius esset, Scolares nostri per Licentiam Magistrorum refrigerandi gratia, proximam insulam Navigio intrare voluerunt, cumque non parum in Aqua processissent, quidam eorum alios terrere volentes, per Lasciviam Navim moverunt, eamque vertentes, omnes in profundum descenderunt: Stabant in Littore Dominus Werno Hildenseimensis Præpositus, Haholdus ejusdem Ecclesiæ Canonicus cum quibusdam aliis qui nimium obstupefacti, Beatum Virum Inclamabant quatenus apud Deum eis adesset, cumque quidam eorum diu sub Aqua luctari fuissent, Deo dante, tandem omnes ad Terram salvi evaserunt; quod Meritis Beati Viri factum credimus, qui in anniversario suo Familiam suam contristari noluit.

S 2 Quidam

Quidam Miles de Halverstat Cæsarius nomine, urgebatur Febribus, qui cum oblationem ad memoriam Beati Viri vovisset, diemque designasset qua se ipsum præsentaret, statim sanatus est; Superveniente designato die Dominus suus Episcopus, eum ne votum impleret detinuit, erat enim illi Necessarius, continuo iterum Febre pulsatus est, qui præsciens unde ei hoc acciderat, duplicata oblatione Virum DEI se placare promisit, quam cum coram multis persolvisset (erat enim ea die in Ecclesia nostra Colloquium Principum) sensit adesse Beneficium.

Werno Congregationis nostræ Canonicus & Sacerdos Febri pulsatus ad Memoriam Beati Viri venit, quærens intercessionis ejus auxilium per hæc verba: Domine, inquit, Tu vivus docuisti Nos communibus debere esse contentos, non propriis, ideoque nil proprii possidens, pro oblatione offero tibi Precum devotionem; Rogo igitur quatenus sicut aliis, ita & mei Miserearis, quo dicto quinquies in terram prosternitur, toties Dominicam Orationem proferens, sicque Meritis Sancti Viri efficientibus ulterius Molestiam non sensit.

Ad eandem Memoriam Frater noster Elbertus dicta missa pro defunctis, per commemorationem Sancti Viri à simili passione Liberatus est.

Hadevvich Comitissa de Brenen, Femina Excellentissimi Generis, quippe cujus maternus avus fuit Adelbertus Marchio, diutina Febre Laborabat, quæ cum oblationem Beati Viri vovisset mox sanata est: recuperata sanitate non immemor Beneficii ad tumbam Beati Viri venit, Deo & Sancto Confessori gratias agens.

Quædam Nobilis Matrona Sophia nomine Laborabat eadem Molestia, quæ cum ad Sepulturam Beati Viri venisset, Sanata illico abcessit Deo & Sancto Viro gratias agens.

Hæc de Miraculis Beati Lamberti dicta sufficiant, quod si ut debui dixi, Domine Deus approba, si non, ignosce, in Fine autem hujus operis obsecramus te Sancte Pater, ut sicut te habuimus Eruditorem in Terris, sic intercessorem habere memoriam in Cœlis Amen.



X. Trans-

X.

TRANSLATIO RELIQUIARUM S. ALEXANDRI MARTYRIS AD IDEM NOVI-OPERIS MONASTERIUM JUXTA HALLAS.

ANNO Incarnationis Dominicæ DCCCCLXII. accersitus à Joanne Sanctæ Romanæ sedis antistite Otto Augustus pro Divinis Restaurandis Negotiis Romam venit, ibique Coronam Imperialem de Altari S. Petri Apostolorum Principis accipere meruit, & exinde more suorum prædecessorum Rem publicam quam variis fœdatam erroribus repperit, misericorditer restauravit, habitoque colloquio in monte Sancti Leonis, viduis & orphanis omnibusque ad se venientibus injuste oppressis Legem dedit; quibus omnibus ritè peractis ad Saxoniam repedare statuit, peragratis igitur Locis quamplurimis tandem Pennam, ad quam multa Sanctorum translata exstiterant corpora, applicuit, ibique Episcopus & Comes de Marsi sibi occurerunt, & obsides de illa Provincia Imperatori adduxerunt, quos advenientes Imperator cum Misericordia recepir, omnia enim ad Votum, potita de Hoste Reipublicæ Victoria, successerant: Sedentibus autem illis & de multis Rebus Sermones texentibus interrogavit Imperator Episcopum, si aliqua Sanctorum Corpora in sua requiescerent Ecclesia: Respondit Episcopus quare interrogatis Domine? Respondit Imperator quia desiderium habeo alicujus Sancti Corpus obtentum mecum transferre; Respondit Episcopus Multos Sanctos in Episcopio nostro scimus, sed de quo desiderium habeatis ignoramus, si placuerit Dignitati vestræ veniat aliquis mecum ex vestris Fidelibus, & si invenierit quod Majestas vestra desiderat, cum gratia DEI accipiat, statimque Imperator misit Dodonem presbyterum Capellanum Regium cum Episcopo.

Dodo Venerabilis presbiter illic diligenter perscrutatis Sanctorum Reliquiis invenit Sanctam Felicitatem Martyrem cum suis Septem Filiis jacentem, qua visa agnovit sibi deesse Brachium quod Imperatori antea Romæ fuerat datum, quod quidem Brachium qualiter obtinuerit breviter restat referendum; cum enim Otto Imperator recepta Imperiali Corona per diversos Romanæ urbis Ecclesias causa Devotionis pergeret, secundum temporis Revolutionem aderat Festivitas S. Martiris Clementis, unde & Imperator ad audiendum missarum solempnia ad ipsius Ecclesiam perrexit, ibique Papam obvium sibi habuit; Divinis autem peractis officiis Papa Imperatori Brachium Sanctæ Felicitatis dedit, quod de eadem Ecclesia Adeldagus Venerabilis Hamaborgensis Episcopus receptum Imperatori usque ad S. Petrum perductum præsentavit: Redeundo autem ad Narrationis nostræ seriem dictus Dodo presbiter agnitis Sanctissimorum Martyrum S. Felicitatis Filiorumque ejus Reliquiis, magno repletus Gaudio eam de Sepulchro una cum Corporibus Sanctorum Alexandri & Felicis Filiorum ejus Levatam Pennam adduxit, has Reliquias cum quam pluribus aliis idem piissimus Otto, Magdeburgh solempniter adduxit atque cum eisdem Ecclesiam Metropolitanam ibidem. V. Kalendas Martii enceniavit.

Transcursis autem non paucis annorum curriculis Adelgotus Sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ Præsul devotissimus, Divinum ampliare disponens Famulatum, Hallense Monasterium ad Novum-Opus vocitatum Fundare cœpit, sed inmatura morte præoccupatus Successori suo Ruodgero consimilis devotionis fervore accenso idipsum perficiendum reliquit; eo igitur tempore anno videlicet Dominicæ Incarnationis MCXXIIII. Indict. II. Decimo Sexto Kalend. Januarii translata sunt Ossa S. Alexandri Martyris Filii S. Felicitatis, & Brachium S. Sergii Martyris cum multis aliis Reliquiis per Dictum Ruodgerum antistitem ad Dictum Hallense Monasterium, reconditæque sunt hujusmodi

Reliquiæ B. Alexandri pariter cum Costa Matris ejus Sanctæ videlicet Felicitatis in Sarcophago arte inclusoria mirifice fabricato, quod in Ecclesia Novi-Operis inpræsentiarum cernitur.

Acta sunt hæc Anno Incarnationis Dominicæ MCXLVI. temporibus Celestini Papæ II. & Lucii II. qui Ecclesiæ Romanæ præsulatum Diebus & Mensibus paucis gubernaverant, quibus successit Eugenius III. discipulus S. Bernardi Abbatis Clarævallensis, qui una cum Apostolicis Celestino & Lucio, Ecclesiæ Novi-Operis Larga Spiritualium donorum Munia Largitus est, Regnante Victoriosissimo Romanorum Rege Conrado, aurigante Currum Magdeburgensis Ecclesiæ Friderico Archi-Episcopo, cujus Tempore Ossa Majora exceptis minoribus beatissimi Alexandri recondita sunt, Caput integrum Duobus Dentibus adhærentibus excepto mento, pectus, Brachia, Scapulæ, Spina dorsi, adhærentibus Costis, Femora, Crura, quæ inpræsentiarum venerantur in Monasterio Novi-Operis, Fideli Populi Christiani Frequentia ad Laudem gloriam & Honorem Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen.



XI.

JOANNIS TYLICH MONASTERII S. MAURITII ORD. CAN. REG. EXTRA MUROS NUEMBURGENSES, PRÆPOSITI. CHRONICON MISSNENSE.

Temporibus Caroli M. in cujus persona Imperium translatum fuit ad Theutonicos Anno Domini DCCLXXXV. fuit in Saxonia Magnus Dux Witkint qui per XXX. annos pugnavit cum dicto Imperatore, antequam Fidem Christianam recipere vellet, tandem Divina Inspiratus Gratia Fidem suscepit, & apud Attindorp Baptisatus fuit ut habetur in Chronicis: hic itaque Witkint tres habuit Filios Theodoricum, Witkint & Livnunt, ex his Theodoricus scribitur fuisse egregiæ Nobilitatis & probitatis Vir, hic genuit Duos Filios Dedonem & Fridericum, & Filiam Mechtildam Nomine quæ nupsit postmodum Heinrico primo Regi qui genuit ex ea Ottonem M. Imperatorem, qui fuit Fundator Magdeburgensis, Merseburgensis, Missnensis & Litzensis Ecclesiarum, quarum Fundationum confirmationem in antiqua littera in Monasterio S. Petri in Burgo Mersburgensi recolo me vidisse & legisse, sed ex post in Concilio Generali Lateranensi ubi dictus Otto Imperator una cum Filio suo Ottone II. interetat, Privilegium Exemptionis Ecclesiæ Missnensis obtinuit, cujus transsumptum sub Sigillis Lizensis & Mersburgensis Episcoporum vidi in Ecclesia Missnensi, hodie vero tempore Bonifacii IX. Papæ Dominus Wilhelmus Marchio Missnensis dictam Exemptionem per Bullam dicti Domini Bonifacii Innovavit, quam similiter vidi & perlegi, & sic Marchia Missnensis, temporibus Ottonis primi & secundi apud eosdem residebat, sicque istud Nobilissimum Ottonicum stemma & Genealogia Principum Missnensium sumpsit Originem ex parte Matris Ottonis Mechtildis, Dedo siquidem Filius Theodorici de Wittin (quod nomen est Castri à Patre suo Witkindo super Fluvium Salam constructi) Frater Mechtildis Imperatricis & avunculus Ottonis Imperatoris, mortuo Gerone Merseburgensi Comite, mediante Gislero Magdeburgensi Archi-Episcopo, Comitatum ejus qui inter Wipperam & Salam & Willebecke Fluvios situs est, acquisivit, duxitque postea uxorem Thebergam, Filiam Theodorici Marchionis de Brandinburg, genuitque ex ea Filium Theodoricum Nomine Theodoricus jam tertius, Theodorici II. Filii Dedonis Filii Theodorici I. Filius accepit uxorem Filiam Ekkehardi Marchionis de Thuringia (qui fundavit Castrum Ekkartsperg) Mechtildam Nomine, sororem Hermanni & Ekkehardi & Guntheri natam

ex

ex Suvenhilda matre Geronis Marchionis de Lusatia, pro quo sciendum, quod temporibus primi Ottonis Imperatoris fuit Marchio in Lusatia Nomine Christanus, qui habuit uxorem Hiddam Nomine, genuitque ex ea Getonem Coloniensem Archi-Episcopum & Ditmarum Marchionem, hi Fratres cum Matre Hidda Abbatiam prope Salam, vocatam Monchenyemberg Fundaverunt. Ditmarus Marchio Luzacensis duxit uxorem Filiam Hermanni Ducis de Luneborg Suuanahildam, ex qua genuit Filium Ditmarum, qui ulterius genuit Odonem, qui sine Liberis mortuus fuit & in eo posteritatis propagatio cessavit: post mortem vero Dithmari primi Marchionis Lusatiæ ejus Relictam, Suuanahildam accepit Eckehardus Marchio Turingiæ, qui fundavit Nuemburgensem Episcopatum & Monasterium S. Georgii ibidem, ubi ejus Sepultura cum uxore Machtilda hodie in medio Ecclesiæ cernitur, & eorum statuales imagines cum eorum armis.

Intercepta paulisper Linea directa descendentium, de Friderico Fratre Dedonis Filii Theodorici primi collaterali Linea prosequamur: Fredericus Comes & Frater Dedonis Marchionis Yleborg Castrum & Civitatem obtinuit ut in Chronica Sereni-Montis habetur: Idem Fridericus Filios Masculos hæredes non habens, sed Filias tantum, ideo moriturus dicto Theodorico Marchioni patruo suo Castrum Hilleberg assignavit, ita quod prædictum omne quod remanserat Filiabus suis traderet, hic moritur in Sancta nocte Epiphaniæ in dicto Castro suo Yleborg, cujus Castrum cum omnibus Bonis quæ habuit in pago Susselitz prædictus Comes Theodoricus Beneficio Imperatoris obtinuit.

Nunc ad directam Lineam revertendo, Theodericus Marchio in Wittin & in Yleborg prædictus, ex Mechtilde Filia Eckkehardi Marchionis de Ekkirsberg genuit sex Filios, & unam Filiam: primogenitum Fridericum, Dedonem, Thymonem, Geronem, Conradum, Riddagum, Filiam vero Hyddam; Fridericus primogenitus, fuit Major Præpositus Ecclesiæ Magdeburgensis, postea Monasteriensis Episcopus. Secundus scilicet Dedo obtinuit Marchiam Odonis de Lusatia, qui sine hæredibus mortuus fuit, ut supra dictum est: hic Dedo duxit uxorem Matrem Ottonis Marchionis, tunc de Orlamunde & de Wymar, Nomine Odam, genuitque ex ea Filium Dedonem juniorem, qui in pueritia per posteriora confossus interiit; genuit & Duas Filias quarum una Adelheidis nupsit Ernesto Marchioni de Bavaria, genuitque ei Luppoldum Marchionem: altera Filia Agnes nupsit Friderico Comiti Palatino de Gosik & de Summirsinborg, peperitque ei tres Filios Adalbertum Archi-Episcopum Bremensem, Dedonem, & Fridericum, Comites Palatinos & Fundatores Gozozensis Monasterii prope Salam, quod fundatum & dedicatum fuit Anno MLIII. Dedone Marchione, Thymone & Gerone Fratribus ipsius, Comitibus de Brene & de Wyttin de quo plene constat in Fundatione Gosozensis Monasterii: Item præfatus Fridericus genuit Filiam Nomine Odam, quæ nupsit Adelberto quondam Nobili de Summirscheborg, genuitque ex ea Fridericum Comitem Palatinum Juniorem, defuncto vero Ottone Marchione de Orlamunde & Matre ipsius Oda, præfatus Dedo Marchio Lusatiæ, viduam Ottonis privingi sui accepit secundam uxorem, & sic nota Casum quo quis successive potest habere de jure in Matrimonium illius uxorem, cujus prius habuit Matrem, vel sororem; hic Dedo Marchio prius habuit Odam Matrem Ottonis, post recepit Adelheidem ipsius Viduam; hæc Adelheidis fuit nata de Brabantia ex Castello quod dicitur Lovenne, genuitque Dedo ex ea alios Filios, Dedonem, Henricum Marchionem de Hilleborg Seniorem, & Conradum Comitem qui â Paganis occisus est; iste Henricus de Hilleborg Duxit uxorem Gertrudem quæ erat de Brunswick genuitque ex ea Henricum Marchionem de Ylleborg Juniorem qui Cunradum Comitem de Wyttin Captivavit ut infra dicetur; hic Heinricus mortuus fuit sine hæredibus, cujus Marchiam Cunradus Comes ex Dono Lotharii Imperatoris obtinuit.

Tertius Filius Tymo, qui remansit in Castro Wittin Duxit uxorem Ydam Filiam Ducis de Northeim, genuitque ex ea Duos Filios Dedonem & Cunradum: hic Tymo Marchio cum uxore sua Ecclesiam Nemetensem in vulgari Nemick fundarunt, & sita est prope Oppidum Bittirfelt, quam Nomine & dignitate Abbatiæ suis privilegiis confirmarunt; & primus Abbas inibi Reynhardus dicebatur: sed ex post, Filius suus Conradus eam S. Petro Sereni-Montis Monasterio autoritate Conradi Magdeburgensis Archi-Episcopi Anno MCXXXVI. incorporari

procuravit, quam hodie quoadjus Patronatus tantum tenent & possident Fratres dicti Montis: Vidi ego in Fundatione Gozozensis Cœnobii vulgo Gozück prope Wissinfels, in privilegio Fundationis, quod prædictus Tymo Marchio cum Fratre suo Gerone affuit consecrationi Ecclesiæ seu Monasterii Anno MLIII. genuit præterea Tymo Filiam Nomine Mechtildem quam Gero Comes de Bawaria accepit uxorem, qui genuit ex ea Wickmannum Archi-Episcopum Magdeburgensem & Cunradum; Gerone defuncto accepit eam Luthwicus, alius Comes de Bavaria Pater Luthwici Abbatis Merseburgensis, ut in Chronica Sereni-Montis habetur.

Quartus Filius Gero Comes de Brene Duxit Bertam relictam cujusdam Popponis de Wippera, genuitque ex ea tres Filios Theodoricum Comitem, Wilhelmum Comitem de Kamberg qui fuit unus Fundatorum Numburgensis Ecclesiæ, & Guntherum Lipzensem Episcopum, & Duas Filias Willam Gerbstadensem Abbatissam & Thebergam Præpositam de Geronrode: hujus prædicti Popponis Frater, fuit Cono Senior de Wippera.

Quintus Filius Conradus Comes Duxit uxorem sororem Theoderici Senioris de Katilenborch, quæ Othildis dicebatur, peperitque ei Filiam Nomine Bertradam, quam accepit Berengerus Comes Frater Ludovici Comitis de Turingia, genuitque ei Filium Conradum & Filias quatuor, quarum una Kunigundis accepit Cunonem de Wippera, quæ genuit Ludovicum.

Sextus Filius Riddagus mortuus est sine Liberis & Hidda soror ipsorum Nupsit Duci Bohemico & genuit Guntherum Patriarcham Aquilegiensem. Ex his omnibus Generationem Tymonis Latiùs prosequimur, quia ipse est stipes Principum.

Dedo Filius Tymonis, accepit uxorem Filiam Wicperti de Marchionis Groitz Fundatoris Pigaviensis Monasterii Nomine Bertam, genuitque ex ea Filiam Mechtildem quæ Nupsit Comiti Rabbodoni Babinbergensi Advocato; idem Dedo Ecclesiam Beati Petri in Sereno-Monte incepit sed non perfecit, nam Orta fuit dissensio inter eum & uxorem suam Bertam, ita quod eam aliquot annis repudiavit, tandem Monitis Episcoporum Magdeburgensis, Mersburgensis & aliorum sibi eandem reconciliavit, & ex post Crucem Dominicam assumens cum potentia sua ad Terram Sanctam se recepit, Fratri suo inceptum Opus Sereni-Montis Monasterii committens; demum de Terra Domini Sepulchri rediens, in brevi sine Heredibus Masculis mortuus fuit, portavitque secum partem satis notabilem de Ligno Domini, quæ usque hodie ibidem in Sereno-Monte cernitur. Berta uxor sua Præposituram in honore B. Mariæ Virginis fundavit & satis habunde dotavit, quam Ecclesiæ Pegaviensi à Patre suo Wiperto fundatæ incorporari procuravit; fuerat Wipertus vir strenuus & Bellicosus, qui multa prælia habuit cum vicinis suis de Castro Wilsin, prout in vita sua pulchro stilo conscripta in dicto Monasterio Pegaviensi reperies; habuit hic Filiam Ducis Bohemiæ in uxorem ex qua genuit Henricum Filium, qui dono Imperatoris ex post Lusatiam obtinuit, quo mortuo sine liberis, cessavit cum eo generatio Wiperti Fundatoris Pigaviensis.

Cunradus alter Filius Tymonis de Wyttin, mortuo Fratre suo Dedone sine Hæredibus masculis ipse inchoatum Monasterium Sereni-Montis perfecit Anno MCXXIIII. Indict. II. præsidente summo Pontifice Calixto II. Pontificatus ejus Anno VI. Imperante Heinrico hujus Nominis V. Imperii ejus Anno XIII. Anno ab Ordinatione primi Archi-Episcopi Magdeburgensis Alberti CLVI. à Fundatione Hallensis Ecclesiæ Novi-Operis Anno IX. hic Cunradus Fraternæ Devotionis Fidelis imitator, de prædiis dedit Ecclesiæ Sereni-Montis CXX. mansos, Item dedit Ecclesiam in Lobechune cum XXVI. mansis & alia multa prout in privilegiis & in Chronica dicti Monasterii clare habetur.

ANNO MCXXVI. Idem Conradus interventu Reginæ Richenzæ cujus erat cognatus, Marchiam Missnensem dono & Beneficio Regis Lotharii obtinuit, & sic totam proprietatem Henrici Marchionis defuncti qui eum captivaverat possedit.

Anno

ANNO MCXXXVI. Lotharius Imperator magnam convocationem Principum apud Moguntiam fecit ad quam Henricus Filius Wiperti de Groetz & Marchio de Luſatia veniſſet, ibidem mortuus fuit ſine Hæredibus, & ſic Marchia Luſatiæ ad Imperatorem exſtitit devoluta; redeunte ſub id tempus Cunrado Marchione Miſſniæ de Terra Sancta, dono iterum ejusdem Imperatoris Marchiam Luſatiæ & Comitatum Groitzienſem obtinuit; hinc per maximè ditatus & magnificatus, non ſolum Bonis exterioribus, ſed & Filiis & Filiabus à DEO fœcundatus eſt, nam uxor ipſius Nobiliſſima Luckardis Filia Alberti de Suevia peperit ei ſex Filios. I. Henricum qui in pueritia mortuus eſt II. Ottonem Marchionem Miſſnenſem. III. Theodoricum Marchionem Orientalis Luſatiæ. IV. Dedonem Comitem de Rochelitz. V. Henricum Comitem de Wittin. VI. Fridericum Comitem de Brene; & VI. Filias quarum tres in Gerbſtede Monachas fecit, harum prima vocabatur Oda; altera Bertha, quæ fuerunt Abbatiſſæ in Gerpſtede; tertia Agnes Abbatiſſa in Qudlingburg; quarta Gertrudis, nupſit Palatino Reni, quæ Viro defuncto, Chriſtum fecit Hæredem nam in Honore Beati Theodori Martiris conſtruxit in Babinberg Monaſterium Sanctimonialium quibus ſe ſocians, in Sancta Converſatione vitam finivit; Quinta Filia Adela nupſit Suenoni Regi Danorum, quo à Danis occiſo, nupſit Alberto Marchioni Brandenburgenſi; Sexta Filia Sophia, nupſit Gevehardo Comiti de Bavaria Filio Sororis Lotharii Imperatoris.

ANNO MCXLVI. cum Cunradus Marchio Miſſnenſis & Luſatiæ in transmarinis partibus ſecundario militaret, contigit Nobilem Luckardim uxorem ſuam venire ad Montem Serenum S. Petri, ibique ſe flebotomari fecit, ſequenti ſeu altera die petitionem aliquam Præpoſito Meynhardo porrexit de qua illam noluit exaudire, pro qua re indignata, ad Monaſterium Gerpſtede ad Filias ſuas ſe recepit, ibique ex motu animi, ut fertur, defuncta eſt XIII. Kal. Julii. Filia vero ipſius Abbatiſſa ibidem exiſtens, de conſilio Hoggeri Comitis de Mansfelt qui tunc aderat, in Gerpſtede Sepulta fuit. Cunradus Marchio de Marinis partibus rediens cum in partes Bawariæ veniſſet, Nuntium de Morte uxoris accepit, ſtatimque ubi ſepulta eſſet ſollicite requiſivit, quo cognito, ſimulque de eo qui Conſilium dederat comperto, graviter ferens, cum Juramento aſſeruit, ſe eum Comitem Hoggerum Compulſurum ut Corpus uxoris defunctæ ſuis manibus effoderet, quod & ita factum eſt, nam Hoggerus intelligens ſe non aliter niſi reddito Corpore Marchioniſſæ gratiam apud Conradum Impetraturum, nocte quadam dimidio jam anno à Sepultura tranſacto, Gerpſtede cum ſuis clam venit, perſuaſisque pecunia Cuſtodibus, Marchioniſſam effodiens tulit, & Wittin Caſtro ubi ex condicto Marchionis ejus exſpectabat adventum, adduxit, ſicque ſub ipſa nocte, proſequente Marchione in Sereno-Monte S. Petri advecta eſt ibique Sequenti die honorifice Sepulta.

ANNO MCL. Cunradus Marchio, Abbatiam Nymitenſem quam parentes ipſius fundaverant, videns propter tenuitatem Reddituum non poſſe ſubſiſtere, eam autoritate Apoſtolica Eugenii Papæ Monaſterio Sereni-Montis ſtuduit incorporare, cujus rei Privilegium ſequitur & eſt tale.

„EUGENIUS Epiſcopus Servus Servorum DEI dilecto Filio Nobili Viro CUNRADO „Marchioni Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Litteras Nobilitatis tuæ benigne „recepimus & Devotionem tuam quam erga B. Petrum & Eccleſiam DEI te habere perpendimus, in Domino Collaudamus: Nos ergo tuum laudabile votum de Eccleſiis „pro quibus rogaſti adimplere volentes, petitioni tuæ Duximus annuendum, unde Ve„nerabili Fratri noſtro Archi-Epiſcopo Magdeburgenſi per ſcripta noſtra mandavimus, „ut ſecundum quod à Nobis poſtulaſti, ſtudeat hoc effectui mancipari: præterea Dile„ctum Filium noſtrum Præpoſitum Miſſnenſem & Canonicos ſuos habeas propenſius „commendatos, ut eos à pravorum Hominum in curſibus defendas atque in ſuis opor„tunitatibus juves & manu teneas. Datum TUSCULANI V. Non Martii.

Hæc interſerere Lubuit, ut defenſio Miſſnenſis Eccleſiæ doceatur ad Marchiones pertinere ex authoritate Apoſtolica.

Anno MCLII. Cunradus Imperator Obiit, cui successit Fridericus Dux Sueviæ, qui Fridericus Anno ex post tertio; ab uxore sua propter notam adulterii authoritate Papæ, à Thoro cum ea divortatus est.

Anno MCLVI. Cunradus Marchio, Gratia Divina se præveniente, incertitudinem vitæ suæ considerans, timensque ne si Labenti Mundo diutius inhærere voluisset, ipse quoque simul ad Lapsum tenderet, ipsum Mundum relinquere & Monasterium petere stabili secum proposito definivit; volens autem Ecclesiæ Sereni-Montis, ad quam anhelabat, etiam in futurum prospicere; Wicmanno Archi-Episcopo Filio sororis suæ Machtildis, ac Alberto Marchione Brandeburgensi Genero suo, Filiis etiam suis omnibus, multisque aliis tam Ecclesiasticis quam Sæcularibus Viris accersitis ad Locum venit, ut in eorum præsentia quod intenderat consummaret, itaque possessiones suas quascumque vel ipse, vel uxor ejus Loco contulerant per manus Filiorum suorum offerri fecit, deinde Seniorem ipsorum Advocatum Loci Ordinavit, & quod omnes secum sepulturam habere deberent; his ita ordinatis per manus Archi-Episcopi vestitus voluntariam paupertatem pro amore Christi amplexus est. Hæc acta sunt in die B. Andreæ Apostoli, quo Nemus seu silvam in Orientali parte Monasterii sitam, de manu sua oblationem B. Petro obtulit: vixit autem post Conversionem suam solum Mensibus Duobus & Diebus quinque, mortuusque est Nonas Februarii Anno vitæ suæ LX. Sepultusque est à Wicmanno Archi-Episcopo Magdeburgensi in medio Ecclesiæ ubi in Crypta ejus uxor est.

Otto Marchio Missnensis Filius Cunradi accepit uxorem Hedewigem Filiam Alberti Marchionis Saxoniæ; hic Otto tanquam Senior Advocatiam Monasterii in Sereno-Monte obtinuit atque fidelissime administravit, qui tandem divina inspiratione compunctus cum ei Cisterciensis Ordinis Institutio innotuisset, ratus est Congregationem in suo Dominio Missnensi dicti Ordinis instituere, sic Monasterium Portense Nuenburgensis diœcesis adiit, ibique Fratres illius Ordinis Impetravit atque in Monasterio Cellensi, quod propriis Redditibus solemniter fundavit, Instituit; hic siquidem Marchio inter Cœteras Villas & Loca, quæ dicto Cœnobio contulerat, dedit & Locum ubi nunc Friberg Civitas & Fodina argenti sita est. Sicque permaxime ditatus Civitatem Friberg, Lipsick & Ysenberg muris firmis circumdedit, Castrum etiam Wissinfels cum omni Jurisdictione acquisivit, multa prædia Ecclesiis & Monasteriis donavit; Volens insuper Monasterium fundare Canonicorum Regularum, una cum Fratre suo Dedone Comite de Rochelitz, ad hoc Opus Ecclesiam B. Virginis circa Littus Fluvii Mildavi prope Lessenitz quæ Ecclesia Owa-Claustri hodie nuncupatur, obtinuit, & consentiente, Loci Diœcesano Nuenburgensi Episcopo LX. Novalia cum pratis & silvis dictæ Ecclesiæ donavit, atque ab Imperatore Friderico confirmari obtinuit, prout hæc clare patent in Imperiali suo Privilegio cum Sigillo Majestatis, quod habetur in Monasterio nostro S. Mauritii prope Nuemburg, ad quam Ecclesiam hodie dicta Præpositura Owa-Claustri dinoscitur pertinere, quod quidem Privilegium Sæpius vidi, & coram Principibus modernis produxi, eisdem copiam translatam in vulgari tradendo.

Genuit autem Otto ex Conjuge sua Hedwige Duos Filios Albertum & Theodoricum & Duas Filias Adelam & Sophiam, Sophia nupsit Duci Bohemico Olrico, quo mortuo nupsit Burggravio de Reynsborg; Adelam Duxit Odocarus, qui postea fuit Dux Boëmiæ, qui genuit ex ea Filium Udislaum & Filias tres, quarum una nupsit Regi Daciæ, alia Heinrico Comiti de Ortinberg, tertia canonisata est in Gerinrode; Adela ex post cum Odocaro divortata est propter notam consanguinitatis & de ista causa loquitur Decretalis secundo de Testibus.

Anno MCLXXXII. Magna discordia inter Lodewicum Comitem Turingiæ, & Ottonem Marchionem Missnensem, ita quod præfatus Lodowicus Ottonem Marchionem Captivavit, sed quia hoc non mediante justo Bello, ideo præcepto Friderici Imperatoris relaxatus est: tandem seminator Discordiarum Diabolus Bellum Intestinum inter ipsum Ottonem Marchionem, & Albertum Filium suum seminavit, ita quod Filius præcepti decalogi immemor, manum suam violenter in patrem extendit ipsumque Captivavit Anno MCLXXXVIII. causam autem hujus Captivationis in Cronica

nica Sereni Montis fusè habetur, & licet jussu Imperatoris mox relaxatus fuerit, pater Filii Nefas usque ad mortem graviſſime tulit, obiit autem Anno ſequenti XII. Kal. Martii, Sepultusque jacet in Cella veteri cujus exſtiterat Fundator, contra Fidem Patri ſuo Cunrado Marchioni Datam, videlicet ut in Eccleſia Sereni-Montis omnes ei conſepelirentur, ſed ne calumpniandi de Fide Patri præſtita aliqui habeant Materiam, dico quo Voti fractor non eſt qui illud in melius commutat, ſic præfatus Inclytus Princeps Marchio Locum magis Religioſum & ſolempnius paterno Monaſterio eligendo, promiſſum non Violavit.

Mortuo itaque Ottone, Albertus Filius Marchiam Miſſnenſem obtinuit & mox Fratrem ſuum Theodoricum Comitem de Wiſſinfels proſequi cœpit, eumque omnibus ſuis Bonis privare, ſi potuiſſet, voluit: Theodoricus tali Fratris violentia dudum quaſi triennio & amplius preſſus, pro auxilio petendo ad Hermannum Turingiæ Landgravium ſe contulit, quem ille aliquandiu ſuſpendit dicens ſe, ut Marchioni Bellum inferret Occaſionem idoneam non habere; habebat autem Filiam jam nubilem, Comite vero petitionem ſæpius iterante, Lantgravius de Conſilio ſuorum reſpondit, ſi Gener ejus fieri vellet, ſe ei omnibus modis ſuccurſurum, quod ille quidem primo, quia puella oculis ejus propter ſui deformitatem diſplicebat, renuit, ſed tandem Neceſſitate coactus conſenſit Conjugio, quo facto, exhinc Auxilio Lantgravii cœpit Fratri Superior apparere, eumque in Loco qui Reveninge dicitur improviſo aggreſſus, ad Fugam coegit.

Marchio vix cum tribus vel quatuor ſociis fugiens ad Montem Serenum S. Petri pervenit, quorum Equi horrendis vulneribus debilitati cum eſſent, Waltherus tunc Præpoſitus ibidem alios Equos eis procurans, ipſum Marchionem Cappa Clauſtrali pro diſſimilitudine perſonæ indutum, aliquanto vix Spatio Lupzich tendentem Comitatus eſt: Verum licet Marchio Albertus his adverſis nihil à ſua Magnanimitate alteratus bellandi firmum haberet propoſitum, ab Imperatore monitus deſiſtere coactus eſt: Anno itaque MCXCV. Albertus Marchio Veneno, ut fertur, à quodam familiarium ſuorum Hugoldo Nomine, ſumpto, in Friberg ægrotari cœpit, unde Miſſnam feſtinans cum nec Equo nec Curru propter morbi Vehementiam Vehi poſſet, à Viris in geſtamine ad hoc ipſum compoſito portabatur, verum emenſo unius milliari Spatio ingraveſcente moleſtia, etiam geſtari non ſufferens in villa quadam Heinrichſtorf depoſitus, ibi defunctus eſt VIII. Kal. Julii, ut in Chronica Sereni-Montis hæc omnia clare habentur, Sepultusque eſt in Cella juxta patrem ſuum; uxor vero ejus Sophia Filia Ducis Bohemiæ, Fratris Odocari, ex poſt infra XXX. dies eodem Veneno extincta fuit: hic Albertus nullum reliquit Filium, ſed Filiam quam Hermannus de Lodeborg habuit in uxorem, ſic Albertus digno DEI Judicio punitus & Hærede juſte deſtitutus, juxta ſententiam Veritatis; honora Patrem & Matrem ut ſis longævus ſuper Terram; & ſic poſteritas ejus ceſſavit; & hæc de Ottone & Alberto ejus Filio ſufficiant; nunc de Fratribus Ottonis tanquam collateralibus eſt videndum.

Theodoricus Marchio Luſatiæ Orientalis Filius Cunradi Marchionis, & Frater Ottonis de quibus ſupra, ædificavit Caſtrum Landiſperg, Civitatem Schildow, Fundavit Monaſterium Ciſtericenſis Ordinis ſolempne & Dives in Dobirlug, & Parochiam in Yleborg cum Capella Caſtri Monaſterio S. Petri donavit; hic Theodoricus uxorem habuit Dobergenam Nomine, quæ & Lukardis vocabatur, Poloniæ Ducis ſororem, cum qua genuit Filium Cunradum Nomine, & Filiam Nomine Gertrudem, quam in Gerpſtede Monacham fecit: verum Filius ejus Cunradus Anno MCLXXVI. ad Torneamentum in Auſtriam equitavit, ubi ictu Lanceæ perfoſſus interiit XV. Kal. Decembris.

Tantum ergo idem Ludus peſtifer in partibus noſtris tunc inoleverat ut intra unum Annum XVI. milites referantur periiſſe, pro qua re Wicmannus Archi-Epiſcopus cum ſuffraganeis ſuis, omnes ejus frequentatores excommunicationis Vinculo innodavit, comperta autem præfati Comitis morte, miſſis nuntiis in Auſtriam, eum Sepultura Eccleſiaſtica fecit prohiberi; tempore quo procedente, cum idem Archi-Epiſcopus Wicmannus convocatis ſuffraganeis ſuis cum magna Cleri frequentia in Eccleſia Hal-

lensi Conventum habetet, Patet Occisi scilicet Theodoricus Marchio & Fratres ejus omnes videlicet Otto Misnensis Marchio, Dedo Comes de Rochlitz, Henricus Comes de Wittin, Fridericus Comes de Brene cum multis Nobilibus Viris & Ministerialibus advenientes, pedibus Archi-Episcopi ac totius Cleri cum Lacrymis provolvuntur postulantes, ut occiso concederent Fidelium Sepulturam asserentes constanter eum ante suum Finem, pœnitentem & absolutum Communionem Dominici Corporis meruisse cum enim Comes idem moriturus, vulnere debilitatus jaceret, contigit Sacerdotem quendam Religiosum transire, qui petentibus amicis ad vulneratum accedens magna ab ipso Instantia rogatus est, ut à vinculo excommunicationis ipsum absolveret, promittens fideliter si Divina misericordia vitæ Spatium largiretur, nunquam se de cætero tali causa excommunicationem incursurum super hoc autem ad militandum DEO, Cruce signari Devotè petivit, ut ejus contritio manifestius appareret; Sacerdos vero hæc omnia in ipso complevit, & quia tunc in Conventu præsens erat, Juramento hæc confirmare rogatus est, ut nulla dubietas remaneret, ipsi præterea Principes prædicti, exigente hoc ab eis Archi-Episcopo, in reliquis juraverunt à Torneamentis perpetuò abstinere, nec usquam in omni ditione sua, hujusmodi Exercitium permittere, Hominesque suos & Ministeriales ab eo modis omnibus cohibere: ac sic Demum Archi-Episcopus mortuo Comiti Sepulturam concessit, salva tamen Apostolica confirmatione; unde factum est ut tamdiu Sepultura careret, donec unus militum Familiaris ejus, Wernerus Nomine, consensum de hoc summi pontificis reportaret, qui etiam transmarinam peregrinationem pro ipso postremo peragens, Fidelem se tam manifestis Indiciis declarabat; Sepultus autem fuit Comes in Sereno-Monte XV. Kal. Februarii ante Introitum Ecclesiæ Majoris occidentalem, juxta quem etiam postea prædictus Wernerus miles suus requiescit, obtulit præterea Theodoricus Marchio pro anima Filii sui X. mansos in villa Margreffendorf, ac dein separatus fuit cum uxore sua Dobergena, qua adhuc vivente aliam quasi Superinduxisse fertur uxorem, scilicet Cunigundim Nomine, Relictam Berhardi Comitis de Ploscke ex qua genuit Theodoricum Merseburgensem Episcopum.

Anno Domini MCLXXXIIII. in Festo Pentecostes Imperator Fridericus Filium suum Henricum Regem fecit; affuit inter multos Principes Theodoricus Marchio noster, qui ibidem Moguntiæ in ægritudinem incidit, qua longo tempore detentus est, in vigilia vero Beati Thomæ Apostoli de castro suo Landisperg in Montem Serenum adductus, in Infirmatorio Claustri decumbens, ingravescente molestia V. idus Februarii defunctus est, Ibidemque Sepultus fuis in dextra Friderici Fratris sui. Comitis de Brene, post patrem eorum ad Occidentem.

Successit Frater ejus Dedo Comes de Rochlitz; is accepit uxorem Mechtildem Filiam Gosswini Comitis de Hinisberg, sororem Philippi Coloniensis Archi-Episcopi, ex qua genuit Theodoricum Majoris Ecclesiæ Magdeburgensis Præpositum, Item Philippum Item Gozwinum & Henricum qui ambo in juventute mortui sunt, Item Cunradum Marchionem qui sibi successit in Lusatia, genuit præterea Agneram quæ nupsit Bertoldo Duci de Meran, qui genuit ex ea Filios Ottonem Ducem de Meran & Marchionem de Ostirrich, & Ekkihardum Babinbergensem Episcopum, & Bertoldum Patriarcham Aquilegiensem Item genuit tres Filias, quarum una nupsit Regi Franciæ Philippo, alia Regi Ungariæ quæ fuit Mater Sanctæ Elisabeth, tertia Duci Silesiæ Henrico quæ fuit & est Sancta Hedwigis.

Hic siquidem Dedo patrem suum Cunradum imitatus Monasterium Solemne Canonicorum Regularium fundavit, quod hodie possident Fratres Ordinis militaris de Domo Teutonica, dedicatumque fuit hoc Monasterium Anno Domini MCLXXIIII. accepit autem primos Canonicos & Fratres de Sereno-Monte, & primus Præpositus Theodorus fuit, quando autem istud Monasterium devenit ad Cruciferos Teutonicos plena de hoc habetur Historia Longa apud S. Thomam in Lipitzig, quam ibidem perlegi & tamen ut aliquid sciatur: Fratres Nobiles quidem genere & Sangue, sed ignobiles moribus Præpositum suum uno pede cum Gladio mutilarunt ac ita inordinate vixerunt, quod eisdem per Advocatos Marchionum Misnensium expulsis & exclusis, ipsis Cruciferis magna Dona Donantibus,

tibus, Locum taliter qualiter obtinuerunt, & ut in Superioribus dictum fuit, quod Dedo Frater Patris sui Conradi Marchionis habuit uxorem Berchtam Filiam Wiperti Comitis & Marchionis de Groitz ex qua non habuit Filium; hinc Dedonem de Rochlitz adoptavit in Filium: Theodoricus autem Filius Dedonis qui Præpositus fuerat Magdeburgensis Ecclesiæ, uxorem Duxit Mechtildem Filiam Ludovici Comitis de Thuringia, genuitque ex ea Filiam agnetem, mortuusque fuit Anno Domini MCCVII. hic Theodoricus Marchio post fuit Comes Palatinus, & Hæreditario Jure fertur ab Imperatore ad hoc promotus, ut in Fundatione Gozozensis Monasterii recolo me legisse, & ex post Marchiones Missnenses Scripserunt sibi istum Titulum, puta, Marchionis Missnensis & Comitis Palatini, ut antea à Castro Groitz vel Summirseborg, sed utrumque hodie est destructum.

Conradus Marchio Lusatiæ Filius Dedonis de Rochlitz Frater Theodorici accepit uxorem Elisabeth, Filiam Ducis Ladislai Poloniæ, viduam Zibislai Ducis Bohemiæ, genuitque ex ea Filium, qui puer obiit, & Filias Duas, Mechtildam quam Duxit Albertus Marchio Brandeburgensis, & Agnetem quam Duxit Heinricus Comes Palatinus Rheni, Frater Ottonis Imperatoris quarti; Conradus hic à Socero suo Ladislao multa Gravamina passus est, obiitque sine Hæredibus Anno Domini MCCX. ejus Marchiam Lusatiæ Theodericus Marchio Missnensis Filius Ottonis Marchionis Fundatoris Cellensis cœnobii redemit ab Henrico VI. Imperatore pro XV. millibus marcarum argenti, quarum X. persolvit, V. vero fertur eidem remisisse, & sic tertio, Marchia Lusatiæ ad Principes Missnenses pervenit: primò ad Conradum Sereni-Montis fundatorem, ex dono Lotharii Imp.; secundò ad Dedonem à Frederico Imp. pro IIII. millibus marcarum, & nunc ad Theodoricum Marchionem ut dictum est: Mortuus autem fuit Dedo Pater eorum Anno MCXC. & in Monasterio Scillen honorifice Sepultus, & non cum Patre suo ut promiserat: evenit autem Mors ipsius isto modo; Henricus Rex Romanorum ducendæ uxoris causa ad partes Apuliæ profecturus Dedonem hunc Marchionem secum proficisci voluit, qui Itineris illius asperitatem & aëris qualitatem Corpori suo, quia pinguis valde & crassus erat, contrariam sentiens, Medico adhibito, ventris Incisionem passus, & mortuus est XVII. Kal. Septemb. Anno quo supra, Privilegia autem de Donis & Fundatione Cellensis Cœnobii habentur Maldinburg in Monte apud Regulares. Continet Mortuatium Sereni-Montis quod pro Anniversario ejus oblatus sit unus mansus & unus pro uxore ejus Machtilde cujus anniversarius reponitur ad diem XIII. Kal. Februarii id quod hoc ratione constat.

Theodoricus Marchio Orientalis Lusatiæ, Frater Dedonis, quandam possessionem Groitz Nomine super Muldam prope Yleborg Cunigundæ Comitissæ, quam superinduxerat, ut supradictum est, & Theodorico Filio ejus Merseburgensi Episcopo dedit quamdiu viverent possidendam, eo vero mortuo cum inter Ottonem Missnensem, & Dedonem Orientalem Marchiones proprietaris ejus divisio fieret, Jus proprietatis præfatæ possessionis in partem Dedonis cessit, & post eum ad Filios ipsius Cunradum scilicet Orientalem Marchionem Lusatiæ, & Theodoricum Comitem Palatinum de Summerschinborg transiit: tempore vero procedente Walterus Præpositus Sereni-Montis possessionem memoratam à Theoderico Merseburgensi Episcopo emit, Jus autem proprietatis à Marchione & Comite Fratribus pro LX. marcis comparavit. XXX. marcis singulis ipsorum deputatis quarum tunc uterque X. marcas remisit ut duo mansi possessionis ejusdem pro Patre & Matre ipsorum ascriberentur.

Henricus Comes Senior de Wittin, Quartus Filius Cunradi Marchionis, Frater Ottonis Marchionis Missnensis, Duxit uxorem Sophiam, Filiam cujusdam Nobilis Viri de Austria genuitque ex ea Henricum & Cunradum Comites, qui ambo in juventute mortui sunt: habuit præterea tertium Filium Olricum è Filia Sophia quæ nupsit Burchardo Magdeburgensi Burggravio; mortuus est autem Henricus Comes Anno MCLXXXI. III. Kal. Septemb. Sepultusque in Sereno-Monte apud Patrem suum ad Sinistram; ejus Viduam Sophiam duxit Hermannus tunc Comes Palatinus Saxoniæ, postea etiam Comes Provincialis Turingiæ, genuitque ex ea Juttam uxorem Theodorici Marchionis Missnensis & Orientalis Lusatiæ, Filii Ottonis Marchionis Missnensis de quo supra dictum fuit in descriptione Ottonis & plenius infra dicetur in descriptione Filii sui Theodo-

rici. Olricus vero Henrici Comitis de Wittin Filius duxit Filiam Bernhardi Ducis Saxoniæ Hedwigim nomine ex qua genuit Filium Henricum quem reliquit Hæredem: Obiit Olricus in Caſtro Wittin Anno MCCVI. ex diſſenteria IIII. Kal. Octob. relinquens Henricum Filium ſuum Hæredem, Sepultusque fuit in Sereno-Monte in ſiniſtra Friderici Comitis de Brene Patrui ſui & oblati ſunt pro eo VI. manſi in villa Lethenitz.

Fridericus, quintus Filius Conradi Marchionis Comes de Brene, Duxit uxorem Hedwigem Filiam Dipoldi cujusdam Nobilis de Bohemia, qui fuit Patruus Odocari Ducis Bohemiæ, genuitque ex ea Ottonem & Fridericum Fratrem ejus, & Filiam Sophiam Quedlinburgenſem Abbatiſſam, mortuo ſiquidem Friderico Seniori de Brene Comite Anno MCLXXXI. pridie Nonas Januarii, Sepultus eſt in Sereno-Monte apud Patrem ſuum Cunradum Marchionem verſus occidentem: poſt mortem vero ejus, vidua ejus Hedwigis Clauſtrum Monialium in Brene una cum Filiis ſuis Fundavit, ubi in Sancta converſatione vitam finiit: Dedicatum fuit Templum Anno MCC. Otto Filius Friderici mortuus eſt in Juventute Anno MCCIII. & in Brene nova Fundatione Sepultus. Fridericus vero Frater ejus Duxit uxorem Juttam Filiam Friderici Comitis de Zigenhagen, Fratris Hermanni Comitis Turingiæ, ex qua genuit Filiam Hedwigem & Filios Ottonem & Theodoricum, hæc Jutta obiit Anno MCCXX. Fridericus vero de Brene Junior Anno MCCXXI. in partibus transmarinis in Civitate Akaron; & hæc de Genealogia Cunradi Marchionis pro præſenti ſufficiant. Ad Rectam Lineam deſcendentium Ottonis Marchionis Miſſnenſis Principum modernorum Friderici & Wilhelmi nunc deſcendimus.

Theodoricus Filius Ottonis Marchionis Miſſnenſis Comes in Wiſſinfels Anno MCXCVI. in transmarinis partibus conſtitutus, morte Fratris ſui Alberti cognita, cum redire diſponeret, adeo Imperatoris inſidiis arctatus eſt, ut publicè navem ingredi non auderet, ſed à Fidelibus ſuis Lagena incluſus & Navigio illatus, donec multum maris procederet, occultatus eſt: Imperator enim Marchiam Miſſnenſem ſuis uſibus, reſervare volens, præſertim propter argenti Fodinam in Fridberg tunc valde bonam Fidelibus ſuis eam commiſit procurandam, Verum mortuo Imperatore Friderico apud Panormium Anno MCXCVII. Theodoricus reverſus in Patriam adjutorio ſoceri ſui Hermanni Turingiæ Lantgravii Marchiam Miſſnenſem cum omni patrimonio acquiſivit, eamque pacificè & quietè per XVIII. Annos tenuit usque dum Anno MCCXV. ſibi diverſa evenêre Gravamina: nam Archi-Epiſcopus Albertus Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus ipſum pro invaſione Terrarum Eccleſiæ, ut creditur, excommunicavit, quæ res poſtmodum Sopita & compoſita fuit.

Habuit Marchio Theodoricus uxorem Juttam Hermanni Turingiæ Lantgravii Filiam, ut ſupra dictum eſt, genuitque ex ea primo Duos Filios Ottonem & Cunradum, & Filiam Hedwigem, qui in Juventute mortui ſunt, ex poſt autem, Biennio ante Finem vitæ ſuæ genuit Henricum Illuſtriſſimum Principem de quo plene in ſequentibus dicetur.

Cœterum acciderunt huic Theodorico Marchioni multa gravamina & pericula, nam militares quidam cum Lipzenſibus conſpirantes Anno MCCXV. ipſum interficere diſponebant; armatos itaque ad hoc deputàrunt, qui Yſenberg venientes in vigilia S. Nicolai intempeſtæ noctis ſilentio ad Januam Hoſpitii pulſantes dicebant quod deberent neceſſario Marchioni loqui: quædam autem Domicella hæc audiens, ivit ad lectum ipſius requirens ſi deberent intromitti, ad hæc Marchio inquit, licet nihil mali ſuſpicaretur, tamen mandavit ut in craſtinum redirent & ſic illa vice eorum Propoſitum fuit impeditum: verum alii eorum complices omnino certi, quod illi non deſiſterent, qui Facinus conceptum ut promiſerant, perpetrarent, Lipitzik mane venientes Marchionem mortuum divulgaverunt, Civitatem Marchioniſſæ & Henrico ejus Filio parvulo dixerunt reſervandam, & facta eſt commotio valida, multique additi ſunt adeos: Omnes autem Fideles Marchionis turbati ſunt ipſum mortuum audientes, ſed poſtquam compertum eſt eum vivere, illi qui Lipizig ſe receperant Exercitum quadringentorum armatorum Congregantes Duobus annis Marchionem cum ſuis vehementer moleſtabant,

diverſis

diversis autem placitis infra illos Duos Annos habitis, tandem præmissis Juramentis, Fidejussionibus & aliis cautionibus, Marchio ab adversariis suis receptus est, nec aliter, nam Civitatem Ottoni vel Archi-Episcopo Magdeburgensi tradere disponebant, promissa igitur omni indemnpitate Lipizik Marchioni reddita est Anno MCCXVIII. & quia dicti adversarii Civitatem Lipizik absque Civium voluntate & conniventia nequaquam occupare potuissent, Marchio Cives exosos ob hoc habuit, & post paululum Opertunitatem nactus, Fridericum, qui nuper in Regem Romanorum contra Ottonem electus erat, secum in Civitatem Lipizensem cum paucis introduxit, & quia Cives eum cum multis introducere nolebant, Marchione procurante milites paulatim nunc ad istam nunc ad illam portam intrantes Civitatem paulatim repleverunt & se caute in Hospitiis recepetunt; verum quia tempore Guerræ Cives Campanam ad Convocandum se fecerant, Marchio ne per concursum multitudinis intentione sua frustraretur, tintinnabulum præfatæ Companæ clam tolli fecerat & Servari, sicque juxta condictum ac certum Signum cum tubis datum ad jussum Marchionis, quilibet militum Hospitem suum capere & Bona ipsius diripere satagebat: Civitate itaque taliter subacta Marchio fecit destrui, muros in circuitu, & ne Cives aliàs similia attemptarent tria Castra erexit, unum in fine Horti Fratrum Prædicatorum, aliud juxta Fratres minores, tertium ubi est hodie; milites autem qui autores hujus Guerræ fuerant jussit capi, quorum unus cujus anima maxime quærebatur, armatus Dextrarium conscendit & portam clausam cum securi aperiens evasit, cujus Frater captus traditus est in manus Friderici Regis Romanorum qui postea Cruce Signatus mare transiens rebus excessit humanis.

Sic licet aliquantulum se Marchio vindicasset; alii Ministeriales sui, prioribus fortiores se ipsi iterum opposuerunt, trahentes in sui auxilium Archi-Episcopum Magdeburgensem Albertum, qui forti manu Terram Marchionis intrans ædificavit Castrum Tuch prope Leipzik ad unum parvum miliare, cujus Successor Opidum Castro adjacens muro cinxit Anno MCCXXI. Marchio vero usque ad Finem vitæ suæ à malis quæ eum apprehenderant se non potuit explicare, donec tandem æmulis suis procurantibus à quodam Medico suo qui centum Marcas argenti acceperat, veneno sibi præparato interiit Anno MCCXXIII. tunc Domina Jutta ejus Relicta cum Filio suo Henrico Dominium Terræ obtinuit, ac biennio post, consilio quorundam qui sibi favere videbantur, nupsit Popponi Comiti de Hennenberg, quo facto Lantgravius Ludovicus Frater Marchionissæ, quem Marchio Theodoricus adhuc vivens Filio suo parvulo Tutorem designaverat, cum Exercitu Marchiam Misnensem intravit, sicque Comes Poppo compulsus est cedere & Marchionissa cum ipso Exulare, quæ recedens Filium suum parvulum secum duxit: & quia Nubende Comiti, à dotalitio exclusa videbatur, satis caute licet cum præjudicio Filii egit; nam Filium tradidit in manus Ducis Austriæ accipiens pro Castris & proprietatibus dotalitii XII. millia marcarum, quas Dux idem Filiæ suæ Constantiæ assignaverat pro dote, & eam puero Henrico Marchioni desponsavit;

Henricus Marchio Filius Theodorici scribitur Princeps illustris, zelator justitiæ, & Monasteriorum omnium Benefactor, nam Novam-Cellam Cisterciensis Ordinis adinstar Veteris Cellæ propriis sumptibus fundavit. Hic tantam Benevolentiam apud Fridericum Imperatorem habuerat, ut etiam Filiam ipsius Alberto Filio sua Turingiæ Lantgravio in Matrimonium sociaret: genuit autem Henricus ex uxore sua Constantia Philippi Austriæ Ducis Filia, Duos Filios Magnificos Principes scilicet Albertum Turingiæ Lantgravium, & Theodoricum, post mortem vero Constantiæ duxit aliam uxorem Elisabeth, de qua genuit Fridericum Marchionem de Dresden: Theodorico Filio dederat Marchiam Landisperg & Comitatum Groitz, qui accepit uxorem Helenam Filiam Marchionis Brandenburgensis de qua genuit Fridericum Marchionem Missnensem de Landisperg nomine Tuto, qui mortuus fuit sine liberis & in Wissenfels Sepultus.

Hic Theodoricus dictus Pinguis Marchio de Landisperg & Misnensis, una cum Fratre suo Alberto Turingiæ Lantgravio & Friderico de Dresden etiam eorum Fratre, graves habuerunt Guerras cum Duce Brunsvicensi & Comite de Anhalt; nam gravi cum potentia & manu forti Intraverunt Terram Plissene, quam Imperator Fridericus cum Filia sua Margareta nuper ipsi Alberto Turingiæ Lantgravio donaverat, omnia in ea devastantes,

res, donec præfati Fratres Exercitum Copiosum congregantes, Inimicos suos sunt insecuti, quos fugaverunt & Ducem Brunswicensem & Comitem de Anhalt una cum multis aliis captivaverunt. Fuit & Captivatus vicissim Theodoricus ab illis de Anhalt, sed dolosè, & omnino contra honorem: nam Syfridus Comes de Anhalt, & Bernhardus Frater suus cum Exercitu, & Capitulo Magdeburgensi, Ecclesia tunc vacante, circumvallabant quoddam Castrum Reyne, quod tunc videntes se expugnare non posse & adversarios plurimum timentes, Theodoricum Marchionem Filium Henrici Marchionis adhuc Viventis in Auxilium sui evocabant, qui collecto Exercitu eis in Auxilium cum Friderico Patruo suo, Filio Alberti Turingiæ Lantgravii, rogatus advenit: quadam nocte dum Marchio in Papilione sua securus cum suis quiesceret, ipsi Saxones Syfridus & Bernhardus de Anhalt ipsum cum Patruo suo Friderico captivarunt contra honorem & justitiam; Marchio Ductus in Castrum Werbin, Fridericus vero in Castrum Luppene, è quo dum ruptis vinculis evasisset validum congregavit Exercitum & omnem Regionem illorum de Anhalt exspoliavit & devastavit: tandem etiam Theodoricus se redemit cum omnibus suis, & post redemptionem obsedit Castrum Werbin illudque cepit & funditus destruxit: insequenti Anno Castrum Tuch, quod Archi Episcopus Magdeburgensis construxerat prope Lipezik funditus etiam destruxit, prout hodie ruinæ cernuntur ibidem. Iste Theodoricus Duo fundaverat Monasteria Ordinis S. Claræ, unum in Wissenfels, aliud in Susselitz, mortuusque est ante Patrem suum Henricum Anno MCCLXXIXX. Sepultusque fuit in Susselitz. reliquit autem Theodoricus Duas Filias quas Wissenfels Monachas fecerat, & unicum Filium Fridericum Nomine Tuto qui duxit uxorem Helenam Filiam Ducis Bavariæ & mortuus est sine Liberis, Sepultus in Wissenfels, ut supra dictum est: post hæc Henricus Pater Theodorici Princeps Illustris mortuus fuit & in Cella apud Patres suos Sepultus.

Albertus Turingiæ Lantgravius, Filius Henrici Illustris accepit uxorem, ut supra dictum fuit, Margaretam Filiam Friderici II. Imperatoris cum qua habuit Castrum Aldinborg & Terram Plissnensem, de qua etiam genuit tres Filios Fridericum, Tyczmannum, & Heinricum Lantgravium; post mortem ergo Friderici Marchionis Missnensis & de Landisperg, jure hæreditatio Marchiæ Lusatiæ, Missnensis & de Landisperg cum tota Terra Orientali pervenerunt ad Albertum Lantgravium: contigit autem quod idem Albertus Lantgravius quandam Concubinam adamaret dictam pulchram Cunigundam de Ysenberg, sic quod Legitimam suam uxorem Margaretam Filiam Imperatoris exosam habuit, quæ timens se despici Francofordiam se contulit, & ibidem vitam in Castitate & Religiositate finivit, & sicut Albertus uxorem suam exosam habuit, sic & Filios suos modis omnibus exhæredare studuit.

Henricus ejus Filiu', Frater Friderici Marchionis dictus fuit Henricus *ane lant* id est sine Terra, accepit uxorem Hedwigem Filiam Ericii Ducis Silesiæ, & mortuus fuit sine Liberis, in Cella veteri apud Patres suos Sepultus. Titzmannus alter Filius Duxit uxorem Juttam Filiam Bertoldi Comitis de Henneberg, obiitque pariter sine Hæredibus & apud Prædicatores in Lipizik fuit Sepultus. Is in Ecclesia S. Thomæ ibidem, in Vigilia Nativitatis Christi fertur innocenter & ex improviso occisus.

Fridericus Marchio Missnensis Turingiæ Lantgravius Filius Alberti Natu - Major primo accepit in uxorem Agnetam Filiam Ducis Carinthiæ genuitque ex ea Filium Fridericum qui in juventute mortuus fuit: post mortem primæ uxoris Duxit aliam uxorem Elysabeth Filiam Comitis de Marnson cum qua Terram de Marnsaw & Civitatem Novam cum vicinis terris acquisivit, prout hoc constat ex relatibus plurimorum hoc recordantium, fuit hæc Elysabeth honesta valde & Devota, ac elegantis staturæ, quam Deus ante Finem vitæ suæ, ut Beatam Elysabeth olim paupertatis palea probaverat, sic illam cœcitate flagellavit: hic Marchio Fridericus, prout supra dictum est, data tota Terra Missnensi & Orientali pro redemptione suorum militum, adeo pauper factus fuit ut tribus Equis contentus agnatorum Hospitio & Solatio frueretur; Tandem omnipotens Deus Fidelissimum suum Principem contra inimicos suos sublimavit: nam Rex Adolfus de Nassaw Commisit Terram Missnensem & Orientalem Patruo suo & abiit in partes Reni: videns autem Fridericus Marchio quod Rex nihil sibi de hoc suo Patrimonio restitueret, cum tamen plurima sibi promisisset, associatis sibi sociis nocte quadam Castrum firmissimum

mum Rochelitz cepit, dein quadam die dum Comes de Nassow, de Dobolin Mossatz equitare cum suis vellet, Marchio Fridericus cum Fratre suo Tyzmanno Marchione Lusatiæ, positis Latenter insidiis eum cum XX. militaribus captivaverunt, & in Castro Rochelitz detinuerunt, cogentes illum restituere Castrum Lichtenwald, & Civitates Debelin, Giran, & Bornis, quibus rehabitis Comitem nihilominus in vinculis detinuerunt, eventum rei exspectantes.

Interea Rex Adolfus de Nassow interfectus est, & in ejus Locum Electus Albertus Dux Austriæ, ad quem Fridericus Marchio accedens, ille sibi omnia restituere promisit, sed tandem promissum non tenuit, & Marchiam Missnensem Patruo suo Beneficio Imperiali concessit: audiens autem in vinculis Comes de Nassow, Adolfum Regem interfectum, clam in partes suas aufugit, quo facto Civitates Lipitzik, Fryberg, & tota Terra Missnensis & Orientalis ad Fridericum Marchionem rediit, quam etiam mox contra Albertum Regem defendit, & sibi vindicavit.

Post hæc mortuo Patre suo Alberto Turingiæ Landgravio in Civitate Erfordiensi, & in Monasterio B. Virginis Sepulto, mortuo similiter Fratre suo Tyzmanno, apud prædicatores in Lipizik Sepulto, ut supra scriptum est, Fridericus Illustris Princeps omnia solus potenter obtinuit & æmulos suos prosequi cœpit, notanter Erfordienses quia Pater ipsius Albertus, multa Jura, Jurisdictiones & Telonia contra Filiorum suorum voluntatem ipsis donaverat seu obligaverat, quæ cum Fridericus ab eisdem repeteret, nec obtinere posset, in eos arma movit: quapropter Erfordienses de pecunia sua confisi Comitem de Orlamunde & Wymar Hermannum, sibi in auxilium conduxerunt, qua de causa Landgravius Castrum suum optimum Orlamunde cum aliis obsedit, cepit, & Turingiæ adjunxit usque in hodiernum diem, dein Erfordienses etiam obsedit & Terras eorum devastando eosdem in tantum compulit, ut omnia & universa, quæ Albertus Pater ipsius injuste in Odium Filiorum eis dederat vel vendiderat, restituerent pro Decem millibus marcarum argenti.

Sopita discordia cum Erfordiensibus cœpit Fridericus pro Marchia Lusatiæ cum Waldemaro Marchione Brandenburgensi contendere, & plurima placita desuper habere, sed Waldemarus de potentia sua confisus, & maxime quia post obitum Tyzmanni Lusatiam jam occupaverat, Friderico fortissime restitit, sic quod Guerra exorta est maxima: quadam igitur nocte Satellites Waldemari per murum Civitatis Hayn trans albim intrantes clandestinè, Vigiles & Cives Captivarunt, quod ubi Friderico renunciatum est, statim Equum suum insiliens accurrit cum suis: verum accidit proh dolor! quod Inclytus Princeps in manus Inimicorum incidit, sicque Captivus ad Waldemarum abductus fuit, tandem ut se redimeret, præter XXX. millia marcarum argenti, coactus fuit renuntiare pro se & suis Hæredibus omni Juri & actioni sibi competenti in Marchia Lusatiæ, & in Castris Landisberg Chirsperg & Nuemborg quæ Pater suus dicto Waldemaro obligaverat, præterea Compulsus fuit tradere in pignus patruo Waldemari Castrum Missnense & Civitatem Frybergensem, ac insuper dilectam unicam Filiam suam promittere in Matrimonium Comiti de Anhalt, de quo plus doluit quam de omnibus aliis persolvendis: potitus Libertate Patruum Waldemari persequi cœpit, cumque de tota Terra Missnensi potenter effugavit: Tandem Senio & Labore fractus unico Filio suo Friderico ex secunda uxore Elisabetha suscepto, Mechtildam Filiam Ludowici Imperatoris in Matrimonium sociavit, cui Gubernacula & Principatum Turingiæ, Missniæ & Orientalis Regionis cum Terra Plissnensi committens, obdormivit in Domino, in Isenaco apud S. Katharinam, ut dicitur, Sepulto.

Fridericus præcedentis Friderici Filius Turingiæ Landgravius, ex Mechtilde conjuge genuit quinque Filios quorum primus mortuus fuit in pueritia, secundus Filius Fridericus, Pater Principum nostrum Friderici & Wilhelmi, natus fuit Anno Domini CCCCXXXII. in die Burchardi Confessoris; Tertius Balthasar natus fuit Anno Domini CCCCXXXVI. in die Thomæ Apostoli; Quartus Filius Ludovicus, Natus Anno CCCCXL in Crastino Mathiæ Apostoli; Quintus Wilhelmus, Natus fuit Anno CCCCXLIII. in Vigilia S. Thomæ Apostoli: præterea Duas habuit Filias, una

fuit Abbatissa in Susselitz, altera nupsit inclyto Principi Burggravio Norimbergensi de qua genuit Burggravios hodiernos.

Hic Fridericus Inclytus Princeps, alienata per Albertum Turingiæ Lantgravium Avum suum, quæ Pater ejus nondum recuperaverat, strenue cœpit revendicare, atque pacis Zelator prudentissimus, potentia sua omnibus vicinis suis fuit formidabilis, nam Castrum Eccardisperg & Raptores ex eo ejecit, Castra Heseler, Wilristete & Rassinberg funditus destruxit, Castrum etiam Dorinborg cum Castello vicino adjacenti super Fluvium Salam magnis Laboribus & Sumptibus expugnavit & cepit quod & Filiis & Nepotibus suis hodierna die reliquit: Castrum etiam firmissimum Friborg cum Opido expugnavit, atque raptores inde ejecit, quod tunc Episcopus Merseburgensis cum aliis Castris in pignore ab Ecclesia Magdeburgensi detinebat: Causam vero Expugnationis dicti Castri Friborg alias Nuemborg ab his qui hoc viderant & præsentes in obsidione fuerant, certa Relatione Audivi Sæpius ita evenisse. Contigit marcatores Polonos & Slesitas cum magnis Mercimonys, & multo Thesauro transire per Terram Missnensem Orientalem, quousque pervenerunt in Civitatem Nuenbergensem ubi tunc pernoctabant, quod cum illis in Castro Friborg, ut puto, Advocato qui fuit unus Ministerialis de Hoyme vel de Schraphilo, & erat cognatus Episcopi Merseburgensis innotuisset, de mane Congregatis raptoribus, dictis mercatoribus trans Salam Fluvium prope Grangium Portensis Monasterii dictum Gernestete insidias ponunt, ipsos deprædantur & captivant, occiso uno prothonotario Regis Polonorum, qui circa Currus equitabat, unde Crux Lapidea cum Inscriptione, in Signum Interfectionis ibidem hodie cernitur.

Verum Princeps Fridericus Lantgravius ex eo quo dicta Rapina facta fuit in Territorio & Dominio suo, & præsertim in suo salvo conductu, prædam una cum Captivis sibi extradi postulavit, alias se Castrum expugnaturum Comminatus est, quod cum renuissent, de Juvamine Archi-Ep. Magdeburgensis plurimum confisi, Inclytus Princeps justo judicio dictos Castrenses diffidavit, Exercituque valido collecto, Castrum obsedit, cepit, Expugnavit, & usque in hodiernum diem pro se & suis Hæredibus obtinuit. Insuper manu valida una cum Archi-Episcopo Moguntino Civitatem Salza obsedit, & gravi incendio molestavit in vindictam illorum Rybaldorum qui nudatis Posterioribus etiam per murum pudibunda sua sibi & suis ostenderant sicque communiter dictam Civitatem Salza & Castrum una cum Archi-Episcopo Moguntino usque ad Finem vitæ suæ obtinuit: tandem Filius suus Balthasar Turingiæ Landgravius cum Archi-Episcopo & Capitulo Moguntino hodierno concambium fecit, sicque totum Dominium Civitatis & Castri Salza ad Principes hodiernos devenit, multa alia Insignia Facta Gloriosus & Inclytus Princeps fecit quæ sunt Nota: Volens autem Magnificare Locum Sepulturæ suæ & suorum progenitorum in Veteri-Cella, Capellam in honorem B. Andreæ Apostoli pulchram & Ornatam funditus de novo erexit, ubi ipse cum uxore sua Cachtilda in Domino quiescit, obiit hæc Anno CCCCXLVI. ille vero Anno CCCCXLVIIII in nocte S. Elisabeth.

Fridericus itaque, Filius Senior prædicti Friderici Lantgravii, Pater Principum nostrorum accepit uxorem Katharinam prudentissimam & Honestissimam Dominam, Filiam Comitis de Henninberg, cum qua Civitatem & Castrum Cuborg in Franconia acquisivit pro se & suis Hæredibus, de qua genuit tres Filios Fridericum & Wilhelmum Principes hodiernos, & Georgium eorum Fratrem jam mortuum. Hic siquidem Inclitus Princeps formosus Corpore, & omni virtute plenus, Gubernacula tanquam Senior in pace, Tranquillitate & rerum Opulentia virtuosissime Regebat, Fratres secum indivise in una Curia cum uxoribus eorum usque ad finem vitæ suæ tenuit, & hoc Signum maximæ ipsius prudentiæ & discretionis fuit cum juxta communem statum hodie uxores Fratrum divisionem inter eosdem causantur.

Hic Inclytus Princeps adeo amabilis Imperatori Karolo IV. Bohemiæ Regi fuit, ut Filiam suam parvulam Friderico ejus Filio tunc adhuc impuberi desponsaverit, pœna apposita pecuniaria si hujusmodi dispositioni contravenirent, datis desuper ab Imperatore & Friderico Marchione Litteris Sigillatis & certis Civitatibus pro pignore in dictis Litteris expressis hinc inde: quarum Litterarum tenores ex post in Consilio Friderici

Marchio-

Marchionis moderni, Ego Johannes Tylich Decretorum Doctor minimus, Præpositus Canonicorum Regularium Monasterii S. Mauritii extra Muros Nuembergenses & in studio Lipsiensi Lector Ordinarius audivi Anno MCCCCXIII. sed mortuo Karolo Imperatore Anno MCCCLXXVIII. & post etiam mortuo Friderico Marchione Patre Friderici præsentis, Wenceslaus Romanorum & Bohemiæ Rex, Sigismundus Hungariæ Rex & Johannes Dux Poloniæ Fratres & Filii Imperatoris Karoli defuncti, Sororem suam Filio Friderici Marchionis desponsatam, Regi Angliæ in Matrimonium dederunt, promissiones & Litteras Imperatoris temere violando, quæ postmodum fuerunt Causa Ruinarum, deprædationum & multorum malorum inter Regem Bohemiæ & Marchionem Missnensem, ut in sequentibus patebit.

Fuit Fridericus Senior Vir proceræ & Elegantis Formæ, pulcher facie, flavo & crispo Crine, oculis claris, affectu mitis, inter Aulicos benignus, in Consilio providus, Inimicis suis & Terræ Raptoribus Severus, pacem ubique Sectando quantum in eo fuit immò quid dicam? ipse fuit tanquam Secundus Sebastianus, universa morum honestate Clarus. Præterea cum jam præfatus Marchio Fratribus suis Balthasari, Ludovico, & Wilhelmo diu uti Senior & Tutor præfuisset, volens eorundem utilitatibus providere, Consilio inito, placuit ex iis Ludovicum jam Halberstadensem Episcopum ad summum Sacerdotii gradum scilicet in Moguntinensis Ecclesiæ Archi-Episcopum promovere, pro qua re missis Legatis & Nuntiis ad sedem Apostolicam, Titulum Moguntinensis Ecclesiæ pro eodem Fratre suo Ludovico obtinuit: sed Capitulum Moguntinensis Ecclesiæ, se huic provisioni Opponens, Electum ab eisdem in sede Moguntina per vim & de facto contra jus & provisionem Romani pontificis obtinebant; quapropter Erfordienses, qui ad Moguntinensem Ecclesiam pertinere dinoscuntur, potentiam Marchionum & diversa damna experti sunt; nam præfati Marchiones Exercitum Copiosum congregantes Civitatem Erfordiensem obsederunt Anno Domini MCCCLXXV. in mense Augusto, in qua quidem obsidione Imperator Karolus IV. una cum Filio suo Wenceslao & Imperatrice una cum aliis multis Principibus & Comitibus affuit, & ut ab his audivi qui intererant; Exercitus erat ad XL. millia virorum Expeditorum, sed res transivit inacta, ita quod Imperator Negotium ob Spiritum compositionis intercepit, & ex post præfatus Ludowicus ad Ecclesiam Magdeburgensem fuit postulatus, in qua paucis annis superfuit nam in Calvis oppido miserabiliter & inopinate interemptus & compressus est: cujus rei exitus sic evenit ut à pluribus tunc præsentibus audivi.

Facta Chorea de nocte in Prætorio, Archi-Episcopus Ludovicus Chorizans lætus una cum Fratre suo Wilhelmo, & aliis multis Comitibus & Militibus, Ministri cum Candelis magnis inferius exspectabant, quibus inebriatis & dissolute viventibus, inconsiderate Scintilla ardens de Candelis ad congestam stuppam & stipulos sub gradibus jacentes casu cecidit, & hujusmodi congesta incendit, unde mox tanta flamma succrevit & erupit, ut Domus Inferior ab his qui superius erant omnino videretur incensa: omnibus igitur ad gradus concurrentibus Archi-Episcopus quasi omnium primus existens, casu cecidit, & à super veniente multitudine oppressus statim ibidem exspiravit. Facta sunt hæc in Carnis privio feria III. Anno Domini MCCCLXXVII. Fridericus vero Magnificus Princeps pedum dolore diu fatigatus, tandem in Aldinborg Castro Anno Domini MCCCLXXIX. moritur & in Cella in Capella S. Andreæ apud Patrem suum Fridericum Fundatorem dictæ Capellæ sepelitur.

Balthasar Frater secundus Domini Friderici Marchionis accepit uxorem Elisabeth Filiam Burggravii Norimbergensis qui postea in divisione obtinuit pro se Turingiam; hic Nobilis & Magnificus Princeps semper pacem ubicumque poterat sectabatur. semper Lætus & Hilaris Choreis Virginum ac mulierum honestarum colloquiis multum delectabatur, multa Castra Turingiæ suæ adjecit, ut sunt Civitas Esschwe, Opidum suntra, Castrum & totus Comitatus Keuernberg postmortem Comitum hujus Nominis quorum ultimus in Mari ad Terram Sanctam transiens diem suum clausit extremum, Item Castrum Schartfenberg prope Ysenach manu armata cepit ab illis militibus qui dicuntur de Locha. Hic Princeps unicum Filium Fridericum Nomine reliquit, qui die hodierna Turingiam possidet, ut infra dicetur: mortua Elisabetha conjuge Anno MCCCC. & in Reinhardis-Born Sepulta, præfatus Balthasar aliam sibi accepit uxo-

 rem,

rem, videlicet viduam & relictam Generosi & Incliti Principis Friderici Ducis Brunfwicenfis nuper in via reverfionis ab Electione Regis Romanorum Ruperti in Francfordia facta, quæ fuit & eft foror Ducis Rudolfi Saxoniæ de qua multam fufcepit prolem, fed paucis annis poft diem claufit extremum in Caftro Wartberg Anno MCCCCIII. in Reinhartsborn apud uxorem Sepultus.

Wilhelmus Illuftriffimus Princeps, Frater Junior Friderici & Balthafatis accepit uxorem Dominam Nobiliffimam Elifabeth Filiam Marchionis Moraviæ, qui erat Frater Imperatoris Karoli IV. Imp. Soror Procopii & Jodoci Marchionum Moraviæ & Brandenburgenfis, cujus potentiam, Induftriam, divitias, Magnificentias plus oculis noftris perfpeximus quam ftilo pofteris relinquemus. Hic fiquidem Illuftris Princeps poft mortem Fratris Senioris Friderici, de quo fupra dixi, divifionem cum Fratre Balthafare & patruis fuis facta, quia terras fuas in tres partes diviferant, pars Turingiæ quæ incipit à Sala Fluvio, forte venit Balthafari, Terra & Marchia Miffnenfis forte venit Wilhelmo, quæ incepit tunc à Caftro Nuwenhofe prope Lupitz & terminabatur usque Königsburge feu ultra Civitatem Haynis trans Albiam, habens in parte fua Caftrum Deliz cum pertinentiis, Opidum Heynfchin, Dybin, Torgow, Offatz, Haynis, Miffin, Drefeden, Fryberg (eo falvo quod Fodina argenti & moneta effet omnium Marchionum) haber & Caftrum munitiffimum Schellmberg, Tharand, Civitatem Kempniz, Zwikow, Liffenig, Mittweyde, Rocheliz, Dobelin; Sed & poft Dominium fuum per multa Caftra adauxit, nam Caftrum & Comitatum Donyn multis Expenfis & Laboribus expugnavit, illud enim amplius quam biennio Obfedit; cujus Obfidionis Caufa hæc fuit, nam Comites de Donyn Currus mercatorum de Polonia in Territorio Domini Wilhelmi Spoliatant in fuo Conductu, eo tunc abfente, quia fuit in Electione Regis Romanorum Ruperti, de quo fupra dixi, Domina autem Elyfabeth ejus uxor poftulans reftitui rapta, ipfi contradixerunt, quare Marchio eosdem exterminare, & oppugnare Caftrum Donyn fuit compulfus, captum eft autem Caftrum Anno MCCCCII. maxime fuffragantibus Wilhelmo & Friderico patruis fuis, & tunc quidam Lipfienfis focius dictus Druckfchuch primus fuit, qui Caftrum Donyn ingreffus fuit, deinde aliud Caftrum firmiffimum Konigftein in quod Principalis de Donyn tanquam in præfidium Tutiffimum cum uxore & Liberis confugerat, obfedit, fed victualibus deficientibus, coacti funt Caftrum in deditionem Marchioni tradere.

Poft hæc Caftrum firmiffimum Refinborg in Finibus Bohemiæ maxima pecuniarum fumma emit à Nobilibus de Refinborg & fuo Dominio adjecit; poft hæc Civitatem Pirna cum Caftro expugnavit & obtinuit, Caftrum & Comitatum de Yleborg cum pertinentiis emit à Comitibus de Yleborg item Caftrum Colditz à Baronibus de Colditz emit cum pertinentiis, Caftrum & Civitatem Molberg circa Albiam obtinuit & Dominio fuo adjecit, deinplura alia Caftra vetuftate confumpta aut diruta funditus reædificavit præferrim Caftrum Miffnenfe, Caftrum Drefeden, Caftrum Zwickow; multa alia præclare facta hic inferibi poffent nam Anno MCCCXCVIII. Erfordiam obfedit, & per XIIII. dies Terram & Villas circum devaftando continuavit, tandem pax inter eum & Erfordienfes reformata fuit in hunc modum, quod hi Domino Wilhelmo Marchioni fuis expenfis & fumptibus Centum armatos cum Lanceis dare deberent per Loca fecum ubi placeret, quod & fecerunt, nam Rege Wencislao Bohemiæ à Romano Imperio per Bonifacium Papam IX. & per Principes Alamanniæ propter fuam Vefaniam & inutilitatem depofito, iterum pro Nova Electione vocati funt Francofordiam Principes Alamanniæ, inter quos & Wilhelmus Marchio extitit, & fic pro Itinere & fua Magnificentia Centum Lanceatos ab Erfordienfibus verfus Francofordiam habuit, in qua Electus fuit Rupertus Dux Bavariæ & Comes Palatinus Reni de Heydilberga homo juftus, pacificus, & morum honeftate famofus, Anno MCCCC. infra dies afcenfionis Domini: habebat præfatus Rupertus Rex, in uxorem Filiam Burggravii Normbergenfis quæ erat Filia fororis Marchionis Wilhelmi & fuorum Fratrum, ideo propter affinitatem fe confœderavit cum novo Rege & condixit fecum intrare Bohemiam, ad Expugnandum Wenceslaum.

Anno

ANNO MCCCCXII. in Principio Quadragesimæ mortuus fuit præfatus Wilhelmus Marchio, & in Ecclesia Missnensi circa summum Altare, juxta uxorem suam Sepulturæ traditus est, & quia ex eo uxores Legitimæ prolem non habuerant, totum suum Dominium ad Fridericum & Wilhelmum Filios Fratris sui Senioris Friderici & ad Fridericum Juniorem, nunc Turingiæ Landgravium similiter Filium Fratris sui Balthasaris, devolutum fuit.

Fridericus Senior & primogenitus Filius Friderici, Anno MCCCCII. in Carnis privio duxit in uxorem Nobilissimam Dominam nostram Katherinam Filiam Henrici Ducis Brunswicensis & Luneburgensis Fratris Friderici occisi de quo supra. Hic quidem Fridericus Marchio Missnensis & Turingiæ Landgravius post mortem Fratris sui Georgii qui in Juventute absque uxore & Liberis mortuus fuit Anno MCCCCI. & in Monasterio Portensi Sepultus, Feria quarta post Luciæ, ubi tunc præsens in Exequiis fui, ubi & interfuit Balthasar & Wilhelmus Patrui & Domini Fridericus & Wilhelmus Marchiones Fratres ipsius cum multis Comitibus & Baronibus: Tandem post mortem Balthasaris & Wilhelmi Marchionum, placuit Domino Friderico & Wilhelmo Fratribus se cum suis Curiis dividere, Terra vero nihilominus indivisa, sicque Fridericus obtinuit Terram Missnensem una cum Civitate Lipsick, Terram vero Plissnensem & Orientalem Marchio Wilhelmus obtinuit, Patruus vero eorum Fridericus obtinuit Turingiam.

ANNO DOMINI MCCCCIX. circa Festum Petri & Pauli Bulla confirmationis studii Generalis, solempni processione introducta fuit in Civitate Lipsiensi, & Fridericus Princeps II. prebendas & Canonicatus in Ecclesia Missnensi II. in Ecclesia Merseburgensi & II. in Ecclesiis Nuemburgensi & Cizensi, pro Doctoribus & Magistris ejusdem studii à sede Apostolica Impetravit: Notandum est autem quod ambo Fratres Germani Fridericus & Wilhelmus jam Anno CCCXCIII. in Festo B. Catharinæ in maximis Frigoribus expugnaverunt Castrum Luchtemberg, quod erat Henrici militis de Wizileibin, & hodie pignore tenent & possident una cum pertinentiis Opido Rode & Opido Cal. post hoc Anno MCCCXCVII. Expugnaverunt Castrum Balgnistete prope Friborg & funditus destruxerunt prout hodie ruinæ cernuntur; post hoc Anno sequenti graves habuerunt Lites cum Episcopo Herbipolensi Gerhardo de Swartzborg, qui qualis fuit Principum illorum potentia expertus fuit, cum suo & Capituli sui Damno. Item Anno MCCCXC. emerunt Principes prædicti Opidum Salevelt à Comitibus de Swartzborg pro magna summa pecuniarum. Item eodem tempore emerunt à Ducibus Stetinensium Castrum Konigsberg in Franconia; post hæc emerunt Castra & Castella Smöllin, Roneberg, Wetda cum pertinentiis ab Episcopo & Capitulo Nuenbergensi de cujus Feudo erant.

Post divisionem autem eum Fratre factam Dominus Fridericus emit medietatem Castri Missin à Patruo suo Friderico Turingiæ Lantgravio, ad quem medietas Castri hujus pertinebat ex divisione Principatus Domini Wilhelmi Senioris eorum patrui, & illam emit pro XVII. milibus Florenorum. Item eodem tempore redemit Castra & Opida videlicet Ossatz, Dobelin, Lissenick, & Yleborg uxori Domini Wilhelmi in dotem assignata quando transivit ad secundas Nuptias cum Comite de Henninberg, pro summa XII. millium Florenorum. Item sciendum quod post confirmationem studii Lipziensis DEUS Optimus ex alto Misericorditer præfatum Fridericum Misericorditer respiciens, eidem Donum Prolis & Filiorum gratiose concessit, nam postquam habuit uxorem suam Dominam Catharinam per X. Annos, Tandem Anno Domini MCCCCXII. in Octava assumptionis B. Virginis, natus fuit sibi Filius Fridericus Nomine, de cujus Nativitate gaudium magnum fuit, Baptizatus est in Lipzick ubi & Natus exstitit, & eum de sacro fonte leuabant Gerhardus Episcopus Nuembergensis, Nicolaus Episcopus Merseburgensis, & Comes de Bichelinge post hæc addidit DEUS alterum Filium videlicet Dominum Sigismundum, qui natus fuit Anno Domini MCCCCXVII. in die Julianæ Virginis in mense Februarii. Post hæc Anno Domini MCCCCXX. ipso die Bonifacii Episcopi & Sociorum ejus, qui tunc erat in Vigilia Corporis Christi, Nata fuit Domina Anna Filia ipsius. Item sciendum est quod Anno Domini

mini MCCCCXIIII. fuit indictum Concilium generale in Civitate Constantiæ, quo congregato, omnes Reges & Principes Archi-Episcopi, Episcopi, totius Christianitatis ex omni parte mundi aut eorum Nuntii Speciales adfuerunt, adfuit & Illustrissimus Princeps noster Marchio Fridericus cum tam Sollemni apparatu, quod sibi similis in divitiis, potentia, Honoribus nunquam aliquis Principum intervenit, ejus Introitus Constantiam fuit Fetia tertia pascæ Anno MCCCCXVII. hoc Ordine: primo antecedebant Senatores cum Falconibus & Accipitris: post hæc Clenodia Principis in Caballo Torneatico tecto panno Optimo, deinde Juvenes Scutiferi & in medio Comitatus Princeps solus, quem sequebantur XVIII. Comites, Vasalli sui Barones & Nobiles ad Numerum Quadringenti, armis pulcherrimis, magnisque Baltheis argenteis cum campanellis, & ibant Ordinate bini & bini nullo extraneo intermedio: commoratus fuit ibidem Fridericus Marchio per VI. Septimanas ac dein ad suos Sanus & incolumis reversus est.

XII.

ANONYMI SERIES CHRONOLOGICA EPISCOPORUM VIRDUNENSIUM.

Primorum Virdunensium Episcoporum Res Gestæ Injuria Temporum Scriptorumque penuria obscuræ remanserunt, quapropter à S. Sanctino Nos illorum Seriem Ordimur.

I. S. Sanctinus. Teste Martirologio Romano ad diem X. Kal. Octob. primus Meldensium Episcopus à B. Dionisio Areopagita consecratus est; cum Usuardi Martirologium à Molano restitutum ad diem V. Idus Octobris etiam Virdunensium Episcopum appellat, cui sententiæ suffragatur Bertharius, qui ante Annos DCC. Virdunensis Historiæ Epitomen Scripsit: Quo autem tempore cœperit Virduni sedere idem Sanctinus non una est omnium sententia, eam amplectimur, quæ id accidisse Anno Christi CXX. Satis manifestè probat. perstitit autem apud suos Virdunenses Sanctus Episcopus donec increbrescente propter Præfectorum Violentiam Persecutionis procella (quartam Severus lib. II. sub Hadriano Numerat) Meldam revisere coactus est, quapropter Ordinatis priùs Virduni presbiteris aliquot, quibus Novellam plantationem commendans, Maurum designavit muneris sui Pontificii Successorem. Obiit autem Vir Sanctus, postquam Carceres, Famem, Nuditatem & alia id genus multa pro Fide perpessus fuerat, Anno Christi CXXVII. Sedis suæ Virdunensis Octavo;

Ejus Sacrata Ossa Virduni asservata esse Fidem faciunt quot quot viderunt S. Vitoni Sacrarium, opemque quotquot Cœlestem sunt Experti, ad S. Pontificis Invocationem Sacrique Loculi Venerationem: Quonàm vero tempore quoquè modo facta sit harum Relliquarum Meldis Virdunum Translatio, haud ita facile est definire; Appendix enim Berthatii Rem tegit Silentio, & apud Laurentium Leodiensem nihil reperire est: cum vero Codices Vitonini & Paulini asserant prædivites quosdam Mercatores Virdunenses easdem coëmisse ab æditno Meldensi, & tribus aliis in id simul coëuntibus Clericis (quotum Fidei commissa fuerant cum Archivo Ecclesiæ, optima quæquæ & prætiosissima Divorum Monimenta) eo tempore quo Annonæ Caritas Galliam universam, Germaniam etiam, & angliam communi involvebat Exitio; jam autem juxta Sigeberti Chronicon dira ipsa Fames grassari cœperit Anno Christi CXLIII. incievit Anno sequenti juxta Hermannum Contractum, nec penitus resedit ante Annum CL. ut observavit Belloreft. III. annal. cap. 17. dicendum est B. Sanctini Ossa Meldis Virdunum translata

lata fuisse Anno MXLVI. aut circiter, idque ante conflagrationem Urbis Virdunensis à Godofrido Barbato III. Lotharingiæ Duce, quæ contigit initio Pontificatus Theodorici circa Finem Anni MXLVIII. Teste Laurentio Leodiensi aut certe Anno MXLVII. juxta Sigiberti Chronicon, aliàs quînam, obsecro, Mercatores Virduni post eam urbis Cladem reperiri potuissent, tot Opibus abundantes? ut tam pretiosas Merces compararent, si nulli erant (ut est apud Laurent. Leodiensem) qui Mariano Templo restaurando teruncium Ramentumve plumbeum impertirent: contigit autem hæc Translatio, Anno ad Finem suum vergente, scilicet V. idus Octobris, qui dies B. Sanctino Natalis, annua Festivitate Virdunensibus memorabilis recurrit; Sæpius enim usuvenit dies Sanctorum Natalitios peragi in Ecclesia DEI, non ipso dormitionis die sed translationis eorum; ut in S. Johanne Chrysostomo fieri videmus; hunc Obdormivisse ipso die Exaltationis S. Crucis scilicet XIV. Septemb. scribunt Cassiodorus, Nicephorus & alii, immò Martirologium Romanum, ejus tamen diem Natalem XXVII. Januarii, quo Corpus ejus Cumanis Constantinopolim translatum est, solemni Ritu celebrari comperimus.

Erectum aliquando Meldis Cœnobium existebat in honorem S. Sanctini, in quo ejus Sacratissimum Corpus depositum primitus servabatur, quod dein post incursionem Normannorum, translatum fuit in Ædem primariam S. Stephani ibidem, ac dein Virdunum, ut supra ostendimus. Cœterum insignis est, in actis Sanctini, suscitatio S. Antonini facta in Itinere Romano, in cujus Facti Fidem ac memoriam Fama constans est superesse adhuc hodie Altare erectum sub Invocatione S. Antonini in Pago qui *Pons Sanctini* idcirco nuncupatur in agro Bononiensi, haud procul Mutina.

II. S. Maurus Anachoreta in Cryptis & Saltibus ob persecutionem Latitans, cum aliquot jam menses Orba pastore suo Langueret Virdunensis Ecclesia, juxta B. Sanctini Mandatum, requiritur, & in vacantem sedem collocatur: Hic alterum Oratorium divo Johanni Baptistæ sacravit, ubi nunc Ecclesia surgit quæ ab ejus Nomine S. Mauri Abbatia nuncupatur, de qua pluribus posteà, nam primam Aram Virduni Sanctinus DEO Erexerat eo Loci, ubi S. Vitoni Cœnobium in præsentiarum cernitur; præfuit autem Ecclesiæ Virdunensi ad Finem usque Anni CL. nam obiisse VI. idus Novembris asserunt Martyrologium Romanum, & illud Usuardi, licet Virdunensibus Natalis ejus dies IV. idus ejusdem mensis Festivus sit, quoniam eo die Sancti Præsulis Corpus Divinitus Ostensum cœpit publicis Honoribus coli & venerari: voluit autem humari Beatus Præsul in Oratorio Divi Johannis à se erecto, quod Normannorum Incursione Solo æquatum Hatto adscitus in Episcopatum Anno DCCCXLVII. sedis suæ Virdunensis Anno X. erexit, fecitque Splendidius, quin etiam ob pium, quo in Sanctum Maurum ferebatur Amoris & Devotionis affectum, eandem divo Johanni Sacram ædem, mutato Titulo in Beati Mauri honorem consecravit; eam Centum & amplius post Annos Haymo Virdunensis Item Episcopus, Munificentia Henrici II. Imp. adjutus, celebri Sanctimonialium sub S. Benedicti Regula, Cœnobio Insignivit, statque in hunc diem.

Vacat sedes Virdunensis Annos IIII. & menses aliquot.

III. S. Salvinus verbum DEI annunciare cœpit Virdunensibus, eo tempore, quo Antoninus Pius Imperator motus clade Romana, & Portentis, quæ in toto Imperio Romano visa fuerant, Furorem Sævientium Gentilium in Christianos sedare compulsus est. Hæc autem Anno XIV. Antonini Pii, Christi verò CLIV. facta fuisse memorant Justinus, in fine Orat. ad Antonin. & Eusebium lib. IV. historiar. cap. XII. statuendus ergo adventus Salvini in urbem Anno CLIV. Posteaquam vero ipse concionibus, piisque de Christo colloquiis rudem adhuc populum, multumque paventem confirmasset, tandem Anno CLV. invitus à Fidelibus ad Pontificiam Cathedram pertrahitur; Antecessoris sui vestigiis insistens plurimis fidem Christianam amplexantibus, excessit è vivis Anno Christi CLXXXX. in Oratorio Divi Johannis cum S. Mauro tumulatus, Emersit in tantam Sanctitatis Famam, ut partus abortivi ante Sancta illius ossa expositi, mulieresque prægnantes vitam & Sanitatem recipiant, ejus Cineres à S. Agerico Divina inspiratione inventi, multis miraculo fuêre. Sed de his in Agerico.

IV. S. ARATOR Vir admodum gravis, Eloquens, ac impense Græcis & Latinis Litteris eruditus, post Præceptoris sui Apollonii Senatoris Romani mortem, Galliam petiit, Evangelicamque veritatem multos docuit, veniensque Virdunum communibus omnium votis Pontifex creatur. Sic M. S. S. codices D. Bruni. Eusebius autem in Chronico Apollonium Senatorem, lecto Senatui insigni volumine, quod de Christi Fide composuerat, Capite ob Christi Fidem mulctatum esse prodit Octavo Anno Commodi Imperatoris, Christi CLXXXX. Non potuit ergo Virduni sedisse S. Arator An. CLXXXIX. ut asserit Wasseburgus, sed tantum Anno CLXXXXI. In Pontificio Munere plures molestias pro Christi nomine perpessus, Miraculis clarus decubuit Anno CCXXII. humatus cum SS. Mauro & Salvino in Oratorio D. Johannis Baptistæ, ac cum iisdem S. Agerico Demonstratus, Signa Felicitatis suæ edidit non obscura.

Ab hoc Pontifice ad Sanctum Pulchronium nullum tabellæ Virdunenses agnoscunt intermedium Præsulem, neque Bertharius ipse: unde sedem Virdunensem plusquam CC. Annos vacasse oportuit, ob continuas fere Ecclesiæ persecutiones & bellicos tumultus. Non caruit interim viris piis Ecclesia ipsa, qui clam Fideles docerent, monitisque salutaribus foverent.

V. S. PULCHRONIUS, qui & POLYCHRONIUS, Natione Belga, claris parentibus ortus, in ipsa Pueritiâ orbatus utroque Parente, complurium possessionum Hæres Scriptus est, Tullòque apud S. Lupum educatus; Ea jam tum erat morum moderatione, & vitæ Sanctitate conspicuus, ut ad eum à malo vexati spiritu adducti, confestim sanarentur, & ad solum ejus conspectum liberarentur; Hæc Vitonini Codices & Bertharius cap. II.

In eâdem Palæstra tum cum Polychronio nostro exercebantur S. Severus Treverensis, & S. Albinus Catalaunensis. Sic namque acta S. Lupi apud Sur. rom. IV. die XXIX. Julii: Multos habuit vir Beatissimus (Lupus) præclarâ virtute discipulos, insigni Miraculorum gloria Illustres. In S. Polychronio Virdunensis Ecclesiæ Episcopo gratia curationum prætulsit: ita ut religatis post tergum manibus, Dæmonibus imperaret, priusque sensum reciperent obsessi, quam corporum suorum collisionem. S. Severum Treverensis Ecclesiæ ordinatum Episcopum primæ Germaniæ gentibus prædicantem non ambigimus inter Apostolos suum habere consortium: Sanctum quoque Albinum Catalaunensem Antistitem diuturnæ Sanctitatis prærogativa eminentem non debemus taciti omittere; quoniam ille crebro permultis in locis dæmones ab hominibus profligârit. Eadem habet Baron. tom. VI. annal. pag. 246. Tullo autem digressus Pulchronius anno Redemptionis nostræ CCCCXXVII. Treeas B. Lupum secutus, venit, ibique annum & menses aliquot moratus, donec adversus Pelagianam perfidiam primæ Gallorum Sacerdotum Britannicæ Profectionis tempus appetiisset, quod Anno II. Pontificatus Lupi contigisse Acta ejusdem testantur, Id est Christi CCCCXXIX. juxta Prosperi Chronicon & Baron. tom. V. pag. 519. qua in Expeditione propinquos suos Germanum Altissidorum & Lupum Trecassium comitatus, tunc primum se murum pro Domo DEI exhibuit, vitam actusque suos omnes ad horum SS. Patrum normam conformans, sopito Pelagianorum incendio, cum B. Lupo Trecas revertit, in dies Sanctæ præbens Eruditionis & novæ Probitatis argumenta.

Commoti autem finitimi populi fama Miraculorum S. Lupi, & discipulorum ejus virtutibus Longius Sese pandentibus certatim ad eum veniebant, Pastorem sibi eorum aliquem postulantes, sic Treverenses Severum, Catalaunenses Albinum, & Pulchronium Virdunenses sunt consecuti. Quia vero II. muneris Pontificii anno Romam profectum Pulchronium, indeque ab summo Pontifice Chalcedonem reversum ad Generalem Synodum tabulæ Vitoninæ produnt, actaque ipsius apud Wasseb. Imo ut hodie in Mariano templo Virdunensi Ex spurio Alabastrite Tabella Virginis opere sculptorio cælata, ut in hujus rei fidem columnata magna cum civium Devotione visitur: Aliunde constat assertione Baronii tom. VI. annal. concilium œcumenense Chalcedoniæ Anno Christi CCCCLI. fuisse celebratum. Dicendum ergo Virdunensibus præesse cæpisse Pulchronium Anno Christi CCCCL.

Damna-

Damnatis in Concilio Chalcedonensi erroribus Eutycheris, Dioscori, & Alexandri, sedem suam repetit Pulchronius, Episcopalemque Cathedram, quæ in æde suburbana Petri & Pauli erat, Virdunum transtulit, Divæque Mariæ Virgini templum erexit, Paternisque donis dotavit, Ministris ibidem Canonicis constitutis. Optimis legibus & institutis Virdunensem Ecclesiam administravit ad annum Christi CCCCLXX. in omni Sanctitate. Mortuus est XIII. Kalendas Martii, quo die celebratur & alterius Pulchronii Martyris natalis dies Ex Romano Martyrologio Bed. Usuardo, in æde Sacra BB. Petri & Pauli tumulatur, & Sanctorum Caralogo ascriptus An. Christi DCCCLVI. ab Hattone Episcopo unà cum S. Possessore in arca argento elaborata reponitur.

Hæc autem mortem Pulchronii sunt secuta Miracula; Nobilis quædam Fœmina continuo morbo in dies tabescens, inde etiam sterilis, & infæcunda, voto nuncupato, per intercessionem S. Pulchronii & morbo liberata est, & numerosa Prole donata. Item Juvenis Lumine cassus (cujus Lævus exoculatus casu fuerat oculus, dexter vero laborabat Ophtalmia maximè) ad S. Pulchronii Corpus deducitur, Oculus sinister sedi propriæ restituitur, altero item curatus morbo, Juvenis Lætus ad sua remeat. Eodem penè tempore Energumenus quidam Feretrum S. Pulchronii deosculari coactus, extemplo liberatur. En habemus alterum hîc Helysæum, qui vivens mortuos suscitat, cujus Corpus post mortem mortuos adhuc suscitat. Polychronius in vivis, Dæmonibus imperat, Idemque mortuus Dæmonibus imperat: ad hæc Anus arida manu, brachióque contracto, mortem tamquam miseriæ suæ Finem expectabat, ad contactum S. Corporis repentè extensi nervi, manus succi plena, planéque sana videntibus omnibus, Factumque admirantibus comparuit; non semel inundantes imbres compressi sunt ad S. Pulchronii Corporis in solemni Supplicatione delationem. Hæc, quos alias citavi, vitonius, Agericianique M. S. S. Codices habent.

VI. S. Possessor eo ipso anno quo mortuus est Pulchronius Tiarâ Pontificiâ decoratus Cleri totiusque populi consensu. Hic namque patria Virdunensis aliquando Matrimonii legibus devinctus fuerat, quibus morte uxoris expeditus; Studiosus virtutum Pulchronii cœpit esse imitator, â quo & in Clerum est Cooptatus: Propriis ipse Bonis Ecclesiam Virdunensem maximè auxit; Doctrina & Sanctitate Clarus munus obivit Pontificium ad annum CCCCLXXXVIII. extremam præcognoscens Deo revelante aliquor ante menses obitus horam sui, quod de S. Pontio in actu S. Cypriani habetur, Clericos ad se suos convocat, brevi futuram depositionem Tabernaculi sui prædicit, omnes ad patientiam, ad Fidem semper servandam hortatur, dúmque de Deo loqueretur in ipso Sermonis Opere Animam suo reddidit Salvatori III. non Decemb. Sic Uiton; Agericinæque tabulæ, Paulinus & ipse Chronologus. Sepultus est in SS. Petri & Pauli cum Polychronio & CCCC. ferè post annis Hattonis tempore, ut diximus, in thecâ egregia repositus, ossium incorruptione suorum, atque virtutum mirabili operatione beatitatem suam patefecit.

VII. S. Firminus Tullo oriundus atque ex familia nobili procreatus, Pulchronio Sanguinis propinquitate conjunctus, vir Doctrina & morum integritate Spectabilis, â populo Virdunensi postulatus, Suadente S. Cyrillo Trevirensi (qui S. Severo Suffectus fuerat) Ecclesiam Virdunensem Regendam suscepit, quo tempore Syagrium Romanorum Ducem Suessione debellavit Clodovæus. Ita M. S. Codex. Contigit autem istud Sigeberto teste in Chron. Anno Christi CCCCLXXXIX. Quare non multos menses vacasse sedem Virdunensem post mortem Possessoris evidenter inde habemus. Firminus in Episcopali munere majorum suorum vestigiis institit, Prophetiæ Dono Sanctisque operibus clarus, tandem, dum civitas ipsa Virdunensis armis Clodovæi Regis victoria Alemannicâ Elati velut Sagena circumvallata, Dum pulsu Tympanotum oppidum circum Sonaret, Dum multus ubique pavor, & plurima mortis imago, suis benè precatus, omnibusque brevi futuræ Regis conversionis denunciatione recreatis, Spiritum Deo reddidit, in æde Apostolorum Petri & Pauli funeratus III. non Decemb. Bertharius cap. IV. historiar. Quo die natalitius dies Firmini, ut & Possessoris in Ecclesiâ Virdunensi celebratur: Astipulatur his Codex M. S. D. Bruni. Obiit S. Firminus Anno II. Pontificatus. Nam Sigebertus in Chronico & Belforest cap. 8. L. I. Annalium Scribunt victos

A 2 â Clodo-

à Clodovæo Alemannos Anno Christi CCCCLXXXXIX.statímque Idolorum Cultum Regem abjecisse.

Corpus S. Firmini postea circa Annum Christi DCCCCLIII. piæ cuidam fœminæ Eugeniæ Divinitus ostensum (Annam alteram crederem Evangelicam, quæ non recedebat de templo) atque à Berengario tum Virdunensi Episcopo in Loculo quodam perhonesto reconditum, cœpit omnibus esse venerationi, ob innumera tunc præsertim patrata per ejus intercessionem Prodigia. Bertharius testis est, oculatus opinor (nam ad Berengarii tempora superfuit) horum omnium cap. XXIII. historiar. Notæ Brunanæ confirmant, nec refragatur Wasseburg.

Jam Berengarius Anno Christi DCCCCLII. juxta Paulini Chronolog. & M. S. Codicem Viton. Vita minus honesta Vitoninorum Clericorum Sæcularium nimis offensus, ædem in Apostolorum Petri & Pauli honorem aliquando erectam, Cœnobiticis Clericis sub Benedicti vexillo militantibus, exturbatis aliis, dederat possidendam, Præficiens eis in Abbatem & Spiritualem Patrem religiosissimum virum juxtáque prudentem Humbertum, in Aprina Tullensi religiosa Domo piè Sanctèque anteà educatum: Erant & Flaviniaci (pagus est diœcesis Tullensis) vulgò Flavignii, non ita remotus âb Aula Nanceiana) Cœnobitæ alii, eandem, quam vironini, vitæ normam Servantes, Humberti, Successorumque Abbatum Vitoninorum curæ crediti, & ad hunc diem Flaviniacensem Priorarum semper Vitoninæ Virdunensis Domum Membrum fuisse in confesso est apud omnes: ut ergo ædem Flaviniacensem bonus Pater Humbertus redderet Illustriorem, circumstantesque populos ad pietatem excitaret magis; Eo Sancti Firmini Corpus transferri Berengarium Præsulem suum exoravit: Hæc citati Paulò ante Authores scribunt; Duo vero in eâ translatione facta sunt, plane stupenda & admirabilia saltem præcipua, quæ nullo possum prætermittere modo.

Diu multúmque conquisieram totius hujus Negocii descriptam notatámque seriem, pervenit tandem in manus meas perantiquus Codex Vitoninus, caracteribus vetustissimis exaratus, totum Iter relegens Translationis, & Singulatim in quoquo loco miracula patrata referens, Quo percurso, sum oppidò exhilaratus. Non enim potui non mirari Divinam Bonitatem, quæ gloriosa semper est in Sanctis suis. Anonymus quidem author sed quem facile prodit ipse Caracter & loquendi modus nempe virum VII. ab Humberto nostro Cœnobii Vitonini Abbatem Richardum; Eodem enim plano stylo, & Lima similia alia ejusdem Sancti Viri Scripta sunt efformata: Neque certe multo post ipse vitam ibidem professus est, monasticam, si Sigeberti Chron. MXXVII. Berthar. cap. XXVIII. & XXX. histori & Paulini Chronolog. consulimus. Totum III. libris complectitur historicis, primo quidem ipsam S. Firmini Flaviniacum transportati descriptionem; Duobus cæteris mira ibidem ad ejus invocationem Domino operante facta, Compendio usus scribam præcipua, & majori commendatione digna, Clarebit posthàc (det Deus) magis ac magis hujus historiæ narratione Pontificis Firmini virtus & Sanctitas, quæ pene Virdunensibus est hodie incognita, & obscura, Rem totam viris Eruditis ac piis patefeci, qui non parvo perfusi gaudio vulgari ipsam & in lucem edi summis precibus contendunt; Nihil equidem (ut liberè dicam, quod sentio) tam simile magnorum illorum Divorum Babylæ, Chrysostomi, Nicolai Myrensis, imò & Apostolorum historiis translationibusque me legisse audisseve memini unquam. Neque quisquis æquus fuerit Rerum æstimator, secus, opinor, sentiet. ad rem ipsam venio.

Anno Christi DCCCCLIII. Berengarii Pontificatus XIV. Ipso Sancto Pentecostes die per actis ritè, maximo cum apparatu, Advocato Clero, Populo frequenti, ab Antistite Berengario Tiarâ Pontificia redimito in Sacra Vitoni æde Divinis Misteriis, ipso etiam tum præsente Brunone Archi-Episcopo Coloniensi & Archi-Duce Lotharingiæ (revertebatur tum forte Victor proturbato Regnerio Montensi) astantibus religiosissimis Duobus Cœnobiarchis Aynaldo sive Amaldo Gorziensi, & Humberto Vitonino memorato, Sacrum B. Firmini Virdunensis Episcopi Corpus in elaboratâ arcâ collocatum, pretiosissimóque velo coopertum, piorum humeris Clericorum imponitur, solemníque pompâ per urbis celebriores plateas exportatur, festo cultu innumera comitante populi turba, Divinos hymnos Clero concinente. Discat hîc Lector Eloquiorum Divino-

rum

rum veritatem Nimis honorificari sunt amici tui Deus. Non animis modo sed prope oculis observatur, gloriosus gloriosi Martyris Flaviani Patriarchæ Constantinopolitani Triumphus, quando Sacræ ejus Reliquiæ è loco exilii in regiam urbem Constantinopolitanam Solempni pompa transportatæ Marciano Imperatore & Pulcheria Augusta Imperantibus.

Eodem proceditur Ordine ad proximum usque urbi pagum Deuam villam (qui latine sciunt, Deviam dicunt, Lotharingice Dieue) II. aut III. distat ab Urbe Lapide pagus iste: ibi prima statio, Pars Cleri, ad persolvendum officium urbem repetit, Dum vero Novi Vectores, Sacram Capsam suis humeris imponere moliuntur, mirum dictu, ita Stetit immobilis, ut nulla hominum arte potuerit levari, donec monitis Piæ Matronæ (Eugenia, opinor, hæc erat, cui supra divinitus ostensum S. Firmini Corpus docuimus) abactus & exturbatus fuisset, communi Sanctóque cœtu Nebulo quidam, (vectorum novorum è numero erat) qui vitio meretricio Sordidatus audebat Sacrum Loculum attingere: Viden, ut dona iniquorum non probet Altissimus, nec respiciat in oblationes iniquorum, Nec novum illud, Sacra Firmini Corpora deferre conantibus minimè, resistente numine, concessum fuisse, Ipso nimirum Sacro Corpore instar silicis loco inhærescente, & immobile permanente; Nam aliquando persimile plane contigisse in S. Chrisostomi è Comanis Ponticis (Comanæ in Ponto mortuus & Sepultus fuerat) Constantinopolim translatione; Cosmas vestiarius erat de eadem translatione & Nicephorus lib. XIV. cap. XLIII. litteris mandârunt, nec facto sæpe periculo moveri potuisse, quousque Theodosius Imperator datis ad eum litteris indulgentiam remissionemque peccatorum parentum nomine petiisset.

Ejecto ergo Nebulone, nullo negotio Devoti aliquot viri Sacrum Corpus efferunt, Diffundente se autem Prodigii fama in vicinos pagos accurrit populi multitudo, magnâque ex parte S. Firmino in tota translatione se Comitem adjungit. Venitur Boolejam (*Bozei* passim dicunt) ubi pernoctare Clerum turbamque Comitem oportuit: Hic dum propola quidam dolosè cauponatur, piæque turbæ efucatum potum divendit, Ecce tibi ad Sacri pignoris adventum dissolutis Vas Circulis totum spectante populo Liquorem effundit, & intus Latentem fallaciam detegit; Ea ipsa nocte è vicinia ad Sacra Firmini ossa mulier diurino, eoque gravissimo vexata morbo defertur, Seminecem dixisses, quam nulla medicorum pharmaca fomentave juvare poterant: Solo Loculi Sancti tactu, extemplo quasi è gravi somno excitata surgit, ac propulsato Morbo sanitatem restitutam sentit, nervos, artus, membraque planè omnia consolidata & confirmata miratur. Quid plura? peractis Deo præpotenti, beatoque Firmino Gratiis, pedes, & gaudio triumphans Domum revertit obstupescente multitudine universâ, & magno pietatis sensu Dominum benedicente.

Inde Sacrum Corpus Cingente turba Panniacum, *Pargnos* vulgò, defertur, Eóque adductus puer septennis Aurium linguæque usu ab ipso ortu carens, inter Sacros hymnos & orationes populi, erumpit in has voces; Firmine Pater, adjuva me; Eo ex tempore & expedite loqui, & facile audire loquentes ad extremum vitæ diem potuit: Similia multa apud S. Aug. cap. VIII. lib. XXII.

Hinc Trundusas, *Tronde* vulgò, petente Cœtu universo cum Sancto Corpore Monialem quandam multis jam âb annis excæcatam, ubi Sacram arcam Firmini cum profusione Lachrymarum supplex fuisset venerata, obstupescunt omnes illico grati luminis & inspetatæ visionis munere fuisse donatam.

Postea Fagum, vulgò *Foux* pervenitur, villa est Diœcesis Tullensis, forte nocte intempestâ male consultus, nescio quis, Fagensis Ecclesiæ thesaurum depeculatus fuerat, ad Sacri Corporis adventum Sacrilegus homo tali horrore corripitur, ut nullo consistere posset loco, itaque patrati Sceleris conscius, conscientia stimulante, sistit se coram Sacro Feretro, & ibi tanquam coram judice pro Tribunali palam se ipsum incusat, veniam petit, ablataque restituit.

Tullum deinde turbis appellentibus cum Sancto Corpore, statim S. Gerardus tum Tullensis Episcopus (quem Leo IX. Anno MLII. ex Sigeber. in album Sanctorum retulit) aggregato Clero una cum frequenti populo, quanto maximo potuit cum apparatu obviam procedens, in Basilicam S. Apri deducit: Tota nocte Psalmi divinique hymni â Fidelibus ad S. Pontificis ossa decantari, illucescente autem aurora, puella quædam tenaci difficilique afflictara morbo, indolescere cœperat âb ipsis cunis, fusâ ad Deum oratione ad S. Firmini invocationem confestim, spectante plebe universa, incolumis & Sana visa est: Exin pius Tullensium Pastor Sacris de more solemniter persolutis eâdem, quâ præcedenti die exceperat, pompa abeuntes, cæptúmque peragentes iter comitatur: Fideles, venerandi Firmini Corpus deferentes, è tota vicinitate innumera propemodum ætatis Sexûsque omnis turba ad alterum Servi DEI accurrente triumphum: hic quis non videat expressam Divi Ignatii Constantinopoli (quo Roma) Antiochiam translationem, aut, si malumus, Reductionem: quis Gestientes Lætitiâ Christianos in celebri B. Babylæ transportatione è Daphnitico Luco in urbem Alexandrinam non hoc die adumbratos expictos ve dicat?

Cœnobitæ Tullenses, præsertim vero è Religiosa Domo S. Apri sese in hac transmigratione exhibuêre Sacri Corporis Gerulos ad Mosellæ Amnis trajectionem, ibi ab alia occursante undequaque populi turbâ Honorificentissimè Surceptum Sacrum Pignus, Confidentéque Tullensi Clero in fluminis Ripa cum magnâ populi turbâ novi Vectores Sacri Corporis transmeationem Amnis aggressi per eam partem qua vadosissimus putabatur, â consequente multitudine rapiuntur ad ignota alvei loca; ipsi ergo deviantes, ac Toro cum Comitatu aquatum mole pœne se obrui sentientes, exclamare ad Dominum, Suffragium Beati Firmini implorare cum Lachrymis incipiunt, anxiúsque Tullensis Antistes cum suis omnibus in Fluminis ora intuentibus pro Salute turbæ, prope pereuntis edit eam orationem: Sancte DEI Firmine! Pretiose Confessor succurre citius, ne pereant ferentes Te Aquis fluentibus. Excipit Pia turba Episcopi sui orationem, ingeminans sæpe Sancte Dei Firmine! Sancte DEI Firmine! exorta forte tum fuerat procella. Sed exauditam orationem populi præsens liberatio ostendit: nam statim sedata tempestate littus adversum universi tenuêrunt. Hoc tam insigni miraculo permoti plurimi Flaviniacum usque S. Corporis Comites se adjungunt. Episcopus Tullensis cum Clero & reliquâ multitudine adpropria remeat DEO laudes daturus.

Hoc celebre factum scripsit etiam oculatus testis (nomen subticetur, ipse forsan Humbertus Abbas vel Religiosus alter, qui toti negotio præesse poterat, in M. S. Cod. Viton.) Et vehentes Corpus S. Nicolai Barum, Nautæ similia pericula experti, ejusdem intercessionibus liberantur, ut scribit Johannes Archi-Diaconus cap. X. histor. translat. apud Sur. tomo III. die IX. Maij. Taceo excitatam tempestatem in translatione S. Chrysostomi in ipso fere portu Byzantino apud Niceph. & alios supra.

Interim in ædem D. Martinæ evectam, in supercilio montis sitam, (pagus ipse hodie vulgari Dialecto *Domp-Martin* dicitur) Corpus D. Firmini portatur; jam Basilica ipsa circum fluentium hominum triduum expectantium Catervas redundabat, Quamobrem pro Foribus ac in ipso Vestibulo templi Sacrum pignus locare necessarium fuit, quo turbæ adventantis Devotioni fieret satis: Inter multa ibi patrata Divina opera, Celebre fuit illud: Claudicabat utraque tibia quadriennis puer, mox ut parentum ope Sacrum loculum est deosculatus, non recte incedere modo, verum & exsilire, currereque cæpit, non secus ac mendicus ille curatus â B. Petro ad speciosam portam templi. act. III.

Postea pervenitur ad amœna quædam prata circa Chalniadim *Chalignii* villa est S. Stephani Metensis ad littus Mosellæ, ibi fessi S. Corporis bajuli ob vehementem æstum (erat nam maxime sudum) conquiescunt posito onere: Arubi progrediendum fuit, iterum ex recurrunt difficultates, quas in Devia villa primum occurrisse diximus immobile secundò Corpus invenitur, quasi Rupes ingens tenacius & altius monti inhærescens; Quidnam id prætenderet, vehemens stupor omnium animos occupabat, hic omnes discutere conscientiam, sibi quisque timere, sollicitum denique quemlibet maxime inspicere licebat, Novorum operum Famâ exciti plurimi Tullo recens forte advenerant, inter quos verus & legitimus Agri Dominus (idem pænè in S. Augustini è Sardiniâ Ticinum

num translatione sub luitprando apud Possidon. in ejus vita) Is ergo Religione commotus novâ, scribit Agri hæredem perpetuum S. Firminum, dat juris stipulatorem, & continuo Corpus quasi pennis fultum summa cum facilitate deportatur à piis religiosisque Fratribus, (nam Virduno nonnulli è Vitonina familiâ Sacrum Corpus sunt semper Comitati ad Cœnobium Flaviniacense) hymnos Sacrósque Psalmos concinnente cæterâ turbâ. Hæc inter, Loculi seu Arculæ tabulæ Sacra ossa continentes, moueri loco, atque inter se collidi cœperunt, ita ut dissociationem, solutionémque minari, duas ferme horas integras, putarentur: Rei novitate omnes attoniti, orationes fundere, erumpere in lachrymas, veniam peccatorúmque remissionem petere, Exomologesim vitámque meliorem spondere incipiunt: cessat tandem tremor & tabularum commotio. At circa meridiem solis ardore sitim excitante vehementem in tota multitudine, & maximè in Sacræ arcæ bajulis, à prædivite quodam vinum deprecantur (huic adhuc vini utres XL. in hypogeo erant) negat avarus homo vini se quidquam habere, nec vanus Augur, nam dum sub cœnam vinum petit, nullum esse prorsus in utribus animadvertit, & dum effusum putat, nullum vestigium agnoscit, furit in domesticos miser, votis interim suorum non defuit DEUS, Dum è vicinitate multi panem, vinum, & cætera id genus sibi accurarent.

Eodem tempore pia Matrona de pago Rammorum (Goduijdis ei nomen erat) adcurrit festina piis Fratribus & Religiosis viris S. Corporis vectoribus vinum panémque libera manu profert: forte patentem dolii fistulam nimium festinans bona mulier reliquerat, agnoscítque clavem fistulæ in manu, dum viris vinum fundit, quare effusum reliquum vinum, doliúmque inane futurum rata, recurrit Domum ocyus extra guttum dolio suppositum nihil effluxisse, sed eo pleno ostetisse mirata, DEI virtutem in S. Firmino vicinis enunciat, & secundò cum populosâ manu ad Sacrum Corpus convolat: His & similibus posteà prodigiis Saxeum Cor Locupletis & avari hominis suprà Memorati (Hilterus appellabatur,) frangitur tandem, & anteactæ vitæ noxas salubri pœnitentia eluens, avidam tenacitatem in non ingratam liberalitatem convertit, quam testatus est, quando sequenti die ad S. Corpus veniens genuflexo Errati veniam cum Lachrymis petiit, oblatisque S. Firmino Donis maximis, vitæ melioris institutionem vovit, & in Religiosâ Domo Flaviniacensi piè Sanctéque vixit. Pergebat turba cum S. Corpore, pagúmque appetebat, qui Masnilis Teutberti, nominatur, Duobus tum miliaribus à Cœnobio Flaviniacensi distantem mosella interjecto: Ecce totum opidum, Lusdam *Ludre* Lotharingi vocant, Pastote ipso cum Clericis Divinas Laudes præcinente, cum muneribus obviam procedit; In itinere plurimis impegit malè feriatis, nescio quis Ganeo, quo Se tantus Populus reciperet, contatur? qnibus ad S. Firmini Corpus excipiendum ajentibus, mox vesano Spiritu agitatus homo furorem concipit, plurimáque in S. Pontificem Firminum evomere pergit convitia; donec à turba digressus in Rivulum pagum medium aspergentem prolaberetur, a quisque suffocatus miseram etiam animam evomeret, alia habemus exempla sexcenta similia, eorum qui contumeliosi fuerunt in Sanctos apud Bredembac. Lib. III. col. Sacr. &c.

Pervenit tandem Flaviniacum Corpus S. Firmini, in ædem Sancto Hilario Sacram, maximo cum apparatu & frequentis Populi gratulatione, deportatur, ac in majoris Aræ cornu altero (quomodo adhuc hodie B. Claudii Corpus visitur) collocatum, peregrinis innumeris eò confluentibus cœpit esse venerationi. Nam eâ ipsâ primâ nocte quâ Sacra Theca cum Sacro Corpore in templum Flaviniacense illata est, Claudorum, aridorum, cœcorum, aliorúmque ægrorum multitudo solo attactu Sacræ arcæ curatur: Neque vero tunc solum mirabilis in Sancto Firmino fuit Deus, sed posteà sæpe. Vix enim quiescebat in novo Flaviniacensi templo S. Pastor, dum Tulli misera quædam mulier Sacro die, furtivo operi dedita âb humani generis hoste invaditur, incubus erat dæmon, percrebrescente famâ miraculorum S. Firmini, Cathenis B. Apri (quibus vincti aliquando tres Energumeni curati fuerant & liberati) constricta, Flaviniacum vi pertrahitur; ibi furore, peregrino, barbaróque idiomate multa loqui incipit Dæmon, mulierem, astantésque omnes unguibus, calcibusque impetere, tandem indicuntur piis monaihis preces, applicantur S. Firmini Sacra Ossa, mox abscedit hostis muliere semimortua relicta: Post aliquam temporis intercapedinem secundo applicantur Reliquiæ, continuantur preces, & læta surgit mulier DEI bonitatem Sanctique Firmini virtutem

prædicans singularem. Sed jam cætera narratione supersedebo, ne Longior sim quam oportet: Agitur quotannis in Ecclesiâ Vird. translationis hujusce anniversaria commemoratio IV. non Majus. Supplementum Bertharii cap. XXIII. eandem attestatur translationem: at satis.

VIII. S. Vitoninus seu Videnus (Victonem surius nominat tom. VI. & VII. die Novemb. IX.) â Clodovæo Francorum Rege, qui Virdunum suæ nunc potestatis fecerat, Episcopus Virdunensibus datus est Anno Christi D. evasit in tantum virum, ut leprosos vivens sanarit, post obitum cæcos illuminarit, diem clausit Anno DXXVIIII. V. id. Novemb. quo die in Indicibus Ecclesiasticis Virdunensibus annotata reperitur anniversaria ejus memoria. Ejusdem postea facta est translatio, Corpusque in argenteo loculo solemni cum apparatu reconditum Anno MCXLVII. Eugenio III. summo Pontifice, Alberone II. Episcopo Virdunensi, & Conone Abbate S. Vitoni præsentibus. Sic M. SS. Codices omnes, Pontifici ipso divina celebrante.

Proximè deinde sequenti æstate ob cœli inclementiam & copiosissimos imbres, impendere cervicibus Virdunensium Fames gravissima videbatur, Sacrum S. Vitoni Corpus magna populi Frequentia, per vicinos agros, solemni in Supplicatione delatum ad villam, quam Charniacam dicunt vulgò *Charnei*, Duobus âb urbe sejunctam miliaribus, mox quiescentibus ventis nubibusque fugatis mirum in modum diu tenebricosum serenatur cœlum, messisque sequuta horna-gemina, Hinc emanavit ea consuetudo, ut adhuc quotannis Feriâ II. Pentecostes eadem pæne pompa pro frugibus Terræ renovetur quasi eadem supplicatio, in qua simul aliorum Divorum Sacra Pignora deferuntur.

Vacat sedes Pontificia Menses aliquot.

IX. Desideratus Vir nobilis, Natione Germanus, Patria Thuringus, in litteris benè versatus, post uxoris mortem Ordinis Ecclesiastici desiderio teneri cœpit; Quare cum Principum Taurinorum Præceptor aliquando fuisset, â Theodeberto Theodorici Regis Austrasiæ Filio, postulanteque Clero, Episcopus est constitutus Anno Christi DXXX. undecimo sedis, suæ Anno Prodigia per universam Galliam multa contigere dequibus Sigebert. Anno DXLI. afflictique Virdunenses Anno sequenti DXLII. Pûstulis ac vesicis: Adiens Theobertum Desideratus, âb ipso Quingentos Nummos aureos in Populi subsidium accipit. Jam tum præclarè factis celebris erat in agro Virdunensi B. Agericus, ut Sigibert. etiam observat in chronic. DXLVIIII. Cujus industria plurimum utebatur Desideratus noster. Annis tandem ut laboribus fractus obiit Anno DLIV. primusque in Deiparæ templo sepelitur. Hæc Berthar. Paul. chronol. vixisse putat ad DLV. sed tabulæ Viton. & M. S. Brun. secus habent.

X. Agericus Electus â Clero & Civibus, præesse cœpit Virdunensibus Anno DLV. Dum S. Medardi templum extrueret, Sanctorum Mauri, Salvini, & Aratoris, Opitulante Numine, Corpora invenit: Pernoctabat fortè in oratione bonus Pater, repente nescio quomodo Lychnus extinguitur, quo utebatur tum in Oratione horarum; Exhorruit primum, Mox ubi sese collegisset, ecce Novo cum splendore & Lumine multitudinem Beatorum Spirituum, Psalmos & Spiritualia Cantica Psallentium Cellam ingredientem miratur, Præ cæteris elucebant Tres Sancti Præsules Maurus, Salvinus, & Arator, Corpora quidem sua vicino in loco (demonstrabant ipsi) âb Annis jam multis in Hominum oblivione posita jacere, Ævo tamen sese frui sempiterno, cœlestique gaudio attestantes. Hæc inventio Sanctorum Corporum IIII. id. Nov. facta est, in qua multa edita sunt miracula, quorum aliqua refert Wasseburg in S. Aratore. Anno denique DCII. die Dominico, quo in Ecclesia Memoria B. Catharinæ Martyris annua recurrebat, suis adscitis Clericis, Divina peragit, dum omnes ad pietatem hortatur, futuramque Corporis sui depositionem Sabatho sequenti Prophetico Spiritu prædicit, veritatem probavit eventus, audiræque in ejus obitu supernorum Spirituum concinentium voces, suavissimoque cantu Deum laudantium; Omnibus item videntibus B. viri anima quasi Nivea columba evolare visa est, Cœlesti harmoniâ circum sonante. Obiit Cal. Decembris. Anni DCII.

XI. CARAIMERUS in Regia Childeberti Regis Austrasiæ diu versatus, Libellorum Supplicum Magister, Regio Decreto factus est Episcopus, Anno DCIII. condemnato Bucionaldo abbate ob superbiam & ambitionem: desiit esse in humanis VIII. sui muneris Anno Christi DCX.

XII. HERMENFREDUS In agro Argentoratensi, Celebri quondam ex Regum habitatione loco, & illustri Familiâ Natus, à Theoberto Rege Virdunensis designatur Episcopus Anno DCX. Nam antea tum Pacis tum Belli tempore in armis cum Theoderico hujus Austrasiæ Regis Fratre fuerat versatus: Ex milite factus Religiosus apud Luxouienses, S. Columbani discipulus è Religiosa demum familiâ evectus ad Cathedram Virdunensem Id apud Regem postulantibus consanguineis. Obiit Anno DCXXI.

XIII. S. PAULUS S. Germani Parisiensis Nepos invitus donatus est Pontificiâ Tiarâ, Clotarii Regis opera Natione Heduus, Patriâ Augustodunensis primò vitam Eremiticam professus: Deinde apud Theologienses Cœnobiticam, Posttremò tractus ad Magistratum Ecclesiasticum Anno Christi DCXXI. omnium virtutum ornamentis præstabilis. Obiit VI. id Febr. DCL. Sepultus in S. Saturnini, nunc S. Pauli templo. Oleum è Sepulchro ejus manâsse ad multos Annos notat Berthارii supplementum.

Incidit in manûs meas perantiquus codex M.S. Viton. in quo plurima ad S. Pauli reliquias repeti facta miracula, & præcipue vim in Dæmones mirabilem ostendentia. Unum his attexam, quia viris religiosis, nostrisque Novitiis non erit ingratum: sub Folcrado abbate (de quo in Theodotico, Wasseb.) Et Goduino priore Novitius quidam (res gesta in Cœnobii D. Pauli Virdun. circa Annum MCXLVI. cum ibi Præmonstratensium Disciplina vigeret) fluctuans invocatione eum sæpius in Erratanon ferenda laberetur, à Magistro sæpenumero monitus, in pessum iret magis, Castigatus insolesceret amplius; tandem minatur se abscessurum deinceps, id quod Jure Jurando etiam confirmat. Audit hæc superior & immorigerum adolescentem dimittit: non multò post eum apud suos cupiditatibus habenas laxaret, à Dæmone corripitur, nec ante curatur, quam manibus pedibusque tevinctis ad S. Pauli Limina, unde cum jurejurando excesserat, reduceretur, & coram Sancti Feretro adjuratus, explosus, exturbatusque esset Cacodæmon; Filium infelicem Parentes, concepto voto, in servum perpetuum tradunt eidem S. Pauli Monasterio, ubi prius Monachus esse meruerat.

XIV. GISLOALDUS. Apud Cellam Theologiensem Monachus, S. Paulo in Cathedra suffectus est Anno DCL. Canonicos in ædem S. Saturnini Instituit Anno DCLIX. pontificatus sui Anno Decimo. Desiit esse in Humanis Anno DCLXV.

XV. GEREBERTUS. Theologiensis Monasterii Abbas, Virdunensem Rexit Ecclesiam sub Childerico. Morte solvitur eodem, quo Ebroinus, Anno DCLXXXVIII.

XVI. ARMONIUS. ex Abbate Theologiensi transfertur ad sedem Virdunensem de Mandato Pippini Heristalii Anno DCLXXXVIII. Obiitque exeunte Anno DCC.

XVII. AGREBERTUS. prioris ex Fratre Nepos, creatur Virdunensium Pontifex Anno Christi DCCI. moritur Anno DCCVIII.

XVIII. BERTALAMIUS, Monachus Theologiensis, Grimoaldi Filii Pippini Favore assumptus est in Episcopum Virdunensem Anno DCCVIII. Stanneum, Cassam-Petram, Tyllium, ac Fromesium Oppidum suæ acquisivit Ecclesiæ; delecto sibi successore Abbone, cessit è vivis Anno Christi DCCXV.

XIX. ABBO. Theologiensis Item Monachus, Bertalamii quondam Præceptor, jam Annis gravis decessit Muneris sui Anno secundo.

XX. PEPO. Caroli Martelli Præceptor Anno DCCXVII. Pontificio Munere donatus est ab eodem Martello, quem & armis & auro juvit adversus Rabothum seu Ratholdum Frisiæ Ducem. Obiit Præsulatus sui Anno VI. Christi vero DCCXXII.

XXI. Volchisus. Quondam Filiorum Caroli Martelli Præceptor, Virdunensem Cathedram ascendit Anno DCCXXII. Pippinum ejusdem Martelli jussu, ad Luitprandum Longobardorum Regem tendentem Comitatus est; Redux Virdunum, morbo diuturno extinctus est Anno sedis suæ septimo.

XXII. Agronius. Invito Anselino Virdunensium pro-Rege, à Clero postulatur Episcopus Anno Christi DCCXXIX. multa propter sibi denegatam Decimarum solutionem sustinuit Incommoda, ac tandem obiit Promotionis suæ Anno tertio.

Vacat sedes Virdunensis Integro Triennio.

XXIII. S. Magdalveus. de Cognatione Caroli Martelli, ab eodem Thiara Pontificia donatur Anno DCCXXXV. Natus erat Virduni, ac Pippini Heristalii pro Plectrude partes secutus est adversus Martellum cui mox reconciliatus est. Abbatias S. Amantii in Rhodania, Moderniacum & Puliniacum in Aquitania, quæ jugum Episcoporum Virdunensium excusserant, parere docuit; Cœnobitas & Religiosos Viros frequentius visitabat, semper præ oculis habens Gesta Prædecessorum suorum. Peregrinationem Hierosolymitanam agressus, in ea à Basilio Patriarcha perbenignè exceptus muneribusque maximis ornatus est; Reversus ad sedem suam, Templum Divæ Magdalenæ Sacravit, exiguum quidem, sed postea sub Haymone Splendidiore sumptu restauratum; in eo Moniales collocaverat quibus morte præventus, de dote sufficienti providere non potuit, unde tandem deserta remansit hæc Ecclesia donec Hermenfredus eam Restituit: Moritur Sanctus Magdalveus Anno Christi DCCLXII. ejusque Corpus incorruptum repertum fuit Annis post ejus obitum quadraginta.

Vacat sedes Virdunensis ad Annum usque DCCLXXIIII. quo Tempore Vir pius, juxtaque morum Integritate commendabilis Amalbertus viduam Pastore administravit Ecclesiam: Eum Bertharius aliique veteres Chronologi non Episcopum sed Corepiscopum nuncupant; Obiit Anno Christi DCCLXXI.

XXIV. Petrus. Natione Italus, Desiderio Longobardorum Regi à Consiliis; eum post expugnatam Papiam ac devictum Desiderium Carolus Magnus sedi Virdunensi præfecit Anno DCCLXXIIII. Multæ tunc, quemadmodum sede vacante, Calamitates invaserunt Ecclesiam & Civitatem Virdunensem, de quibus nimium contristatus Petrus, diem clausit extremum Anno DCCXCV. postquam sedisset Annos Viginti & unum.

XXV. Austrannus. Musicæ scientissimus à Sancto Pontifice Adriano I. in Gallias Cantus Ecclesiastici Restaurator missus (ut etiam innuit Sigebertus in Chronico) Ecclesiæ Virdunensi à Carolo M. designatur Episcopus sub finem Anni DCCXCV. dein Anno DCCXCVII. eundem Carolum Regem Romam usque Comitatus, effecit ut Leo III. Pontifex Mox Magdalveum, suum in sede Virdunensi prædecessorem inter Sanctos referret; plurima etiam Ecclesiæ suæ Bona à Nobilibus injuste possessa recuperavit, ac tandem felici morte quievit Anno DCCC.

XXVI. Herilandus. à Carolo M. in Gratiam Fratris sui Zachariæ quo in diversis Legationibus usus fuerat, maxime ad Patriarcham Hierosolymitanum, donatus est Virdunensi infula. Interfuit Moguntino, aliisque per Germaniam habitis Conciliis, quibus edoctus, multa ad Cleri sui Reformationem instituit. Postremum Articulari morbo vexatus animam salvatori suo reddidit, Anno Episcopatus sui Vigesimo quarto. Christi vero DCCCXXIII.

XXVII. Hilduvinus. Vir Clarus, ac Ludovici pii Imp. Consiliarius ab eodem Clero Virdunensi Præsul datus, sedit Annis XXIV. Multa à Lothario Imp. perpessus migravit ex hoc Sæculo Idibus Januarii Anno DCCCXLVII.

Vacat sedes Anno ferme Integro.

XXVIII.

XXVIII. HATTO. Lothario Juniori Intimus, ex hujus Regis voluntate Pontificia Jura suscepit Anno DCCCXLVII. exeunte. Mox Bona Ecclesiæ suæ ablata omni studio revocavit: Hattonis-Castro Oppidulo initium dedit: dirutam à Normannis S. Vitoni Basilicam restaurare aggressus Monumenta S. S. Pulchronii & Possessoris aperiri jussit, & eorum Sacra pignora in Loculis decenter reposuit: similes honores exhibuit Reliquiis Sanctorum Mauri, Salvini, & Aratoris, in quarum Translatione frequens Populi concursus, & ægri sanati plurimi. Beati Johannis Baptistæ Ecclesiam solo pœne adæquatam restauravit ac in Honorem S. Mauri Episcopi Virdunensis consecravit, Altare etiam suo in Hattoniano Castro eidem S. Mauro erigens. Demum Anno Pontificii sui muneris XXIII. ipsis Kalend. Januarii Anno DCCCLXX. vitam posuit.

XXIX. BERHARDUS. à Carolo Calvo Galliarum & Lotharingiæ Rege Anno DCCCLXX. Virdunensi Ecclesiæ præficitur; docuerat is Sacras Litteras in Æde Vitonina, quam ad Finem perduxit, id quod Hatto morte præventus præstare non potuerat; constituitque in ea VIII. Canonicos quos redditibus ac Censibus copiosis dotavit. Obiit in Theoleia prid. Kal. Jan. Anno DCCCLXXIX. Pontificatus sui Anno X. hæc Berthaurius Berhardi hujus discipulus.

XXX. DADO. Berhardi Nepos à Ludovico Rege Galliæ Orientalis Antistes Virdunensium Designatus est mense Maijo Anni DCCCLXXX. sub ejus Regimine Boso Virdunum Civitatem Igne devastavit Anno DCCCCXVI. quapropter pius Præsul, ne per hoc forsitan Memoria prædecessorum suorum etiam periret, Berthario Sacerdoti & Secretario suo injunxit ut Historiam Virdunensem contexeret, dum ipse interim Ecclesiæ Marianæ Instaurationem molitur, sed jam Senio gravis morte præpeditur Anno DCCCCXX. postquam Ecclesiam suam Rexisset Annis Quadraginta.

XXXI. BARNOINUS. Dadonis Consanguineus Cathedram Virdunensem ascendit Anno DCCCCXX. moritur Anno DCCCCXXXIX.

XXXII. BERENGARIUS. Natione Saxo, Ottoni Cæsari Charus, à quo & Episcopatu Virdunensi donatus est. Hic in primam Virdunensem Ecclesiam in honorem S. S. Petri & Pauli constructam, nunc Divo Vitoni Sacram, Ordinis Sancti Benedicti Monachos introduxit, abactis exinde Clericis, primumque eis Abbatem Humbertum consecravit Anno DCCCCLII. dein Anno sequenti Translationem Corporis S. Firmini ritu solemni peregit, ut supra ostendimus; Obiit optimus Præsul Anno DCCCCLIX. pridie idus Augusti, ac in Templo D. Vitoni Sepultus est.

XXXIII. WILGFRIDUS. Bertholdi Bavariæ Ducis consanguineus, in defuncti Berengarii Locum suffectus est. Hic Templum Sancto Saturnino Sacrum restauravit, ac S. Pauli Episcopi Corpus in eodem reconditum elevans, in argenteo Feretro honorificentissime collocavit, majus etiam Altare in hujus S. Confessoris, Sanctique Pauli Apostoli Honorem consecravit, & Cœnobitas Ord. S. Benedicti eidem Ecclesiæ præfecit, quos, quemadmodum illos de S. Vitone, Prædiis, annuoque proventu Copioso Locupletavit. Anno DCCCCLXXIIII. postmodum Sigiberti Comitis Carceres expertus, mox Liber dimissus est: comes vero in expiationem patrati Facinoris, Laminam & coronam auream obtulit, quæ una cum summo Templo deinde conflagrarunt. Obiit Wilgfridus Anno DCCCCLXXXVI. prid. Kal. Septemb. Sepultus in Templo S. Pauli juxta aram, quam in dextro Latere vivus erexerat.

Vacat sedes Virdunensis mensibus aliquot, nam, qui in eadem successurus fuerat HUGO, ubi ærarium exhaustum intellexit, oblatæ Dignitati ultro renuntiavit, nec in Episcopum consecratus est.

XXXIV. ALBERO I. Theodorici Mosellani ex Nobilissima Beatrice Filius, à Clero & Populo unanimiter postulatus Anno DCCCCLXXXVII. Cathedram Virdunensem haud diu tenuit, quandoquidem eodem Anno ad proximam Metensem promotus est.

XXXV. Albero II. Godelridi Senioris Comitis Arduennæ Filius, Pontificium munus suscepit æger admodum; hinc recuperandæ sanitatis gratia in Italiam delatus, ibidem diem clausit extremum XIV. Kal. Maij. Anno DCCCCXC.

XXXVI. Haymo Natione Germanus, Henrici Bavariæ Ducis Interventu, ab Ottone III. Imp. Vacanti Ecclesiæ Virdunensi præficitur. Restauratam ab Hattone Episcopo Ædem Sancti Mauri exornat, insignique adauget Monasterio in quo Sanctimoniales Ord. S. Benedicti collocavit, Redditibusque sufficientibus providit circa Annum MX. quo Tempore Dudo vir pius, Virdunensis Ecclesiæ Canonicus ac Montis-Falconis Præpositus Novam erexit Ecclesiam in Honorem S. Crucis, Canonicosque XII. in eadem Liberalissime instituit: eodem plane Zelo Ductus Hermanfredus Archidiaconus Anno MXXIII. Basilicam Divæ Magdalenæ Sacram, juxta quam olim Magdalveus Episcopus Cœnobium Sanctimonialium instituere aggressus fuerat, Rastauravit, in eaque, B. Richardi Abbatis Vitonini Consilio adjutus, Magnificum XXIIII. Canonicorum Collegium fundavit. Obiit Haymo die Kalend. May Anno MXXVIII. postquam Ecclesiam suam Laudabiliter Rexisset Annis fere XXXVI.

XXXVII. Raimpertus. Omnium votis & applausu Haymoni datus est Successor, qui præter erectam à se Collegiatam S. Magdalenæ Ecclesiam, de qua mox egimus, Cellam S. Agerici Abbatiæ Titulo insignivit, in eaque Ordinis S. Benedicti Monachos collocavit sub directione Balderici Viri præstantis, quem etiam in primum Loci Abbatem ordinavit. Iter Hierosolymitanum ingressus, vix Inferiorem Pannoniam attingerat, cum gravi morbo decumbens ad Cœlestem Hierusalem profectus est. III. Kal. Maij Anno MXLI.

XXXVIII. Richardus. I. Hildradi Comitis Filius, ad Preces Cleri ac populi Virdunensis, Vicinorumque Principum Favore, ad vacantes Infulas promotus est à Conrado II. Imp. Vir mitræ Eloquentiæ & Sanctitatis, utpote qui Fridericum ultimum Virdunensium Comitem induxit, ut relicto Sæculo Monasticam vitam in Cœnobio S. Vitoni amplexaretur, quo facto, ipse Comitatum Virdunensem Ecclesiæ suæ in perpetuum uniri, ac privilegio Cæsareo confirmari obtinuit. Obiit plenus Meritorum Anno MXLVII. VII. Idus Novembris.

XXXIX. Theodoricus. Gozelovis Comitis Filius, ac Basileensis Ecclesiæ Canonicus, quem Henricus III. Imp. in gratiam Patris sui qui sub ipso in Italia strenue militaverat, Episcopum Virdunensem constituit. Gravis ei intervenit dissensio cum Godefrido III. Barbato, Lotharingiæ Duce, occasionemque præbuit diri illius Incendii quo Civitas conflagravit Anno MXLIX. profectus postea Hierosolymam Theodoricus mox ubi ex itinere rediit, tot tamque varia Bella cum vicinis suis iniit ut virum potius militarem quam Ecclesiasticum diceres: Anno Regiminis sui XXXVI. eo quod partes Henrici IV. Cæsaris sectaretur à Gregorio VII. Pontifice, anathemate percutitur; quamobrem Rudolfus Abbas Vitoninus unà cum suis, dum Theodorico communicare recusant, exulate cogitur: verumtamen, interveniente eodem Abbate, Theodoricus à Legatis Apostolicis postmodum Excommunicationis vinculo solutus, piè obit Anno MXC. die IV. Kal. Maij.

XL. Richerus. Decanus Metensis, ab Henrico IV. Imp. ea Lege Theodorico in Sede Virdunensi datus est Successor, ut partes suas adversus Pontificem tueretur, Fideique suæ obsides, sub Corporis Bonorumque omnium amissione, constitueret tres Fratres suos Albertum, Bezelinum, & Johannem, qui tunc in Regia versabantur Aula: quapropter Richerus factus est Schismaticus cum Capitulo, & urbe tota: cum autem Trevirorum Archi-Episcopus una cum suis comprovincialibus Metensi & Tullensi, Apostolicæ Sedi constantet adhærerent, Richerus absque consecratione & pontificialium administratione, tanquam truncus inutilis remansit donec Anno MXCVI. pœnitens ab Urbano II. Pontifice per Legatos suos Lugduni absolutus est, ac ipso Sabbatho Sancto paschali insequenti Ordinatus Episcopus: Relapsus dein in pristinam seditionem, hæsit in Excommunicatione per Trienniumà qua resipiscens meruit absolui sub Paschali II. per Hugonem Lugdunensem

nensem Archi-Episcopum. Demum Treviros proficiscens ibidem vitæ finem invenit VI. Idus Martii MCVII.

XLII. Richardus II. Comitis Grandipratensis Filius, ex Archidiacono Virdunensi creatus Episcopus Iram Paschalis II. summi Pontificis incurrit, quod Henrico V. Schismatico adhæreret. Astevolum & Mosacum Ecclesiæ suæ Oppida Guillelmo Luciburgico oppignoravit. Dein Hierosolymam, ac demum Romam profectus, cum frustra tentasset suam hactenus sententiam ratam haberi, in gravem animi mœrorem incidit, ex quo paulo post obiit in Monte Cassino Anno MCXIIII.

Vacat sedes Annis III. mensibus VI.

XLIII. Henricus I. Guinutoniensis in Anglia Archidiaconus, Cæsareo Jussu cœpit Virduni Pontificia Jura administrare Anno Christi MCXVII. mox anno sequenti Excommunicationis vinculo irretitur à Guidone Viennensi Legato Apostolico: verum consilio Laurentii Abbatis Vitonini Romam proficiscitur, & Mediolani absolvitur à Joanne Cremonensi Cardinale, Vices S. Pontificis agente; tum in auguratur Episcopus; quam ob rem irritatus Cæsar, Virdunum redeunti, Portas occludi mandat, hinc Civitas Obsidione cincta ac expugnata fuit: Tandem aliis supervenientibus adversitatibus fractus, Consilio Divi Bernardi usus, Pontificiam dignitatem ultro abdicavit.

XLIV. Ursio, seu Ursinus. Abbas ad S. Dionisium Remis, à Clero Electus in Episcopum Virdunensem Anno Christi MCXXIX. autoritate Legati Apostolici tunc Catalauni agentis: Vir parum Industrius, & ad Vitam solitariam agendam, potius quam Ecclesiam Regendam, aptior: Raynaldum Barri Comitem sic exhorruit, ut maluerit in Concilio Leodiensi coram Pontifice & Lothario Imperatore Infulas ponere, quam ejus assiduis Insultibus diutius vexari.

XLV. Albero. III. Arnulfi Comitis de Chinii Filius, Archidiaconus Virdunensis, sufficitur in Locum Ursionis Anno MCXXXI. is Ecclesiam suam prudenter Rexit; Raynaldi Barri Comitis Arrogantiam fregit, dein Anno MCXXXVI. dissolutionem Monachorum Cœnobii divi Pauli ultrà non ferens, authoritate Apostolica munitus eos ejecit, introduxitque in eorum Locum Viros pios ac Religiosos, de Familia S. Norberti, qui tunc florebant maximè, eisque præfecit Roggerium Abbatem: in tantum autem hæc Novella Plantatio exculta est, excrevitque, ut jam Anno MCXLVIII. iisdem Redditibus & Bonis trecentos aleret Religiosos, quando ea antea vix viginti Malis Monachis sufficiebant. Plurimorum aliorum Monasteriorum in sua diœcesi Reformator & Rastaurator exstitit Albero, Chaladense inter alia, inchoatum à Roberto Monacho Vitoniano, in quod se Henricus I. Episcopus post abdicatam dignitatem receperat, absolvit, consecravitque in honorem S. Sulpitii, ac in illud Cisterciensis Ordinis Monachos introduxit. Demum Anno MCLV. Albero & ipse Pedum posuit, Monachicamque Vitam Episcopali præferens, in Monasterio Divi Pauli reliquum vitæ pie ac Sancte traduxit. Obiit IV. Non. Novemb. Anno MCLVIII.

XLVI. Albertus I. ex Nobili Familia de Marcei ad vacantem Virdunensem Ecclesiam promotus à Friderico I. Imp. ejus partes fortiter secutus est adversus Pontificem Hadrianum IV. postmodum pœnitentia ductus Monasterium Claræuallense, relicto Episcopio, ingredi statuit: verum in ipso Itineris sui exordio, pertransiens ante Sacram S. Vitoni Ædem, Currus quo vehebatur, dissilit in partes, quo casu attonitus Præsul, simile quid olim Divo Marco Evangelistæ accidisse recordatur, quando à S. Petro Alexandriam missus, iter expletum ex ruptura Calcei sui intellexit: Inctatitaque Albertus Cœnobium S. Vitoni, Habitum ab Abbate Canone Instanter postulat, obtinet, ac paulo post ex hac mortali ad Meliorem vitam transit XVII. Kal. Maij Anno MCLXII.

Succedit durante Schismante Richardus cognomento Crissa, quo ante inaugurationem mortuo circa Annum MCLXXI. alium in Ecclesiam Virdunensem Intrudit idem Fridericus Imperator, Arnulphum Nimirum, Alberti Comitis de Chinii Filium, qui dum adversarios suos bello adoritur, sa-

gitta percussus interiit anno MCLXXX. huic mox subrogatur de Mandato Cæsaris HENRICUS de CASTRIS Canonicus Leodiensis, cujus Regimen ut aliorum nex felix nec diuturnum fuit quandoquidem post annos aliquot, in publico Patrum consessu Remis habito, publice exautoratus fuit anno MCLXXXVI.

XLVII. ALBERTUS II. ex Illustri Comitum de Chinii Familia ortum trahens, à Clero Virdunensi, absens, & dum Loca Sancta per Armeniam invisit, eligitur in Episcopum: Verum turbatam intus & Foris Diœcesim nactus, ipse pro Communi salute omnium Victima occubuit, dum enim quodam die Clerum, Nobilitatem, & Populum ad ineunda mutuo inter se amica pacis fœdera Vehementer ad hortaretur, à Sicario a tergo adorsus Hasta transfigitur anno MCCVIII.

XLVIII. ROBERTUS. è Comitum Grandi-Pratensium stirpe procreatus, Virdunensis Ecclesiæ Primicerius, Licet communi suffragio in prædefuncti Locum & dignitatem evectus fuisset, Cives nihilominus, & ex Clero primores aliquot sibi sensit inimicos, quapropter Romam ire compulsus, cum infecto Negotio Virdunum redit, moritur in Itinere anno MCCXVII.

XLIX. JOHANNES I. ab ASPERO-MONTE, Electus in Episcopum Virdunensem, dispensante super ætatem Pontifice: hic piis Operibus maxime Intentus, Monasterium quod hodie S. Nicolai in prato dicitur, à Fundamentis erexit pro Canonicis Regularibus S. Augustini, quos amplissimis Redditibus providit: exacto demum Sacri Muneris sui septennio, à Virdunensibus ad Metenses translatus est, anno MCCXXIIII. hic est qui anno MCCXXI. Fratres tam ex Famila S. Dominici quam ex illa S. Francisci in Urbem Virdunensem admisit, eisque congrua Domicilia ædificari curavit.

L. RADULPHUS. Cantor Laudunensis, Vir mitis, Cathedram Virdunensem ascendit ex sola summi Pontificis authoritate, non petito etiam Cleri Consensu, cujus mores in multis reformavit, & in Cives suos omne Imperium, omnemque Jurisdictionem à Cæsare impetravit. Obiit anno Domini MCCXLV.

LI. GUIDO I. de TRIAGNEL. ab Innocentio IV. summo Pontifice in Concilio Lugdunensi in Locum Radulphi suffectus est: verum dum pergit Virdunum, Febri gravissima corripitur, ex qua mox eodem anno Obiit in Hattonis-Castro.

LII. GUIDO II. de MELLOTO, ab eodem Innocentio IV. Pontifice subrogatus est Guidoni defuncto; quapropter Sedis Apostolicæ Zelator maximus, dum Cives sui, in Friderciano Schismate novam defectionem moliuntur, ipse Clerum omnem egredi jubet, & Civitatem interdicto suppositam, valida cingit obsidione, eoque in brevi reduxit, ut Rebelles non nisi exsolutis decem mille pondo auri, pacem & veniam impetrarint: Transiit Guido ab Ecclesia sua Virdunensi ad Altissiodorensem mense Februario anni MCCXLVII.

LIII. JOHANNES II. de AQUIS, de vacante Virdunensi Ecclesia provisus per summum Pontificem, non alio Facto Memorabilis reperitur, quam quod anno muneris sui tertio divi Pauli Basilicam Magnifico Opere à Fundamentis inchoavit, moritur anno MCCLIII.

LIV. JACOBUS I. Trecensis, Filius Cerdonis, Divo Thomæ Aquinati maxime familiaris, hinc ad Virdunenses Infulas promotus fuit ab Innocentio IV. Pontifice, à quo etiam mox Hierosolymitani Patriarchatus Honorem promeruit, adscriptus dein in Album purpuratorum Patrum, ad supremam dignitatem Pontificiam ascendit post Obitum Alexandri IV. anno MCCLXI. dictusque est Urbanus IV.

LV. ROBERTUS II. Mediolonensis, datus fuerat Jacobo in sede Virdunensi Successor, anno MCCLIV. Oves sibi concreditas Rexit in pace, in qua & obiit anno MCCLXXI.

LVI.

LVI. Ulricus. Sarnensis, jam grandævus Roberto sufficitur. hic nulla re notus obdormivit in Domino Anno MCCLXXIII.

Vacat sedes per Triennium.

LVII. Gerardus de Granson, ex Primicerio Virdunensi Creatus Episcopus, quo munere unico tantum anno functus est; excessit è vivis Anno MCCLXXVII. Sepultus in Castillionensi Monasterio, quod Bonis suis plurimum Locupletaverat.

LVIII. Henricus II. de Granson. præcedentis Frater Germanus, uterque ex veteri Gente Comitum de Chyni Ortum trahens; hic Episcopali Infula Donatus Anno MCCLXXXIII. Omnem Curam ac Operam in restaurando & perficiendo Castillionensi Monasterio, quod olim ex prædecessoribus suis Albero II. per Radulphum Abbatem Claustrensem inchoaverat, posuit, in eoque post Obitum Sepulturam suam juxta Fratrem suum, invenit Anno MCCLXXXVI.

Vacat sedes integro Quadriennio.

LIX. Jacobus II. Revignæus, ob summam Doctrinam & pietatem à summo Pontifice Virdunensi Ecclesiæ præficitur Anno MCCXC. in tuendis sedis Apostolicæ Juribus & Prærogativis attentissimus, Civium suorum Odium & inimicitias incurrit, à quibus falsò delatus, dum Romam tendit, ut Innocentiam suam probaret, Læthali morbo corripitur Florentiæ, ubi & animam exhalavit Anno MCCXCVI.

LX. Johannes III. Richecuriensis, datus mox Jacobo Successor, Munus Pontificium feliciter administravit: Obiit Anno MCCCII.

LXI. Thomas. de Bello-Monte ex Barrensium Comitum Sanguine progenitus, Ecclesiæ Virdunensis Primicerius, a Bonifacio VIII. Pontifice ad Episcopalem sedem provehitur, in qua annos paucos transegit. Obiit Anno MCCCV. die IX. Kal. Julii.

LXII. Nicolaus I. de Nova-villa ex Canonico Virdunensis Ecclesiæ factus Episcopus; Inconsultam aliquando cum diffidentibus secum Civibus compositionem iniit, dum Imperium & Jurisdictionem Temporalem, quam Prædecessores sui multo Labore hactenus manutenuerant, à se abdicavit: Novas dein ei molestias suscitavit Clerus, quibus nimium diuexatus Pontificium Munus transtulit in Henricum qui sequitur, Anno MCCCXII. cœterum dum Anno MCCCVII. Ordo Militum Templi fuerat suppressus, Nicolaus Ædem illorum, quam Virduni possidebant, Eremitis S. Augustini incolendam dedit, proventus vero sat amplos Monasterio Castillionensi donavit.

LXIII. Henricus III. de Aspero-Monte. Mox ubi in Episcopum inauguratus fuit, distractam ex Prædecessoris sui Pusillanimitate Jurisdictionem fortiter recuperavit, Suorumque Impetum repressit: ex Æde parrochiali S. Mauri juxta Hattonis-Castrum Collegiatam efformavit, Canonicisque de Præbenda sufficienti providit. Obiit pius Præsul die Non Januarii Anno MCCCXLIX. de Ecclesia Virdunensi optime meritus, quam Annis XXXVII. feliciter gubernaverat.

Successit hoc ipso Anno MCCCXLIX. à Clero Electus Henricus de Germineo, quem improbavit Pontifex, adeoque in numero Episcoporum Virdunensium non recensendus.

LXIV. Otho. Pictaviensis, à Clemente VI. Pontifice Virdunensibus Præsul datus, nec Cleri, nec Populi mores probavit, quam ob rem mox Pedum & Infulas ultro posuit, sibique surrogari passus est Hugonem, qui sequitur.

LXV. Hugo de Barro Magnis ac Claris Natalibus ortus, initio sui Pontificatus, blandis Civium suorum hallucinationibus circumventus, Potestatem creandi Magistratum Civilem, iis ultroneè indulsit, verum Re postmodùm attentius considerata, Factum ex authoritate Caroli IV. Imp. annullavit, à quo & novum desuper diploma obtinuit: Peregrinationem Terræ Sanctæ suscipiens, moritur in Monte Sinaii Anno Domini MCCCLXI.

LXVI. Johannes IV. Domo Borbonius, Virdunensem Sedem occupavit annis Novem. Obit Anno Christi MCCCLXX.

Vacat sedes Anno fere Integro.

LXVII. Johannes V. à Fano S. Desiderii dictus, Vacantem Virdunensem Episcopatum à Gregorio XI. summo Pontifice obtinuit; adversa plurima perpessus, obiit Anno MCCCLXXV.

LXVIII. Guido III. Rojâ diocœsis Ambianensis Oppido ortus succedit Johanni in Cathedra Episcopali, nec fuit illo felicior. desiit esse in vivis Anno MCCCLXXVIII.

LXIX. Leobaldus de Cusantia Monachus Luxoviensis, ob Insignem præsertim Juris Canonici peritiam, ad Virdunenses Infulas promotus est. Magna illi & assidua Contentio fuit cum Civibus, quam ut fortius supprimeret in Caroli VII. Gallorum Regis Clientelam se suamque Ecclesiam tradidit Anno MCCCXC. moritur die VI. idus Maij Anno MCCCCIII.

LXX. Johannes VI. de Sarra-Ponte Joannis Cotmarsii & Venisii Domini Filius, magnas, ob exortum in Ecclesia DEI Schisma, pertulit molestias, tandem Episcopatus sui cum Ludovico Barrensi Cardinale permutatione inita, ad Catalaunensem, quem ille tenebat, transiit Anno MCCCCXIX.

LXXI. Ludovicus I. è Ducibus Barrensibus ortus, Cardinalis Portuensis, Catalaunensem suum Episcopatum cum Virdunensi permutavit approbante & confirmante Factum Martino V. summo Pontifice. Interfuerat jam Anno MCCCCVIII. Pysanæ Synodo ut cum aliis Patribus subortum inter Benedictum mIII. & Gregorium mII. de ambiendo Pontificatu Schisma de medio tolleret, ubi familiarissimè usus est Johanne Gersone Cancellario Parisiensi, ac Petro Alliaco postmodum Cardinale. Anno deinde MCCCCXV. Constantiam se contulerat ad Generale & Oecumenicum Concilium, quod illi in omnibus suis Ecclesiasticis Functionibus & Ministeriis pro Regula Constanti fuit. Fratribus Ordinis S. Francisci sub finem Vitæ suæ, Ecclesiam cœnobiumque condidit in Varenna Oppido suo, tunc Virdunensis, nunc vero Remensis diocœsis, Loco, etiam S. Gangulphi Martyrio celebri. Obiit Optimus Præsul Im. Kal. Julii Anno MCCCCXXX.

LXXII. Ludovicus II. Domo Haracuria progenitus, Inauguratur Episcopus Virdunensis mense Augusto Anni MCCCCXXX. verum arrogantes suorum Canonicorum Mores cum tollerare non posset, Guillelmum Abbatem Thierensem (cui vacans per obitum Henrici à Villa, Tullensis Episcopatus obtigerat) induxit ut hac sede sibi relicta ad suam Virdunensem transiret, id quod etiam de consensu summi Pontificis ad effectum perductum est cum summa nihilominus utriusque displicentia, sic ut Neuter sua Sede contentus, nova permutatione inter se inita, ad priorem suam quisque reversus sit, obiit Ludovicus Anno MCCCCLVI.

LXXIII. Guillelmus I. ex Abbate Thierensis Monasterii Ord. S. Bened. Creatus primum Episcopus Tullensis Anno MCCCCXXXVIII. dein ex permutatione cum Ludovico de Harcuria Episcopus Virdunensis, quam sedem cum

rexisset

rexisset Annos Duodecim & menses aliquot, iterum permutavit cum prædicto Ludovico Anno MCCCCXLIX. & ad sibi primitus destinatum Ovile rediit cujus Saluti in omnibus, prospexit, & apud Fridericum III. Imperatorem tantum promeruit, ut antiquatum Comitis Virduuensis Titulum, qua prærogativa Prædecessores sui olim fruebantur, sibi suisque successoribus in perpetuum salvum firmumque obtinuerit. Tandem urgente Philippo Burgundiæ Duce ad Tornacensem Episcopatum transiit, Anno MCCCCLX. eumque simul cum divite S. Bertini Abbatia in Urbe Gandauensi gubernavit feliciter, in qua & Sepulturæ Locum invenit, Anno MCCCCLXXII.

LXXIV. Guillelmus II. Domo Haracuria, Ludovici II. superioris ex Fratre Nepos à Calixto III. Ecclesiæ Virdunensi præficitur Anno MCCCCLVII. III. idus Augusti post dicti Ludovici Obitum. Vir fuit fere semper in Aulis Principum degens Insignisque artis politicæ Magister, Duci Lotharingiæ à Consiliis: primus Vimboii Castrum ædificavit quarto ab urbe Lapide: Dum aliquando Occulté partibus Caroli Burgundiæ Ducis adversus Ludovicum mI. Galliarum Regem favere resque ejus Secretò promovere deprehensus fuisset, ejusdem Regis jussu in Carceres detruditur, in iisque per Annos mV. detentus est: Interim Res Ecclesiæ Virdunensis in deteriora prolabuntur, donec Anno MCCCCLXXIIII. Rumor de Guillelmi morte percrebuit, quo ad Sanctam Sedem perlato, obtinuit Clerus sibi in Episcopum dari Joannem de Lenoncuria, sed idem Rumor mox falsus deprehensus effecit ut ad Instantes Cleri Virdunensis preces Joannes saltem Pro-Episcopi apud eos munere fungeretur. Tandem Anno MCCCCLXXXII. missus in Gallias Legatus Apostolicus Joannes Tit. S. Petri ad Vincula Cardinalis Libertatem Guillelmi his conditionibus à Rege impetravit, scilicet, ut Lotharingiam nunquam amplius ingrederetur, & Episcopatum Virdunensem in gratiam Nicolai Archi-Episcopi Atheniensis (qui tunc forte in comitatu Cardinalis erat) Resignaret accepto in vicem Episcopatu Vintimiliano in Ditione Genuensi sito: Verum mortuo Ludovico Rege, Guillelmus abjecto omni timore Virdunensem Cathedram repetit, & diocœsanos olim suos tot tantisque malis exagitat, ut Nicolaus Præsul pacis & publicæ tranquillitatis amantissimus, maluerit nova rerum permutatione facta cum Guillelmo, ad sedem suam Vintimiliensem redire, quam tantæ Miseriæ diutius esse Spectator. Obiit Guillelmus senio gravis Anno MD. die m. Kal. Martii.

LXXV. Nicolaus II. de Nicolinis, Italus, Episcopus Vintimiliæ ac simul nominatus Archi-Episcopus Atheniensis, Vir pius, qui postquam Episcopatum suum permutasset cum Virdunensi, ut supra ostendimus; ob Pacis ac Boni publici amorem, hoc Virdunensi dimisso, Vintimiliam reversus est, reservata sibi annua pensione CCC. aureorum in quam se Guillelmus obligaverat, probante Pontifice.

LXXXVI. Varicus. à Domp-Martino, Abbas Gorziensis, Opera Nicolai II. prædecessoris sui, mortuo Guillelmo Haracurio Sedem vacantem obtinuit VIII. Kal. Martii Anni MD. authoritate Alexandri VI. Pont. max cum esset inaugurationis suæ parum cupidus, Gerardum Cetaucurium in Cor-Episcopum accepit (erat is Abbas Vitoninus homo plus æquo Liberalis) tandem Varicus nulla re Clarus, Obiit Nonis Quintilibus Anni MDVIII. cum sedisset Annos VIII. menses IIII. dies mIII.

LXXVII. Ludovicus Renati siciliæ Regis ac Lothatingiæ Ducis ex Philippa Adolfi Gelriæ Ducis Filia; cum esset adhuc annorum Im. designatur Virdunensis Episcopus à Julio II. summo Pontifice hac interposita conditione ut Cardinali Urbino quotannis penderet Censum Mille aureorum: datus est insuper Ludovico in Cor-Episcopum Nicolaus Gobertyus Canonicus Ecclesiæ Cathedralis. Demum Anno MDmmII. Ludovicus deposito Clericali habitu fit Comes Vademontanus, & Episcopatum suum Johanni Cardinali, Germano suo, dimittit.

LXXVIII. Johannes VII. Frater præcedentis, Anno ætatis suæ IV. designatur Episcopus Metensis, dein Anno MDmVII. transit ad Tullensem Ecclesiam Creaturque Cardinalis anno mox sequenti a Leone m. Pontifice: Demum Virdunensis Episcopus

inauguratur Anno MDXXIII. cedente in ejus Gratiam Fratre suo Ludovico, ut mox vidimus; Interfuit Electioni Pauli III. Papæ Anno MDXXXIV. denique Episcopatum Virdunensem Resignat Patrueli suo, qui sequitur.

LXXIX. NICOLAUS III. Antonii Ducis Lotharingiæ Filius, Abbas Gorziensis, ex Libera Cessione Joannis VII. Virdunensem Cathedram obtinet; verum extincto Anno MDXLV. Francisco Lotharingiæ Duce, ad totius Provinciæ Regimen assumitur, Tutor curatorque Caroli hodie Regnantis quare ad statum Sæcularem transiens, Comes Vademontanus audiri maluit, reposito Episcopatu Virdunensi in manus Joannis VII. à quo illum acceperat.

XIII.

DIPLOMATA ET EPISTOLÆ VARIÆ.

I.

Ottonis III. Imp. Præceptum, quo Ecclesiæ Herbipolensi Curtem Saltz cum appenditiis donat.

Ex Apographo. An. 1000.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. OTTO Tertius Romanorum Imperator Augustus, omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelium nostrorumque tam præsens quam futura comperiat multitudo: qualiter nos Domino HERIBERTO Venerabili Archi-Episcopo postulante, BERNHARDO que Duce Egregio precibus obnixis Supplicante, ob Remedium animæ Genitoris nostri, nostræque Matris THEOPHANÆ Imperatricis Augustæ, nec non propter Ineffabilem Dilectionem & Obsequium Domini HEINRICI Venerandi Pontificis, Sanctissimæ Dignissimæ que Sedi Wirciburgensi, in qua idem Venerandus Antistes Venerabiliter preesse dinoscitur, ad Honorem Mediatoris Dei & Hominum Salvatoris Mundi dedicatæ, in Venerationem preciosissimorum Martirum Kiliani, Colonati, atque Totnani constructæ, dedimus, Largitisumus & firmissima Traditione Donavimus Castellum & nostri Juris Curtem Saltz dictam, & omnia quæ ad eam pertinent: tantummodo Prædiolum excipimus quod Gotzoni antea Donavimus, sicut in Carta sua Legitur, atque memoratum castellum curtemque modo habitam & Villas ac Silvas immo quendam Pagum Saltzgovve dictum cum omnibus pertinentiis, utensilibus, possessionibus servis seu ancillis, Litonibus, Tributatiis, Familiis, Ecclesiis, Oppidis, Arbustis, Lucis, Areis, Ædificiis, utriusque Sexus mancipiis Agris, Pratis, Campis, Pascuis, Silvis, Venationibus, Bannis, Aquis, aquarumque decursibus, Molendinis, piscarionibus tam quæsitis quam inquirendis ceterisque omnibus, quæ adhuc dici aut Inveniri possunt, pro utilitate Sanctæ Wirceburgensis Ecclesiæ in proprium firmissime tradidimus & de nostro Jure in Jus & Dominium Egregii Martiris Christi Kiliani omnino transfudimus & alienavimus; tali scilicet Ordine, ut idem prædictus Heinricus Pontifex omnesque sui antecessores in perpetuum eandem Proprietatem totam in omnibus securiter possideant, teneant, & quicquid eis libuerit ad utilitatem suæ Ecclesiæ faciant, nostra, omniumque nostrorum successorum & omnium Mortalium objectione usque Finem Sæculi & Diem Judicii Longe remota, & ut hæc Traditio firmior omnibus sit temporibus hanc paginam manu nostra corroboravimus, & Sigillari Precepimus.

Signum Domini OTTONIS Cæsaris Invictissimi.

HERI.

Heribertus Cancellarius Vice Willigisi Archi-Episcopi Recognovit.

Dat. Idus Maij. Anno Domin. Incarnationis Millesimo. Indict. XIII. Anno Tertii Ottonis Regnantis XVI. Imp. IIII. Actum Aquisgrani feliciter Amen.

II.

Præceptum Henrici II. Imp. quo Commutationem quorundam Bonorum inter Henricum Herbipolensem, & Eberhardum Bambergensem Episcopos initam confirmat.

Heinricus Divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus, Omnium Ex authen- Fidelium nostrorum præsentium ac futurorum volumus Universitati pateat, quod tico. Heinricus Wirciburgensis, & Eberhardus Babenbergensis Ecclesiæ Episcopi, no- An. 1017. stram adeuntes Clementiam rogaverunt ut unum concambium quod considerato Ecclesiarum suarum commodo ex communi suorum Clericorum atque Fidelium Laicorum consensu inter se fecerunt, nostræ notitiæ manifestum nostrique Imperialis Præcepti auctoritate esset roboratum; quo circa considerantes eorum justam petitionem votisque annuentes, prædictum Concambium qualiter inter eos firmatum esset exponere jussimus; & inprimis retulit Episcopus Wirceburgensis contulisse se Ecclesiæ Babenbergensi per manum Legitimi Advocati Abbatiam Erlangun, & Foreheim, & Eggolvesheim, & Kirsebah, & quatuor Piscatores in Camerin, cum eorum Terris omnibusque appenditiis ad præfatas Villas pertinentibus, cum agris, Campis, Areis, mancipiis, pratis, pascuis, Silvis, Venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, Molendinis, cultis & incultis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quesitis & inquirendis atque earundem Villarum decimationes præter hæc & Decimationes illarum villarum quæ nunc ad Holefelt pertinent, & olim pertinere visæ sunt in Pago Ratingôwe, in Comitatu Adalberti Comitis: Eberhardus vero Babenbergensis Ecclesiæ Præsul, Professus est perpetuam Traditionem se fecisse Wirciburgensi Ecclesiæ per manum Publici Advocati, de Tunigeshof in Pago Badenigowe in Comitatu Gumberti Comitis, & Triessenfelt in Pago Waltsehin in Comitatu Gerungi Comitis, & de mancipiis utriusque Sexus ad eadem Loca pertinentibus, agris quoque & Campis, areis pratis, pascuis, silvis, venationibus, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis cultis & incultis viis & inviis exitibus & reditibus quesitis & inquirendis; proinde audita & considerata utrorumque Præsulum in alterutrum Legitima traditione, & quia prædictum Concambium ratum & rationabile esse ex utraque parte nostræ discretioni apparet, per hanc nostri Imperialis Præcepti Paginam, utrique Ecclesiæ quod mutua traditione collatum est confirmamus & Corroboramus in perpetuum habere & tenere & ad Jus & proprietatem tam istos quam Successores eorum Præsules suæ Ecclesiæ rata & inconvulsa stabiliter possidere, ea videlicet ratione ut tam prædicti Præsules quamque Successores eorum Liberam habeant potestatem de omnibus quæ Superius comprehensa sunt ad usum & utilitatem suarum Ecclesiarum Ordinandi, Commutandi, & quidquid eorum decreverit voluntas faciendi omnium hominum Regni nostri contradictione remota, & ut hæc nostræ auctoritatis Pagina omni Tempore stabilis & inconvulsa permaneat, eam manu propria robotantes Sigilli nostri Inpressione jussimus Insigniri.

Signum Domini Heinrici Invictissimi Imperatoris Augusti.

Cunctatius Cancellarius auctoritate Erchanbaldi Archi-Episcopi & Archi-Cancellarii Recognovi.

Anno Dominicæ Incarnationis MXVII. Indict. XII. Anno verò Regni Domni Heinrici Imperatoris Augusti XIII. Imperii verò IIII.

Actum VII. Kal. Novembris Altenstetin feliciter Amen.

III.

Conradi II. Imp. Præceptum quo simul cum Henrico Filio Rege, universas possessiones & Bona Ecclesiæ Bambergensi confirmat.

Ex Authentico. An. 1034. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. CUONRADUS Divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus. & HEINRICUS Tertius Rex Filius ejus; in Examine cuncta DEI conspicientis æquale meritum credimus fore dantis & corroborantis: Credimus etiam ad Imperialem nostram Majestatem pertinere Totius Regni Curas statumque Imperii præcipueque omnium Sanctarum DEI Ecclesiarum Commoda considerare & omnia eisdem adversantia sub omni festinatione abolere ne vel gravi incommoditate vilescant, vel qualibet nostra Culpa, orta occasione à pristino Cultu & Religione recedant, quatenus dum hæc pro amore pariterque timore DEI fideliter peragimus, illorum qui hæc DEO pio affectu contulerunt Meritis & Gloria communicemus: proinde omnibus in Christo Fidelibus, scilicet tam futuris quam præsentibus Notum esse volumus qualiter ob hanc spem, per Interventum dilectissimæ nostræ Imperatricis GYSELÆ, pro amore etiam dilecti Fidelisque nostri EBERHARDI, primi Sanctæ DEI Babenbergensis Ecclesiæ Episcopi, eundem Locum à Divo Imperatore HEINRICO secundo, Antecessore nostro, pro sua suorumque anima in Episcopatum, Divina Inspirante Clementia, perfectæ Fidei, Spei, Charitatisque Devotione in honorem Principis Apostolorum Petri & Sancti Georgii Martiris sublimatum, Consensu Fidelium nostrorum sancimus & omnium contradictione remota Imperialis nostræ Majestatis authoritate corroboramus: Omnes etiam res mobiles & immobiles ejusdem Sanctæ DEI Ecclesiæ, quas ipse Divus Imperator pro ardore Cœlestis patriæ ibidem larga manu contulit ea ratione confirmamus, ut Fidelis noster Eberhardus ejusdem Loci primus Episcopus, ejusque in perpetuum Successores Secura eas tranquillitate possideant & Liberam potestatem habeant Res & proprietates ejusdem Ecclesiæ cum Consensu Cleri & populi ordinare, componere, commutare, & augmentare: Nostra quoque authoritate Sancimus ut in Abbatiis, Monasteriis, Comitatibus, Foris, Mercatis, Monetis, Naulis, Theloneis, Castellis, Villis, vicis, areis, Servis, ancillis, Tributariis, Decimis, Forestibus, silvis, venationibus, piscationibus, molis, molendinis, aquis, aquarumque decursibus Campis, pratis, pascuis, Terris, cultis & incultis, Libris, auro, argento, Gemmis, Vasis, ornamentis, vel aliquibus utensilibus, in Cultum & Religionem DEI ibidem collatis & in omnibus Terminis Rebusque ejusdem Ecclesiæ, ac quicquid ad præsens illuc pertinet vel ex his amplificari potest, nulla sit Infestatio Tyrannorum, nulla potestas ibi per violentiam irruat, nullus ibi Comes aut Judex Legem facere præsumat nisi quem per concessionem nostram vel successorum nostrorum Regum scilicet & Imperatorum Episcopus ejusdem Loci deliberet, sit ille Episcopatus Liber, & ab omni extranea & iniqua securus potestate quatenus ibidem DEO Famulantes, & primi Constructoris Memoriam digne celebrare nosque Fautores & Corroboratores possint & velint DEO precibus suis commendare, & ut hæc nostræ authoritatis Traditio firma & inconvulsa permaneat, hoc Privilegium inde conscriptum manu propria corroborantes Bullæ nostræ impressione jussimus Insigniri.

Datum XI. Kal. Maij Anno Dominicæ Incarnationis MXXXIIII. Indict. II. Domino CONRADO Regnante Anno X, Imperante verò VIII. Actum RATISPONÆ feliciter.

IV.

IV.

Præceptum Henrici IV. Regis quo ejusdem Bambergenſis Eccleſiæ Bona, Jura & Immunitates pariter corroborat.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS Divina favente Clementia Rex. Si ea quæ à Prædeceſſorum noſtrorum, ſive Regum, ſive Imperatorum, Locis Divino Cultui conſecratis Sacra & Veneranda Religione collata ſunt devote ac benigne confirmamus, nos quoque à DEO Patre certam Remunerationem in futuro accipere Speramus, unde notum eſſe volumus tam futuris quam præſentibus qualiter nos ob Interventum dilectiſſimæ Matris noſtræ AGNETIS Imperatricis Auguſtæ, & pro amore dilecti ac Fidelis noſtri GUNTHERI Sanctæ DEI Babenbergenſis Eccleſiæ Epiſcopi eundem Locum à Divo Imperatore HENRICO ſecundo, pro ſua ſuorumque anima in Epiſcopatum Divina inſpirante Clementia perfectæ Fidei, Spei, Charitatiſque Devotione in honorem Principis Apoſtolorum Petri & S. Georgii Martyris ſublimatum, conſenſu Fidelium noſtrorum Sancimus & omnium contradictione remota, Regalis noſtræ Majeſtatis authoritate corroboramus, omnes etiam res mobiles & immobiles ejusdem Sanctæ DEI Eccleſiæ quas ipſe Divus Imperator pro ardore Cœleſtis Patriæ ibidem larga manu contulerat, vel quocunque modo juſte ac legaliter prænominato Epiſcopio aggregatæ ſint ea ratione confirmamus, ut Fidelis noſter Guntherus ejusdem Loci Epiſcopus, ejusque Succeſſores, Secura eas tranquillitate in perpetuum poſſideant & proprietates ejusdem Eccleſiæ cum Conſenſu Cleri & Populi ordinare, componere, commutare & augmentare Liberam poteſtatem habeat: Noſtra quoque authoritate Sancimus ut in Abbatiis, Monaſteriis, Præpoſituris, Eccleſiis, Comitatibus, Mercatis, Monetis, Theloneis: Caſtellis, villis, Areis, Decimis, Campis, pratis, Rebusque ejusdem Eccleſiæ, ac quidquid ad præſens illuc pertinet vel adhuc amplificari poterit, nulla ſit infeſtatio ſive Regum ſive Imperatorum, nullaque poteſtas ibi per Violentiam irruat, nullus ibi Comes aut Judex Legem facere præſumat, niſi quem per conceſſionem noſtram vel ſucceſſorum noſtrorum Regum ſcilicet & Imperatorum Epiſcopus ejusdem Loci deliberet, ſit ille Epiſcopatus Liber, & ab omni extranea & iniqua ſecurus poteſtate, quatenus ibidem Domino famulantes & primi Conſtructoris Memoriam digne celebrare nosque Fautores & Corroboratores poſſint & velint Deo precibus ſuis commendare; & ut hæc noſtræ authoritatis confirmatio firma & inconvulſa permaneat hoc Privilegium inde conſcriptum manu propria corroborantes Sigilli noſtri impreſſione Juſſimus Inſigniri. Ex Authentico. An. 1058.

Data VII. Kalend. Octob. Anno Dominicæ Incarnationis MLVIII. Indict. XI. Anno autem Ordinationis Domini HENRICI Quarti Regis V. Regni verò II. Actum TREBERNII in DEI Nomine feliciter.

V.

Charta Ruthardi Archi-Epiſcopi Moguntini, qua univerſas Poſſeſſiones & Bona Monaſterii S. Petri Erfordiæ in Singularem ſuam protectionem recipit.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum ſit omnibus Chriſti Fidelibus tam modernis quam poſt futuris, quod Ego RUTHARDUS Moguntinæ Sedis Archi-Epiſcopus Ratum eſſe Cenſeo quidquid Religioſis Inſtitutis meorum Prædeceſſorum Sancitum eſt, & quod per Negligentiam, aut per antiquitatem aut per oblivionem depravatum eſt Reſtauro, & Inſtituo Liberaliter & Devote, juxta Conſilium Virorum Catholicorum quorum Conſilio & Conſtantia firmatur Abbatia S. Petri in Erpesfurt, in meam protectionem aſſumo, & omnes Zelum DEI habentes qui eidem Monaſterio & Ab- Ex Chartario Monaſt. S. Petri. An. 1104.

batiæ se conjunxerint permansuros: Ego quoque Majorum meorum Consilio consentiens Litterarum & Sigilli mei Confirmatione & sub vinculo anathematis decerno ut ipse Locus, & omnia quæ habet in prædiis, in mancipiis, pascuis, silvis, areis, & in omnibus possessionibus modo habitis seu habendis & hic subscriptis, in Erpesfurt, in Alch, Giltersleyben, Tutilstette, Wegeserren, Mulhusen, Diffentale, Frankenrode, Asschara, Gothenstete, Udenstete, Tuseleyben, Kirsperleyben, Urpeche, Tuteleyben, Aroldeshusen, Summeringen, Hackkensteten, Linderbeche, Gallenhusen, Dachlhebeche, Toronua, Bezzingen, Mongestella, seu adhuc justè adipiscendis, à nullo Lædatur, à nullo malitiose gravetur, sit Liber ab omni Sæculari exactione, ab Advocatorum seu aliarum Laicarum personarum prægravatione, in Eligendo defensore Liberam in Deo habeant potestatem, ita sane quem ipse Abbas decreverit acceptandum: siquis autem contra nostram auctoritatem Locum prædictum inquietaverit cum Diabolo nunquam Salvandus æterno deputetur Incendio, quod Nos ratum & Inconvulsum permanere volentes, Chartam hanc Sigilli nostri impressione confirmamus.

Hujus rei Testes sunt Embricho Præpositus, Otto Præpositus, Heinricus Moguntinæ Sedis Archidiaconus, Conradus Comes, LUDEWICUS Comes, & ejus Filius EREWINUS Comes & ejus Filius GOZMARUS Comes. Biligrim de Driforte, Embricho, Vulferich, Remboto, Ditmar, Saxo.

Acta sunt hæc Anno Incarnationis Dominicæ MCIIII. Indict. XIII.

VI.

Charta Embriconis Episcopi Herbipolensis, qua Clerum & Populum suum invitat ad Restaurationem Ecclesiæ Cathedralis, quod Opus Euzelino celebri Architecto committitur.

Ex Authentico. An. 1133.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego EMBRICHO quocumque ipsius Nutu Ecclesiæ Wirceburgensis Episcopus, omnibus credentibus in Christum tam futuris quam præsentibus & specialiter Carissimis Filiis nostris Wirceburgensium Clero & Populo æternam precordialiter salutem opto. Cum Majoris Ecclesiæ nostræ Tectum propter annosam vetustatem jam penitus dilapsum esset, & jam casum Ruinamque minitaretur, sollicitè cogitavimus quomodo & hoc malum declinare & totum Monasterium in melius reformare possemus, & quia bonis semper studiis Deus præsto est, acclamantibus omnibus Civibus nostris assignatus est nobis Vir Bonus, qui & præclari operis Pontem nobis fecit, EUZELINUS Laycus, cui Nos in reparanda & ornanda Ecclesia nostra curam & Magisterium dedimus, pulchro satis & felici Ordine, ut qui Pontem viam ad Monasterium fecerat ipse quoque per instauratum Monasterium ad Regale conscenderet, hoc est ad Celeste Palacium, si quis igitur cum Propheta Decorem Domus DEI diligat, ut Prophetæ mercedem accipiat, minutum quod à vidua oblatum & à Domino Laudatum est, prudenter attendat, & ita quisque de sua Facultate Libenter ad hoc opus offerat ut in Domo DEI decoram mansionem pro sua oblatione recipiat: ut autem prædictus Vir Bonus Euzelinus Libentius hujus Operis curam gereret, Capellam, quam ipse in suburbio nostro Bleihchaha construxerat, Liberam nostra auctoritate fecimus, & à Parrochia ad quam pertinebat ita consilio Fratrum absolvimus, ut Populus qui circa eandem Ecclesiam habitat, proprium inibi Sacerdotem, & tam Baptismum quam Sepulturam in perpetuum habeat, sed & ipse Sacerdos nummos qui missales vocantur, ita annuatim colligat, ut duplam eorum partem Fratribus Majoris Ecclesiæ in Cena Domini offerat, & tertiam partem sibi ipse retinear, nullum Respectum ad quemcumque habeat nisi ut à Decano Majoris Ecclesiæ primitus investiatur, & de manu Episcopi Donum Altaris accipiat, & cum cæteris presbiteris Archidiacono nostræ Civitatis obediat: Omnem igitur vicum qui inter Flumen Moganum & illam stratam interjacet, quæ à muro Civitatis ducit ad Molendinum Abbatis de S. Stephano, illum inquam vicum, omnesque ejus habitatores inpostetum eidem Ecclesiæ adterminavimus, nichilominus Præfati Euzelini petitionibus annuentes ut nullus in eadem Ecclesia Sacerdos sit, nisi ille qui Populo ejusdem Ecclesiæ per se

per se ipsum præesse velit, nullusque alius nisi de cognatione ejusdem Euzelini presbiter in perpetuum ibi constituatur, nisi forte qui dignus sit in illa cognatione inveniri non possit, & quod hoc omne salubri consilio & ex Caritate fecimus præsentem Cartam ita Sigillo nostro & Banno firmavimus ut illum Caritatis æternitas nesciat qui eam violare aut temere immutare præsumat. Hujus rei Testes sunt. Otto Præpositus. Babo Decanus. Hertuvicus; Gebehardus. Sigefridus. Bruno. Cunradus. Burchardus. Berngerus. Wicgnandus. Emicho. Laici, Godeboldus Comes Rubertus & Filius ejus Gerwicus.

Facta autem sunt hæc Anno ab Incar. Domini MCXXXIII. Indict. VII. Regnante Glorioso Romanorum Rege LOTHARIO hujus Nominis II. Anno Regni ejus IX.

VII.

Friderici I. Regis præceptum solemne confirmatorium Arnoldo II. Archi-Episcopo Coloniensi concessum, pro recuperandis Prædiis ad Mensam Archi-Episcopalem Spectantibus, perperam in Feudum concessis.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. FRIDERICUS Divina favente Clementia Romanorum Rex Augustus; Quoniam Ordinatione Excellentissimæ Majestatis in Culmine Imperii constituti Summam Rerum Regendam suscepimus, dignum Duximus Singulis personis, & cunctis Ecclesiis in nostro Imperio sitis sua Jura inviolabiliter conservare, & Ecclesias DEI tam Opibus quam Dignitatibus Locupletare: Eo nimirum Æquitatis, & nostræ Præceptionis Favore Coloniensi Ecclesiæ Clementer providentes, Possessiones quæ quorundam Archi-Episcoporum Negligentia à Mensa seu Eleemosyna Episcopali alienata fuere, sicut in Conspectu Patrui nostri Serenissimi Romanorum Regis CONRADI III. Charissimo nostro ac prudentissimo Nostri Ævi Principe ARNOLDO II. Coloniensi Archi-Episcopo ab innumeris Principibus & tota Curia Coloniæ judicatum est, decrevimus auctoritate nostræ Majestatis confirmare, & rei gestæ seriem præsenti pagina certissime annotare: Coloniensis siquidem Ecclesia Opibus & Dignitatibus olim florentissima, nunc quorundam Negligentia Archi-Episcoporum & præcipue FRIDERICI, qui ob quosdam Bellorum Tumultus Gratiam Imperatoriæ Majestatis offendit, & in eadem Bellorum Tempestate, Bona de Mensa & Eleemosyna Episcopali inbeneficiavit, graviter attrita est & conquassata, & quia Coloniensi Sede vacante, Divina favente Gratia Electus est ibidem in Archi-Episcopum Arnoldus Major in Colonia Præpositus, & Domini Conradi III. Romanorum Regis Cancellarius; Vir utique præclarus Genere, Expertissimus prudentia, Spectabilis honestate; hic cum à Clero & Populo uniformiter ac Regulariter in Archi-Episcopum electus ad Pontificalem Dignitatem traheretur, & à Gloriosissimo Domino Conrado III. Romanorum Rege Iuvestituram Episcopatus, sub Obtentu Regiæ Gratiæ, Ecclesiâ humiliter & cum Lacrymarum Devotione ad pedes ejus prostratâ, sæpius juberetur, modis omnibus renisus est constantissime prætendens Episcopatum usque adeo distractum & Laceratum esse ut suas pro eo Divitias, suam Pacem pro tanta inquietudine nullatenus velit commutare, humiliter etiam proponens se ad Pontificale Onus omnino esse insufficientem: Verum Serenissimus Augustus Dominus Conradus III. Romanorum Rex, prædicti Electi personam toti Regno & Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ salutiferam agnoscens, motus etiam Lacrymosis Precibus Devotissimi Cleri & Populi, eidem Electo alienatorum Restaurationem & Lapsorum reparationem Clementer obtulit & firmiter promisit: post hæc vero in eadem Urbe Memoratus Dominus Conradus III. Romanorum Rex in celebri Curia à multis & præcipuis Regni Principibus judicium requisivit super Bonis à Mensa seu Eleemosyna Coloniensi Archi-Episcopi alienatis, & iidem Principes & tota Regia Curia Judicium dedit, quod quotidiana servitia ad Episcopalem Mensam pertinentia nequaquam inbeneficiari vel invadiari Jure possint eo quod Regno & Ecclesiæ debeantur: quod si quis fecerit, successori suo nullum faciat Beneficii præjudicium, vel apud eum ratum Jure

Ex Authen. An. 1153.

Beneficii teneatur: ex hoc sano judicio piissimus Romanorum Rex Conradus præfato Arnoldo, tunc Coloniensi Electo, in omnibus Bonis quæ ab Episcopatu alienata fuerant, Regia authoritate pacem indixit: primo vero Nostri Principatus Anno in Burgo Tremonia à Multis Principibus in nostro Conspectu antefato Arnoldo Venerabili Coloniensi Archi-Episcopo judicatum est, quatenus omnia Bona quæ Fredericus quondam Coloniensis Archi-Episcopus in eo Bellorum tumultu, quo Gratiam Imperatoriæ Majestatis offendit, inbeneficiavit, ad potestatem Archi-Episcopi redire debere; nec tales Donationes, quæ contra Pacem Regni Factæ dignoscuntur, aliquam vim Juris habere; Secundo vero Nostri Principatus auno, in Festo Pentecostes in Urbe Wormatia Curiam Solemnem celebrantes Rogati sumus per præfatum Arnoldum Venerabilem Coloniensem Archi-Episcopum Testimonium Veritatis Audire; unde Judicio Curiæ idem Arnoldus Coloniensis Archi-Episcopus Legitimo Testimonio Nobilium Virorum videlicet Comitis de Arnisbergh & Marcuvardi de Grumbach in nostro Conspectu & Principum præsentia comprobavit, præfatum Judicium se coram Domino Conrado Romanorum Rege Tertio Coloniæ accepisse, scilicet, ut nulli Episcoporum Licitum sit Bona ad Mensam pertinentia inbeneficiare vel invadiare, quod si quis fecerit, successori suo nullum faciat Beneficii præjudicium, nec apud eum Ratum Jure Beneficii sive Pignoris teneatur: Inde Illustris Dux Bavariæ Henricus Patruus noster à nobis commonitus judicavit, Coloniensem Archi-Episcopum ita Legitime jam dictum produxisse Testimonium, ut Jure nostrâ sit illi auctoritate confirmandum, consequenter Judicium approbantibus multis Principibus, quorum Nomina in Testimonium hujus Pagina subternotata sunt.

Ut Igitur ea quæ ad nostram Cognitionem perveniunt, & judicialis sententiæ Finem accipiunt perpetuo Robore illibata & inconvulsa permaneant, præsentem Paginam omni Ævo valituram conscribi, & nostræ imaginis Caractere Signari jussimus, firmisse statuentes ut Judicium quod coram gloriosissimo Conrado Romanorum Rege Patruo nostro, Coloniæ, sicut præscriptum est, de Possessionibus Coloniensis Episcopatus à Principibus prolatum & in nostra postmodum præsentia præfato modo apud Wormatiam Legitimo Testimonio comprobatum est, judicium quoque quod de Bonis Coloniensis Archi-Episcopatus per Fredericum quendam Archi-Episcopum alienatis in nostro Conspectu apud Tremoniam, sicut præscripsimus, est promulgatum, nullus Hominum audeat temerare, & omnia Bona quæ præfatus Arnoldus Venerabilis Coloniensis Archi-Episcopus his fretus Judiciis recollegit, scilicet Thelonium Urbis Coloniæ & multa Episcopalia Servitia, Nemo ab ipsius usu & potestate, suorumque Successorum avellere præsumat: Nihilominus etiam Sanximus & in perpetuum confirmamus quatenus quascunque Possessiones idem Coloniensis Archi-Episcopus, data Pecunia, Ecclesiæ conquisivit vel requisivit, ipse, suique Successores perpetua pace possideant, videlicet Udenkirchen, cum Ministerialibus cum Servis & Ancillis,* & omnibus appendiciis suis, in Wisfalia Curiam nomine Homede, Curiam quoque Anerust, Prumeam, Segerode, Wermunte, Wynusen, Bona quoque quæ habent Ministeriales in Geversdorp, confirmamus eidem Arnoldo Archi-Episcopo, quicquid auxiliante Divino Favore Ecclesiæ suæ de cœtero acquirere vel colligere Jure poterit, quod si qua Sæcularis vel Ecclesiastica persona hanc nostram violaverit Sanctionem, Regiæ Majestatis Offensam se noverit incurrisse, quousque à sua præsumptione manum retrahat & pro Mandati Regii transgressione XX. Libras Auri in Camera nostra persolvat.

Hujus rei Testes sunt Cunradus Wormatiensis, Guntherus Spitensis, Burckardus Argentinensis, Cunradus Augustensis Episcopi. Waltherus Majoris Ecclesiæ in Golonia Præpositus, Albertus Decanus, Depoldus Xantensis Præpositus, Nicolaus Abbas de Sigeberg, Arnoldus Præpositus S. Andreæ, Udalricus de Susatz Præpositus, Henricus Dux Bavariæ, Henricus Dux Saxoniæ & multi Principes. De Familia S. Petri Hermannus Advocatus, Henricus de Wolmundestein, Henricus de Alphein Adolphus Dapifer, Randulphus Pincerna, Rapoto de Udenkirchen, Almericus de Wormisdorp & alii multi.

Signum

Signum Domini FRIDERICI Romanorum Regis Invictissimi.

Ego ARNOLDUS Cancellarius Recognovi.

Datum in Urbe WORMATIA XVIII. Kal. Julii Anno Dominicæ Incarnationis MCLIII. Indict. I. Regnante Glorioso Rege FRIDERICO, Anno Regni sui II. in Christo Feliciter, Amen.

VIII.

Ejusdem Regis Diploma alterum, quo Walthero Præposito Coloniensi, suisque Successoribus, Advocatiam Villæ Worunch confirmat.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. FRIDERICUS Divina favente Clementia Romanorum Rex, quoniam humanus animus ex Infirmitate sociati sibi Corporis ag- gravatus & nunc ignorantiæ nunc oblivionis induitur Tenebris, Necessaria nobis Inventa sunt suffragia scripturarum, quibus & adserimus Ignota, & quæ nota sunt Memoriæ commendamus: Igitur inter cætera quæ perpetua Digna sunt Recordatione & in memoriam habita, Paci consulunt & conferunt utilitatem, Modernis notum facere & futuris notificandum scripto commendare Dignum Duximus; qualiter ARNOLDUS II. Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus Venerabilis ante Ordinationem suam, dum adhuc Coloniæ in Majori Ecclesia Præpositura fungeretur Officio Advocatiam de Villa Worunch quæ ab omni Hærede Libera post decessum Comitis Juliacensis GERHARDI Junioris, in manu tenebatur piæ memoriæ ARNOLDI Coloniensis Archi-Episcopi I. datis Centum Marcis argenti acquisivit, eamque tali recepit Conditione, ut nullus de cætero super eandem Villam vel haberetur vel constitueretur Advocatus nisi ipse, vel qui ei in Præpositura Ordine succederet Ecclesiastico; aperuerat enim supradictus Arnoldus tunc Præpositus oculum Pietatis super afflictos & ad extremam Paupertatem redactos supranominatæ Villæ inhabitatores, quos Advocatorum frequens Oppressio ad miserabilem & nefandam incurvaverat Egestatem; hanc Advocatiam de manu Arnoldi I. Coloniensis Archi-Episcopi, ab Arnoldo ejusdem Ecclesiæ tunc Præposito licenter & Legitime Libello tam donationis quam Confirmationis acceptam, à Patruo & Prædecessore nostro Glorioso Romanorum CUNRADO III. ei confirmatam Banno Regio, vera certaque Relatione cognovimus: Ea propter dum secundo Solii nostri Anno, Diebus Pentecostes in Urbe Wormatia Famosam celebraremus Curiam, Arnoldum II. Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopum Venerabilem ad Nos venientem digna debitaque Familiaritate suscepimus, & tam juxta petitionem suam justam, quam juxta Prædecessoris nostri Gloriosi Romanorum Regis scripta, & Arnoldi I. Prædecessoris sui, præsenti Attestationis nostræ Pagina Advocatiam de Villa Worunch, salva per omnia potestate & justitia Coloniensis Archi Episcopi, ad cujus Auxilium Subditis suis semper erit recurrendum, Præposito Majoris Ecclesiæ in Colonia WALTHERO suisque in eadem Præpositura Successoribus confirmamus, & per præsentem paginam corroboravimus, quam & imaginis nostræ Charactere Signari jussimus, firmiter & sub Offensa Regiæ Majestatis interdicentes ne quis adversus Præceptum nostrum ausu temerario in Advocatiam sæpius nominatæ Villæ manum mittere præsumat, vel aliquam Injuriam Majoris Ecclesiæ in Colonia Præposito facere de ea audeat, quod si quis Rebellis & contumax hanc nostræ Præceptionis confirmationem servare contempserit Regiæ Majestatis Offensam se noscat incurrisse donec resipiscens à sua præsumptione desistat, & pro Mandati nostri obstinata transgressione XX. Libras auri Gazis Regiis accumulet; ad hujus rei Manifestam certitudinem Posteris relinquendam & omnem auferendam Dubietatem de Principibus Regni nostri, quorum ad celebrandam Curiam non parva confluxerat multitudo, quosdam jussimus subscribi sub quorum præsentia & Testimonio præsens pagina efficacem in perpetuum recipiat authoritatem.

Ex authen. An. 1153.

ARNOLDUS Coloniensis Archi-Episcopus, CONRADUS Wormatiensis Episcopus, Henricus Dux Bavariæ, Bertholdus Dux de Zeringen, Hermannus Comes Palatinus de

de Rheno, Henricus de Lemburg Henricus Comes de Namurco, Ludovicus Comes de Loz, Hermannus de Cuick, Godefridus Comes de Arnisperg, Theodoricus Comes de Hollandia, & alii multi Nobiles & Ignobiles honesti Testimonii Viri.

Signum Domini FRIDERICI Romanorum Regis Invictissimi.

Datum est in Urbe WORMATIA XVIII. Kal. Julii Anno Domini Incarnationis MCLIII. Indict. I. Regnante Gloriosо Rege FRIDERICO, Anno Regni sui II. in Christo Feliciter, Amen.

IX.

Ejusdem Imp. Diploma Tertium, quo anteriorum Regum ac Imperatorum Privilegia Ecclesiæ Herbipolensi concessa confirmat, aliaque superaddit.

Ex authentico. An. 1168. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, FREDERICUS Divina Clementia favente Romanorum Imperator & semper Augustus; Imperialem Celsitudinem decet Predecessorum suorum pia Facta non solum inviolabiliter conservare, sed etiam Censuræ suæ authoritate alacriter & solenniter confirmata perhenni Commendare Memoriæ, ne quod à Divis Imperatoribus ad Laudem Dei Necessitatibus Ecclesiarum, & Saluti Provinciarum Clementer Indultum, & irrefragabiliter Institutum est, decursu Temporum vel qualibet Rerum varietate posteris hoc fiat dubium vel incertum: in Examine namque cuncta DEI conspicientis equale Meritum credimus dantis & data corroborantis; unde nos piis Votis delectamur vetustatis incremento & sequi vetera Instituta Libenter amplectimur, quia Locus subreptionibus non relinquitur quociens racionabiliter constituta servantur: Noverit itaque DEI & Imperii nostri Fidelium tam præsens ætas quam successura Posteritas qualiter in Generali Curia Wirzeburg Celebrata, ubi inter Discordes Principes Saxoniæ, Deo cooperante, plenam Reconciliationem perfecimus, HEROLDUS ejusdem Civitatis Venerabilis Episcopus cum omni Ecclesiæ Conventu, & Spectabili Liberorum & Ministerialium Multitudine, nostram suppliciter imploravit Clemenciam, ut omnem Jurisdictionem quam Antecessores sui, & Ecclesia, & Ducatus Wirzeburgensis à Carolo Magno & omnibus successoribus suis usque ad præsens tempus justa & quieta possessione sine diminucione tenuerunt & possiderunt, sibi & Ecclesiæ & Ducatui, Imperiali auctoritate & Privilegii nostri municione confirmare dignaremur: Quia verò racionabiles peticiones Supplicum Libenter amplectimur, qui etiam non Rogati justa cogitare debemus, definitas res ab antiquis Imperatoribus, quas tamen constat racionabiliter esse decretas & ab Ecclesia & Ducatu Wirzeburgensi Longissimis possessionibus, ut & memoriam Hominum excedant irrefragabiliter habitas & usitatas, nulla volumus deinceps ambiguitate titubare, quia debet firmum semper existere quod antiquitate & diuturna possessione commendatur; nec priora quassare valemus ubi nihil est quod corrigere debeamus: Inde est quod prefato Heroldo Venerabili Episcopo suisque successoribus in perpetuum pro Fidei suæ & obsequiorum præclaris meritis, & interventu Sacri Colegii predictæ Ecclesiæ, cujus Devotio Pectoris nostri penetralibus inhæret, ac Liberorum ac Ministerialium indefessa Supplicatione devicti, damus & concedimus & præsentis Privilegii munimine confirmamus omnem Jurisdictionem seu plenam potestatem faciendi justitiam per totum Episcopatum & Ducatum Wireeburgensem, per omnes Comecias in eodem Episcopatu vel Ducatu sitas, de Rapinis & Incendiis, de allodiis & Beneficiis, de Hominibus & de Vindicta Sanguinis, statuentes Imperiali auctoritate & Lege perpetuo valitura decernentes, ne aliqua Ecclesiastica Secularis ve persona, aliqua temeritatis presumptione contra Instituta antiquorum Principum contra diuturnam & justam possessionem Wirziburgensis Ecclesiæ & nostra intemeranda Decreta veniens per totum Wirzeburgensem Episcopatum & Ducatum & Comecias, infra Terminos Episcopatus & Ducatus sitas judiciariam potestatem de predis aut de incendiis, allodiis, seu Beneficiis sive Hominibus deinceps exerceat nisi solus Wirzeburgensis Episcopus ut Dux, vel cui ipse commiserit, hoc excepto quod Comites de Liberis Hominibus

qui

qui vulgo *Bargildi* vocantur, in Comitiis habitantibus statutam justitiam recipere debent; Imperiali quoque Præcepto inhibemus ne aliquis in prefato Episcopatu & Ducatu vel in Comeciis in eis sitis, aliquas Centurias faciat vel Centgravios constituat nisi concessione Episcopi Ducis Wirceburgensis.

Preterea quia de Castro Bramberg Quies Pacis tocius Provinciæ sæpe turbabatur, & multorum malorum occasiones contra prefatam Ecclesiam exortæ sunt, pro Pace Ecclesiæ & salute Animæ nostræ, ipsum Castrum destrui fecimus, & montem Ecclesiæ Wirzeburgensi Jure proprietatis tradidimus, ne de cetero Castrum vel aliqua Municio in eodem monte fiat firmiter inhibentes: aliud quoque Castrum Franckenberg dictum, quod adjacenti Abbaciæ Amerbach destructionem minabatur. & per subreptionem Inimicorum Ecclesiæ Wirzeburgensis poterat inferre periculum, similiter destruximus, & montem nullo tempore reædificandum Ecclesiæ Recognovimus: sit igitur hac nostra Pragmatica Sanctione supradictorum omnium omni Evo stabilis & firma constitucio, & Nemo ullo unquam tempore ea infringere vel cassare presumat: Quicunque autem contra eam venire presumpserit, Imperatoriæ Majestatis Reus severissimæ animadversionis penas exolvat, & mille Libras Auri purissimi componat Cameræ nostræ, & alteram medietatem Wirzeburgensi Episcopo & Ecclesiæ, quod ut verius credatur & ab omnibus diligentius observetur, presentem inde Paginam conscribi & signo nostri Caractere firmari & aurea Bulla nostra Insigniri precepimus, adhibitis idoneis Testibus quorum Nomina hæc sunt.

Christianus Moguntinæ Sedis Archi-Episcopus; Udo Cicensis Episcopus. Gerungus Misnensis Episcopus. Hugo Fardensis Episcopus. Rudolfus Leodiensis Episcopus. Albericus Laudensis Episcopus. Turricus Placentinus Episcopus. Reimundus Hipponensis Episcopus. Burchardus Fuldensis Abbas. Cuno Ratisponensis Episcopus. Hildebaldus Hersfeldensis Abbas. Nicolaus Sigebergensis Abbas. Engelhardus Abbas Sancti Burkhardi. Heinricus Abbas Sancti Stephani. Richolfus Majoris Ecclesiæ Præpositus, Persius Decanus, Reinhardus Præpositus Novi Monasterii. Wernerus Præpositus Sancti Johannis. Gotefridus Cantor. Johannes Scholasticus. Albertus Custos. Weizelo Portenarius. Heinricus Præpositus de Onoldespach; Bertholdus Præpositus & Archidiaconus Conradus Cellerarius. Henricus de Hessemberg, Henricus de Beierbach, Henricus Curiæ Protonotarius. Athelous Goslariensis Ecclesiæ Præpositus, Theodoricus Præpositus de Werda Sancti Swiberti. Arnoldus Præpositus Sancti Andreæ in Colonia; Burchardus Præpositus Sancti Petri in Moguntia.

Cunradus Palatinus Comes Rheni. Otto Marchio Missinensis Theodoricus Marchio Frater ejus, Heinricus Comes de Witin Frater eorum. Otto & Fredericus Palatini Comites de Wittelinespach. Bercholfus Marchio de Uhoburg; Comes Bertholfus de Andesse. Comes Rudolfus de Pfullendorf. Comes Ludovicus de Loen. Comes Rapoto de Auerberg & Fridericus Filius ejus. Boppo Wirceburgensis Burggravius. Marquardus de Grumpach & Filii ejus Albertus & Otto. Burchardus Magdeburgensis Burggravius. Udalricus Filius Ducis Bohemiæ Albertus Filius Ducis Poloniæ. Albertus Comes de Dillingen. Comes Otto de Kirberg. Comes Manegoldus de Veringen. Comes Berchtolfus de Brepa. Comes Gerhardus de Bertheim, & Frater ejus Hermannus. Comes Boppo de Wertheim. Conradus de Bockesberg. Fridericus de Billriet. Boppo de Lichtemberg & Frater ejus Gotebaldus. Henricus & Boppo de Trimperg. Comes Hermannus de Wolveswar. Waltherus & Craffto de Lobenhuse. Manegoldus de Thundorff. Albertus de Hiltenberg. Contadus de Scheinfelt. Conradus de Nuenburg. Heinricus Marescalcus. Bertholfus Camerarius. Cuno Camerarius de Minzenberg. Waltherus Dapifer. Cunradus Kobbo Pincerna, & Frater ejus Ludwicus & Berngerus Hugo de Werda. Thiemo de Solditze. Botho de Wirtzburg. Iringus Pincerna. Ingelhardus Dapifer Bilungus vicedominus; Billungus & Heinricus Sculteti. Gottfridus & Engilbertus de Foro. Richolfus de Riedt. Heroldus Camerarius. Billungus Vice-Comes & alii quamplures.

Signum Domini FRIDERICI Romanorum Imperatoris. Invictissimi.

Ego HENRICUS Cancellarius vice CHRISTIANI Moguntini Archi-Episcopi & Archi-Cancellarii Recognovi.

Dat. WIRZEBURG. VI. Idus Julii. Indict. I. Anno Dominicæ Incarnat. MCLXVIII. Regnante Domino FRIDERICO Romanorum Imperatore Gloriosissimo. Anno Regni ejus XVI. Imperii vero XIIII. actum in Christo Feliciter Amen Amen Amen.

X.

Ejusdem Imp. Diploma Quartum, quo Capitulum Majoris Ecclesiæ Herbipolensis hortatur, ut Reinhardo Electo suo media pro suscipienda Expeditione Italica amministret.

Ex Autographio. An. 1173.

FRIDERICUS DEI Gratia Romanorum Imperator & semper Augustus. Venerabili Conventui Wirceburgensis Ecclesiæ & Toti Familiæ Gratiam suam & omne Bonum. Necessitatis Articulus Fidem amicorum examinat, & Universos Imperii Fideles & amicos ad Auxilium suum vocat & invitat. Satis evidenter ad universitatis vestræ pervenit Noticiam quod in transacta nuper Expeditione Proditores Nostros Longobardos adeo Rebelles & contumaces invenimus, ut pravis & iniquis Marchinationibus suis Gloriam Nominis nostri, & Excellentiam Romani Imperii penitus destruere & ad Nichilum reducere fraudulenter attemptarent: Oportuit itaque consuetis eorum perjuriis & Ingeniis fallacibus non solum Sagaci consilio, sed & armis & Viribus totius Imperii festinanter obviari, ne Pestis Perfidiæ quæ totam Italiam Veneno suo polluerat, Greciam quoque vel Siciliam in partem suam alliceret, & ad Coronæ nostræ detrimentum, utranque vel alteram falsis suggestionibus invitaret; his & aliis similibus causis cogentibus Carissimum nostrum R. * Wirceburgensem Electum, de cujus Fide ac Dilectione certa nobis erat Fiducia, ad succurrendum Imperio & nostræ Majestati confidenter vocamus sicut & alios Principes, qui Nomen & Honorem nostrum diligunt, & Imperio Servire tenentur; Eapropter Universitatem vestram attente commonitam & exoratam esse volumus, mandantes, & districte precipientes, ut jam dicto Dilecto nostro ad Expeditionem nostram venire volenti, tam fructuosum Consilium & Auxilium exhibere studeatis, quod ei sit honestum & utile, perquod etiam Gratiam nostram vobis multiplicirer augeatis: Specialiter autem & præcipue rogamus & petimus & sine omni hesitatione & dilatione concedatis ei Pignora Ecclesiæ, quorum precio pecuniam CCCL. Marcarum ad Instantem Expeditionis Necessitatem possit mutuare: quidquid enim de Rebus Episcopatus pro Pignore Ecclesiæ sibi credito vobis Nomine Pignoris obligaverit, confidenter recipiatis, pro certo scientes quod nullum amittendi periculum vos oportet timere quin per ipsum vel si ipse forte prius, quod absit, decesserit, per ejus successorem sine dubio redimantur, cujus rei sic exequendæ securitatem per Nos & Filium nostrum H. Henricum. Regem vobis præstamus, & per presentem Cartam confirmamus.

* Reinhardum.

XI.

Lucii III. Pont. Max. Epistola Encyclica ad universos Germaniæ Præsules, qua Christianum I. Archi-Ep. Moguntinum pie defunctum, Precibus eorum commendat.

Ex Cod. M.S. S. Michaëlis Bambergæ. An. 1183.

LUCIUS Episcopus Servus Servorum DEI, Venerabilibus Fratribus Archi-Episcopis, Episcopis, & dilectis Filiis Abbatibus, Conventibus, aliisque Prælatis ECCLESIÆ TEUTONICÆ Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Ad

Ad Vestram Volumus Notitiam pervenire, quod Bonæ Memoriæ CHRISTIANUS Moguntinus Archi-Episcopus vir valde providus & Magnificus, cum Karissimo in Christo Filio nostro FRIDERICO Illustri Romanorum Imperatori & semper Augusto, Longo tempore Magnifice servivisset; & contra Officii sui debitum excessisset in Multis: Cum Romanorum Perfidiam qui Patrimonium Ecclesiæ hostiliter devastantes Tusculanum nequiter obsidebant, aliter comprimere non possemus, eundem Archi-Episcopum ad Obsequium Ecclesiæ convocavimus; ipse vero factus Obediens usque ad Mortem, ut sicut antea exhibuerat Membra sua Iniquitati ad Iniquitatem, ita se & suos exhiberet ad Serviendum justitiæ in Sanctificationem Vitæ, Aëris intemperiem parvi pendens, ad Succurrendum Ecclesiæ fluctuanti cum ingenti Exercitus multitudine properavit, factumque est, volente Domino, quod Romani bis ad solius Nominis ejus Terrorem fugierunt: Illo autem Tusculanum ingresso, muros Civitatis jam pridem collapsos pro magna parte per Illius Auxilium, antequam decederet, fecimus reparari: Tandem Dominus Misertus ipsius ut salubriter Impleret in eo quod legitur: ubi te invenero ibi te Judicabo, Febris eum Egritudine flagellavit, juxta quod scriptum est: quem diligit Dominus corripit: Flagellat autem omnem Filium quem recipit; unde idem Archi-Episcopus in vera Confessione & multa Contritione Cordis, Servicio Beati Petri & Romanæ Ecclesiæ totus Intendens, assumpta Cruce & Resignatis Dignitatibus Universis, *VIII. Kalendis Septembris*, Diem clausit Extremum; Quia autem multum tenemur de illius salute esse solliciti, qui pro Servitio Universalis Ecclesiæ Mori non recusavit, & ex Fine ejus Magnam possimus de Remedio Fiduciam obtinere, monemus Universitatem vestram, Hortamur in Domino, & Mandamus quatenus eundem Archi-Episcopum, Memoriam ejus in vestris Orationibus facientes, vestris apud Dominum Intercessionibus adjuvetis & in omnibus Conventualibus Ecclesiis Tricenarium pro eo & Anniversarium faciatis, ut Maculas quæ illi de Terrenis contagiis adhæserunt, Divina Clementia Indulgeat & abstergat, & vos de Opere pietatis indeficiens mereamini à Domino Præmium obtinere.

Dat. SIGNIÆ IIII. Non Septemb.

XII.

Charta Conradi I. Archi-Ep. Moguntini, qua Diethmaro Abbati, Monasterii S. Petri Erford. suisque successoribus, ex Authoritate S. Sedis, Usum Infulæ concedit.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. CONRADUS DEI Gratia Sabinensis Episcopus, Moguntinæ Sedis Archi-Episcopus in perpetuum. Eam nostræ solicitudinis curtam summo peroptamus affectu fore vigilantissimam, ut Ecclesiarum, quibus præsidemus, per nos crescat utilitas & Honor amplietur, ut imposterum ex certis Rerum indiciis, quibus ipsas decoravimus, merito gaudere valeant: qua de causa Omnibus qui hanc perspexerint Paginam notum fieri volumus, quod postquam ex tali DEI Ordinatione à nostri Exilii jactura, ad nostri Archi-Episcopatus & ad nostræ Legationis plenitudinem, qua fungimur specialiter à Sede Romana Nobis concessa, fuissemus reversi, Ecclesiam S. Petri in Erphordia in bono & optato invenimus statu: unde ad commune Fratrum accedentes Capitulum, ipsorum, quemadmodum fieri solet, Devotissime recepimus Fraternitatem & cottidianum munus orationum: hujus itaque intuitu rationis, merito aciem nostræ considerationis ad hoc tenebamur extendere, & conscientiam consulere qualiter Nos prædictam Ecclesiam aliqua, qua ante caruit, prærogativa in Nominis nostri memoriam feceremus Gloriari: unde prædicti Cœnobii Abbati videlicet DIETMARO, Viro probatæ Famæ & opinionis, quem meritis suis exigentibus Singulari Paternitatis affectu tenebamur amplecti, ex auctoritate Domini Apostolici, cujus Legatione fungimur, Indulsimus, ut in præcipuis sollempnitatibus, in Divinis Officiis, & Domini Imperatoris, & Episcoporum, & aliarum magnarum personarum receptionibus infulatus procedat, idem omnibus ejus successoribus perpetualiter ipsis inconvulsum

Ex Chartar. S. Petri. Erford. An. 1193.

ſum permanſurum ſub anathematis interpoſitione confirmamus. Dignum itaque duximus hoc Factum noſtrum Rationabile ſcripto commendare, & ſupradictæ Eccleſiæ conceſſum à nobis tale Privilegium Sigilli noſtri impreſſione confirmare.

Hujus rei Teſtes ſunt. Burchardus Præpoſitus S. Petri in Moguntia. Bernhardus Abbas de Cella Domnæ Paulinæ. Conradus Abbas de Oldiſleibin. Witekind Abbas de Valle S. Georgii. Mauricius Abbas Scotorum. Berewigus Præpoſitus S. Severi in Erfordia. Rudolfus Præpoſitus S. Petri in Goſlaria. Lutherus Decanus S. Mariæ in Erfordia, Jonathas Scolaſticus, Criſtanus Cantor & Sacriſta cum omnibus reliquis Canonicis ejusdem Eccleſiæ. Capellani Curiæ, Adinianus Decanus S. Mariæ in Moguntia, Cunemannus, Marcuvardus. Notarii Curiæ, Ludolphus, Hermannus, Hazechinus. Præterea Comes LAMBERTUS Advocatus ejusdem Eccleſiæ, cum Fratre ſuo ERNESTO Comite. Dithericus Comes de Bercha, Ludevicus Comes de Lare, cum aliis pluribus Liberis. Miniſteriales Bertholdus Vice-Dominus in Erphordia, cum Fratribus ſuis, Ditherico Pincerna, & Ditherico Camerario, & tertio Diethericо; Helwigus Marſcalcus de Ruſtebere, Striger Dapifer cum reliquis Officiatis Curiæ: Beringer de Meldingen cum Fratre ſuo Ludevico. Diethericus de Blanegenberc cum Fratribus ſuis Gunthero, & Sigeboldo. Wernherus de Porta. Hermannus, Henricus Scultetus. Henricus Subadvocatus, Saxo, Wernherus, Hartungus cum aliis pluribus.

Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXXIII. Indict. XI. Domno CELESTINO Apoſtolicæ Eccleſiæ Præſidente. HEINRICO Sexto Glorioſiſſimo Romanorum Imperatore Imperium Gubernante, & Anno noſtræ Electionis in Archi-Epiſcopatum Sanctæ Moguntinenſis Eccleſiæ XXVIII.

XIII.

Notitia pro Transactione ſuper Decimatione quadam inter Monaſterium S. Petri Erfordiæ, & Eccleſiam Collegiatam S. Petri in Durlon, inita.

Ex eodem Chartario. An. 1223. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. FOLCWINUS Dei Gratia S. Petri in Durlon Præpoſitus. Notum eſſe volumus tam præſentibus quam futuris Fidelibus, quod Cella S. Martini villæ Falkana contigua, dudum Eccleſiæ S. Petri Durlonenſi Decimalis erat, quam Decimationem BILGRIMUS Abbas & Fratres Monaſterii Apoſtolorum Petri & Pauli Erfordiens. quoniam ipſorum Patrocinii intereſt, Libertati, eximere cupientes, Præpoſito BURCHARDO prædeceſſore noſtro & totius Durlonenſis Capituli Fratribus VI. Libras argenti & II. Manſos penes jam dictam villam ſitos pro annuo Canone Talentum ſolventes pro Redemptione ſubſcriptæ Decimæ exhibuerunt: quod concambium cum pleri que acceptarent, quidam eorum idem retractare ſtuduerunt, qui à Præpoſito redarguti conticuerunt: Succedente autem tempore prætaxato Præpoſito B. de medio facto, Fratres qui prius ipſius & aliorum Ordinationi reclamaverant, faventibus ſibi Concanonicis Querimoniam ſuper ſæpedicta Decima propoſuerunt: Quorum accuſationi prænemoratæ Eccleſiæ Abbas & Fratres ratione concambii reſiſtentes tandem ad tale propoſitum unà convenerunt ut arbitris idem Negocium committeretur decidendum qui decreverunt ut Abbas & Fratres pro Bono Pacis & Concordiæ, & pro omni gravamine imposterum devitando VIII. Libras argenti, Eccleſiæ noſtræ Durlonenſi ad præſcriptum pretium exhiberent; Quod factum quia tunc temporis Scripturæ Teſtimonio eſt prætermiſſum, nos petitioni Henrici Abbatis & Fratrum ſatisfacere volentes, hanc paginam ſubſcripti Negotii Teſtimonialem ne quid impoſterum diſſenſionis Oriatur, Sigilli noſtri & Eccleſiæ Impreſſione Roboravimus. Teſtes hujus rei ſunt Confratres Eccleſiæ noſtræ Rudolfus Decanus, Guntherus Archipresbiter, Titericus de Fritislar, Laici LAMBERTUS Comes in Glichen, Tithericus vicedominus in Apolde. Fridericus de Drivuorthe, Bern-

Bengerus & Rudolfus Fratres de Cruceborck, Wernherus de Durlon Ludovicus de Inferiori Durlon & alii plures.

Acta sunt hæc. Anno Incarnationis Domini MCCXXIII. Indict. X.

XIV.

Notitia Conradi Præpositi S. Mariæ Erphord. pro amicabili compositione inita inter Abbatem S. Petri ibidem, & Incolas Slavos Villæ Ermstete.

CONRADUS DEI Gratia Præpositus S. Mariæ in Erford. universis volumus esse declaratum, quod super causa diu coram nobis ventilata ex parte Venerabilis Domini HEINRICI Abbatis, & Capituli S. Petri in Erfordia ex una, & Rusticos Slavos in Ermstete ex parte altera pro quadam Decima jam dictæ Ecclesiæ talis transactio coram nobis est habita: Rustici Slavi prænominatæ villæ consignaverunt dimidium maldrum Annonæ Erford. mensuræ Singulis Annis prædicto Abbati persolvendum ab illis personis quæ vulgariter in eadem villa *Alderman* appellantur: Insuper si Slavi, vel Foro vel quacumque commutatione sibi contraxerint aliquos mansos Teutonicorum ejusdem villæ, eandem Decimam sine contradictione persolvent quam Teutonicus inde persolvit: si verò Teutonicus à Slavo sive emptione vel qualicumque modo mansum commutaverit, eandem Decimam debitam prædicto Cœnobio exinde sicut & de reliquis mansis suis exsolvet: Mensura etiam Decimalis à prædicto Abbate ibidem instituta perpetuo permanebit, quarum XVI. complebunt maldrum Erfortensem. Ex eodem Chartario. An. 1227.

Acta sunt hæc Anno Incarnationis Dominicæ. MCCXXVII.

XV.

Notitia pro Donatione Ottonis Comitis de Bottenloben, facta in Favorem Ecclesiæ Herbipolensis.

HI sunt Homines Militaris Conditionis, quos OTTO Comes de BOTTENLOBEN & uxor sua ADELHEYDIS conjuncta Manu dederunt Ecclesiæ Herbipolensi proprietatis circa. Jure perpetuo possidendos; Hartman & Pueri sui, & duæ sorores ejusdem cum pueris suis, Ludovicus, Albertus, Conradus, Theodoricus Fratres, tres sorores eorundem, Volmundis uxor Trumphonis, Mechildis uxor Hermanni Stunchonis, Mechildis uxor Gerlaci, quæ omnes dicuntur ab Habechsberg; Thegeno Dapifer, & uxor ejus, & Pueri, prætet uxorem Waltmanni, Hermannus Rubelzagel, Wortwinus Fratres ejusdem. Henricus Momolin. Wolframus de Ostheim Pincerna. Kunigundis de Westheim. Uxor Seifridi de Werna & Pueri sui. Albertus de Bercha, & medietas puerorum; Carl & Friderich Fratres & duæ sorores ejusdem Alberti de Bereha. Pueri Alheidis de Strouue, & Pueri Alliganta de Strouue. Pueri & uxor Herolti de Northeim. Uxor Gotschalci de Northeim. Uxor Gotifridi de Lengsfeld. Thegano de Sundheim, & uxor, & tres Fratres ejusdem. Uxor Theodorici de Katzach. Uxor Bertholdi de Nuthelingen. Uxor Ulrici de Sundheim. Uxor Friderici de Rannungen. Uxor Henrici de Boscuvins. Mater Seifridi de Eschenbach, Otto, Henricus, Seifridus de Eschenbach. Mater Lamperti & Fratrum ejus. Gepa de Dypach. Bertoldus de Buchelberg, & Pueri. Berno de Ertal & uxor. Albertus de Obersfeld. Albertus de Hemelin & uxor. Uxor Helmeboldi de Steingetwald. Pueri Helmeboldi de Gerbeechts-Winiden. Witigo de Nuenhoven. Harman de Stetahen & soror. Uxor Wolframi de Ebenhausen. Rilindis de Eschenbach. Rizza de Hohheim & pueri eorum. Hi omnes Masculi & Ex authentico. An. 1230.

Fœminæ sunt ad Servitium Herbipolensis Ecclesiæ in Marescalchi Officio Deputati.

Et hi sunt Testes, qui viderunt & audierunt: Arnoldus Decanus. Heinricus Custos. Fridericus Cantor. Adelbertus Cellarius. Friderieus Archidiaconus. Conradus de Kettersheim, Magister Waltherus de Thannenberg Canonici Herbipolenses. Hermannus Magister Domus Teutonicorum S. Mariæ in Hierusalem. Frater Bertholdus de Thannenrode & alii plures Religiosi ejusdem Ordinis.

Laici. Rupertus Comes de Castelle. Manegoldus de Wiltberg. Adelpertus de Franckenstein. Heinricus Marescalchus de Jura. Henricus de Brosseldesheim. Theodoricus de Hohenberg Guntherus de Brende. Heroldus de Bastheim. Wolkerus Dapifer. Engelhardus de Osterburg. Albertus de Hebersfeld. Otto de Malkotz. Ludovicus & Hartmannus de Habechberg.

XVI.

Litteræ Mutuæ Societatis suffragiorum inter Monasterium S. Petri Erford & Collegium Ursulanum Coloniæ, cum transmissione S.S. Relliquiarum.

Ex autographo circa. An. 1240. ELISABETH Magistra Sanctorum Machabæorum cum universo Collegio sororum suarum & ELYSABETH Inclusa in Ecclesia S. Marcelli in Colonia H. Abbati & Conventui Apostolorum Petri & Pauli in Erfordia Devotas Orationes in Domino. De Beneficio Nobis Collato de Communione Fraternitatis vestræ Maximas agimus Gratias; Noveritis ergo, quod Reliquias Sanctarum Virginum Veracissimas quæ à Beato CLEMATIO in Ecclesia nostra, & Ecclesiis Sanctarum Virginum Coloniensium Tumulatæ sunt, per nos plurimæ repertæ sunt, de his permaximam partem per Nuntium Vestrum CUNRADUM vobis transmissimus, scilicet Beati Hilarii Militis, Cristanciæ, Justinæ, Christinæ, & aliarum Sanctarum Undenarum * Virginum: Petimus igitur ut condignam Venerationem Sanctis Virginibus, sicut decet, Devotissimè exhibeatis, scientes per hoc æternam Mercedem vos adepturos.

Deest forsitan. * Millium.

XVII.

Charta Henrici Episcopi Bambergensis, qua Vacantia sibi Prædia ex morte Othonis Ducis Meraniæ ultimi, in perpetuum Mensæ Episcopali attribuit.

Ex authent. An. 1248. IN Nomine Domini, Amen. HENRICUS Dei Gratia Babenbergensis Episcopus, Universis Christi Fidelibus in perpetuum; Non solum à Deo Meritum, sed etiam Favorem Hominum credimus promereri, si circa Ecclesiam nobis commissam nostra piè fertur intentio & ipsius Providemus Commoditatibus & Augmentis: hinc est quod nos illius intuitu, qui de nihilo nos erexit & inter Principes collocavit, & de diversis Periculis misericorditer liberavit; Petitionibus quoque dilectorum Fidelium Nostrorum Universorum Ministerialium qui Nobis Fideles & Devoti plurimum exstiterunt favorabiliter inclinati, Comitatum & Judicium Provinciale in Dioecesi nostra, tertiam partem Nemoris Houtsmon, Castra Giech, Niesten, Lihtenfels, cum pertinentiis eorundem, quæ Nobis de Morte Ducis Meraniæ vacare cœperunt, Beato Petro, Beato Georgio, Beato Heinrico, Beatæ Kunegundi contulimus & tradidimus pleno Jure, ita ut ad Dominium & Mensam Episcopi Spectent: de Cetero nec ab Ecclesia Babenbergensi ullo modo vel Ingenio valeant alienari: Statuentes quod Nullus successorum nostrorum prædicta Castra & Bona infeodare, vel alienare præsumat, & sub Vinculo Anathematis injungentes

gentes ne aliquis de Capitulo vel Ministerialibus in hoc consensum præbeat & Favorem, quod qui præsumpserit Indignationem omnipotentis DEI & prædictorum Sanctorum se noverit incursurum, & cum Darhan & Abyron, quos Terra Vivos absorbuit, recipiat portionem: ad hujus itaque Donationis & Traditionis nostræ Memoriam præsens Scriptum fieri, & Sigillo nostro jussimus communiri.

Hujus rei Testes sunt Heinricus Præpositus veteris Capellæ Ratisponensis, Heinricus Comes de Ortenberg, Henricus Plebanus de Attersex, Fridericus de Wolsperg, Otto de Porta, Eberhardus de Griven, Dietmarus & Wigandus de S. Stephano, Hartlibus de Winzer, Sifridus de Griven, Marquardus de Lapide & alii quam plures.

Acta apud WOLFSPERG Anno Domini MCCXLVIII. mense Februario. Indict. * L VI. VII. * Pontificatus nostri Anno IV.

XVIII.

Margaretæ Abbatissæ in Bergka Litteræ Obligatoriæ erga Monasterium S. Petri Erfordiæ.

NOS MARGARETA Abbatissa, totusque Conventus Sanctimonialium in Bergka, tenore præsentium Lucide protestamur, quod à Venerabili Domino HEINRICO Abbate Monasterii S. Petri in Erfordia, Legitimo interveniente contractu, acceptavimus in Commendam seu Atendam Cellam seu Cappellam S. Georgii, quæ nominatur *ad Monachos* sitam prope Rode in Finibus Castri Tondorff, cum omnibus sibi adhærentibus, de quibus prænominato Abbati exsolvere tenebamur III. Markas usualis argenti in Festo S. Martini Singulis Annis; Nos vero pro eximitione & Loco dictarum III. Marcarum annuæ pensionis præfato Domino Abbati tradidimus ac plene persolvimus XXX. Marcas, ita quod stante hujusmodi arenda seu Commenda, dicta Bona Libera & absque ulla pensione possidebimus, insuper protestamur atque Bona Fide pro nobis nostrisque successoribus per præsentes promittimus, quod præfatam Cellam seu Capellam ad Monachos providere ac sollicite procurare ebdomatim in missis aliisque requisitis pro Divino cultu necessaria, ipsamque Cellam, nec non alia habitacula cum tectis integra & competenti statu servare velimus. Ex Chartario S. Petri Erford. An. 1248.

Dat. Anno Domini MCCXLVIII.

XIX.

Henrici Episcopi Bambergensis dispositio circa Advocatiam Monasterii Tharisiensis.

NOS HEINRICUS Dei Gratia Babenbergensis Episcopus per præsens Scriptum Notum Facimus Universis quod cum Advocatia Tarisiensis esset WOLFRAMO de ZABELSTEIN obligata pro Centum Marcis argenti & triginta Libris Babenbergensis monetæ, nos attendentes quod dictus Wolframus dictam Ecclesiam indebitis exactionibus & extorsionibus adgravabat, Nos de Consilio Fidelium nostrorum dedimus authoritatem Domino Episcopo Herbipolensi dictam Advocatiam redimendi, ita quod quandocumque ipsam pecuniam dare poterimus, supradictam Advocatiam Nobis restituere tenetur: Præterea placet nobis, ut dictus Episcopus redimat Bona nostra T. de RAUHENECK pro L. Libris Babenbergensis Monetæ obligata ad eandem pertinentia Advocatiam, in cujus rei Testimonium præsens scriptum fieri & Sigillo nostro jussimus communiri. Ex authent. An. 1250.

Datum BABENBERG Anno Domini MCCL. Indict. VIII. Mense Martio, pontificatus nostri Anno X.

XX.

Charta Alberti Turingiæ Landgravii, qua declarat sibi in Universis Prædiis & Hominibus ad Monasterium S. Petri Erford. Spectantibus, nihil Juris competere.

Ex authent. An. 1277. NE ea quæ aguntur in tempore simul labantur cum Lapsu temporis, cautè provisum est ut Contractus qui fiunt mutuo Sciptorum Testimoniô perhennentur: hinc est quod nos ALBERTUS Thuringiæ Landgravius Saxoniæque Comes Palatinus, ad universorum quibus præsens scriptum fuerit exhibitum volumus noticiam pervenire, publicè nichilominus protestantes, quod in universis Bonis, nec non Hominibus eadem Bona colentibus, & etiam in judicio ipsa Bona & Homines prædictos respiciente, Bonis videlicet sitis in Dachebeche tam in villa quam in Campis, quæ, inquam, Bona, Homines, & judicium Sæpedicta ad Monasterium Montis S. Petri Spectant & Spectaverunt, sunt & fuerunt hactenus, nihil Juris unquam nobis competebat, neque competit, aut competere debebit, ad Evidentiam autem hujus nostræ Recognitionis pleniorem presentem paginam super hoc conscriptam nostri Sigilli munimine Duximus roborandam.

Datum Anno Domini MCCLXXVII. VII. Kal. April. præsentibus Honorabilibus viris, Hermanno dicto Stranz de Tullestete, Hermanno & Hermanno Fratribus de Vanre, Joanne de Herversleibin, Strenuis militibus, & aliis pluribus Fide dignis.

XXI.

Charta Henrici Episcopi Merseburgensis, qua Donationem Bonorum quorundam factam in favorem Reclusorii juxta Mersburg, ratam habet.

Ex autographo. An. 1317. IN Nomine Domini Amen. Nos HENRICUS Dei Gratia Mersburgensis Ecclesiæ Episcopus Recognoscimus & universis notum facimus per præsentes quod cum GERWICUS de PUSTEN manens Doberthowe, cum HENRICO, JOHANNE & OTTONE, Fratruelibus suis, & aliis Filiis, & Heredibus Fratrum suorum, Fundum qui vulgo dicitur Clusgarthe cum Monte adjacente à Fluvio Sala usque ad uiam quæ dicitur Hondorp cum aliis ad ipsum Fundum pertinentibus à nobis & Ecclesia nostra in Feudo habuerunt, & illa ad manus nostras Libere resignaverunt: Nos propter Deum & pro Remedio Animarum ipsorum jam dicta Bona Jure proprietatis Dedimus Reclusorio sito prope Monasterium S. Petri extra muros Mersburgenses perpetuo possidenda, sic quod nec Inclusus ibidem, nec quisquam alius ipsa alienare à Reclusorio valeat quo quomodo nec sibi injuriosè usurpare: porro si Inclusum ex morte, vel alia necessitate abesse contingeret, Episcopus qui pro tempore fuerit uni personæ Zelum DEI habenti committet, qui de prædictis Bonis Locum Reclusionis in edificiis & in aliis necessariis reformabit, quousque eidem Loco provideatur de Incluso; ut autem præmissa firma & inviolata permaneant omni Ævo, Sigillum nostrum præsentibus in Testimonium Duximus appendendum.

Testes hujus rei sunt Infrascripti Dominus Fridericus plebanus de Grimmis, Magister Henricus Medicus, Magister Henricus de Orschetz perpetui Vicarii Dictæ Ecclesiæ nostræ, & Conradus Notarius noster cum aliis pluribus Fide dignis.

Datum & actum MERSEBURG Anno Domini MCCCXVII. In die S. Albani.

XXII.

XXII.

Charta Donationis Ulrici Cathedralis Ecclesiæ Nuenbergensis Decani, confirmata à Geuehardo Merseburgensi Episcopo.

IN Nomine Domini Amen. Karitas operit multitudinem peccatorum. Date & dabitur vobis. Date Elemosinam, & omnia munda erunt. His admonitionibus Evangelicis nos ULRICUS Dei Gratia Decanus Nuenbergensis, & Canonicus Ecclesiæ Merseburgensis, Informati, Duas Decimas sitas in Campis villarum Infrascriptarum, videlicet Tzerntzin, Cripowe, Slavendorph, quarum unam emimus ab honestis Famulis Henrico, Johanne, & Alberto Fratribus dictis de Lochow; residuam vero à Theodorico Dicto Hertkese eo modo camparavimus quod de ipsa intra Ecclesiam Mersburgensem Ordinare & disponere possimus quidquid Deo & Sanctis ejus Laudabilius, & animæ nostræ salubrius possumus cogitare: de quibus Decimis de Consilio & voluntate Honorabilis Viri ENGELBERTI Decani Dictæ Ecclesiæ Mersburgensis taliter decreuimus ordinandum: Tredecim Vicariis in Ecclesia Mersburgensi, videlicet Vicarius Reginæ, Vicarius Capituli, Vicarius S. Andreæ, S. Bartholomæi, S. Elisabeth. S. Konegundis, S. Stephani; S. Katharinæ, S. Blasii, S. S. Virginum. S. S. Regum, S. Jacobi. Subcustos & Inclusus prope Mersburg easdem Decimas ad usum & utilitatem ipsorum habebunt, personam idoneam inter ipsos eligentes quæ ipsas debito tempore Colligat & conservet, administrationem quoque faciet Vicariis prædictis & Incluso in hunc modum; omni Septimana, quamdiu emolumentum ipsarum Decimarum durabit, pistari faciet Duos modios cum dimidio Mersburgensis mensuræ, de quibus procurabit fieri Centum panes, de quibus Septem panes sibi & Singulis præscriptis personis omni Sabbatho erogabit, dictique Vicarii pro hujusmodi Consolatione Deo & Sanctis ejus ad Infrascripta servitia perpetuè tenebuntur: Omnes per Circulum anni ad Altare propè Ostium adversus Curiam Episcopalem constructum & dedicatum in Honorem Dei & Salvatoris nostri, B. Dorotheæ, ac omnium Sanctorum, unam missam cum nota, omni die per Ordinem Sollempniter celebrabunt in quibus missis nostri ac Progenitorum nostrorum Memoriam facient, & pro nostris Peccaminibus ignoscendis Deum suppliciter flagitent & exorent: adicimus insuper quod prædicti tredecim Vicarii omni die cum ad dictum Altare Celebrare debent, missam non incipient nisi postquam Vicarius B. Mariæ in medio Monasterii offertorium firmaverit, deinde quidem incipere poterunt quando ipsis videbitur expedire. Ne igitur hæc nostra ordinatio inposterum aliquo modo infringi & Cassari valeat, presentem Litteram nostris Sigillis, videlicet Domini Engilberti Decani prædicti & nostro fecimus communiri.

Ex autographo. An. 1332.

Et Nos GEVEHARDUS Dei Gratia Merseburgensis Ecclesiæ Episcopus Ordinationem hujusmodi rite factam Laudamus & approbamus, & in DEI Nomine sub Sigilli nostri munimine confirmamus perpetuo duraturam.

Nos quoque Dei Gratia GUCELINUS Præpositus Totumque Mersburgensis Ecclesiæ Capitulum, ad exprimendum nostrum consensum omnibus & Singulis in præmissa Ordinatione contentis benivolum accessisse, Sigilla nostra presentibus duximus apponenda.

Actum & Datum MERSEBURG Anno Domini MCCCXXXII. in die B. Mauritii & Sociorum.

XXIII.

Ludovici IV. Imp. Epistola, qua Balduino Archi-Episcopo Trevirensi rationem reddit cur precibus ejus non annuerit, eumque hortatur, ut Alberto Constantiensi Electo adversus summi Pontificis Decretum faveat.

Ex Cod. M.S. Fuld. An. 1334. * Joannis.

LUDEWICUS Dei Gratia Romanorum Imperator semper Augustus Venerabili BALDUINO Archi-Episcopo Trevirensi, Principi suo Karissimo Gratiam suam & omne Bonum sicuti super promotione I.* Decani Moguntini nobis scripsisti, scire debes, quod prius quam tue ad nos venirent Littere, Honorabilis Vir ALBERTUS Natus Nobilis Viri RUDOLFI Comitis de HOHINBERG in Episcopum Constantiensem fuit Electus, & ad hoc, ILLE de AVINIONA cuidam nominato de KENZINGEN cui & antea de Episcopatu Augustano providerat, de Episcopatu providit prædicto, unde cum presenti Nominato, de Aviniona promoto, resistere nos oporteat, & hoc melius per dictum Albertum propter Parentum suorum Potentiam quam per quemlibet alium mediante nostri adjutorio possit fieri, ejus Promotioni insistere inducimut totis Viribus ac Virtute, & si Factum aliter se habuisset, revera tuis petitionibus acquievissemus modum in omnem; & sicut alias offectuose requisivimus, ita & iterum Instanti Instantia requirimus ne cuiquam alteri nisi quem Tibi presentabimus Confirmationis suffragium, quod & Singulariter tibi confidimus, impendas modo quovis.

Dat. INGOLSTAD Regni nostri Anno XX. Imperii vero VII.

XXIV.

Margaretæ Ludovici IV. Imp. Conjugis Litteræ intercessoriæ.

Ex eodem M.S. Cod.

MARGARETA Dei Gratia Romanorum Imperatrix semper Augusta, Magnifico Viro & potenti Comiti, suo Devoto Dilecto salutem cum plenitudine omnis Boni. Dilectio tua grave non reputet, si tibi pro aliqua Persona nobis Devota sub Spe Specialis Confidentie relaxanda porrigimus preces nostras, in quibus quia desideramus Liberaliter exaudiri, Te requirimus intimo cum affectu, quatinus nostro Speciali intuitu & amore RUCKLINUM Servitorem CONRADI Militis de GERA Fidelis nostri Dilecti, tuum ad presens Captivum, à Captivitate solutum ac Liberum dimittere digneris, ob hoc utique Tibi & Tuis volumus ad gratas vicissitudines rependendas teneri.

XXV.

Henrici II. Hassiæ Landgravii Epistola ad Benedictum XII. Pont. Max. qua suam, suorumque omnium constantem semper erga S. Sedem Apostolicam, Fidem ac Devotionem celebrat, eique Comitem de Zigenhain consanguineum suum impense commendat.

Ex eodem circa An. 1338. *Henricus.

SAnctissimo in Christo Patri, ac Benignissimo Domino suo, Domino BENEDICTO Sacto Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ summo Pontifici ejus Humilis & Devotus Filius H. * Devotissima Pedum Oscula Beatorum. Immense Pietatis Vestre Clementia ad cunctos quidem ut Filios Paterne Caritatis aspiciens, ad Illos tamen frequentius quos

quos eorum approbatu Devotio apud ipsam reddit Laudabiles, nec non in loco Obedientie continuos reperit & Constantes; hinc est alme Pater & Domine quod mei Progenitores, & Tota mea communiter Parentela, in tantum hactenus Sedi Apostolice exhibuerunt se serviles, ut ab eadem Sede & à summis Pontificibus ipsam olim Regentibus, vestris Predecessoribus, amplioris Zeli Favoribus continue sunt amplexi: Patent hec siquidem in Sancta ELYSABETHA proavia mea, que & per ejus Sanctitatem, & parentum meorum Devotionem per GREGORIUM Papam Nonum Sanctorum Cathalogo est ascripta; Patent hec etiam in Magdeburgensis Ecclesie * Archi-Episcopo Germano* meo, ac Monasteriensis Ecclesie * Episcopo Patruo meo, Pontificibus hodie Viventi-*bus, quorum Capita precedentibus Parentum meorum & meis Devotis Obedientia & obsequiis, per Sedem Apostolicam Diademate sunt Ornata: cum itaque perdilectum meum consanguineum Nobilem virum natum JOHANNIS Comitis de CYGENHAIN, C. . . Amitæ mee Filium, & JOHANNEM Natum JOHANNIS RYETESEL Militis, Magistrum ejus, quem sub Confidentia Vestra & Sedis Apostolice propter Scientie Margaritam ad Generale studium Duximus promovendum, ad pedes Vestre Sanctitatis Duxerimus Principaliter destinandos ut mea Secreta plurima & statum presentis Temporis in Alemannia, & ea etiam que scribere non expediunt Sanctitati Vestre, sapienter valeant enarrare, ipsos amore mei, vestri si placet humillimi Servitoris videre cureris, & audire dignemini benigniter in premissis, ac firmam Fidem in omnibus que ex Ore meo retulerint adhibere, ipsos que in suis Supplicationibus pro ipsis & eorum Familia vestre Beatitudini porrigendis, taliter dignemini dimittere gratiose, ut cum cunctis Comitibus & Baronibus totius mei Principatus obinde valeam gloriari: Me, Pater Sanctissime, & Terram meam & totam Fortiam mee parvitatis Sanctitati vestre subiicio & humiliter Recommendo, nam in vestro & Romane Ecclesie Servitio ubicumque, quandocumque & contra quoscumque volo ubilibet perpetuo inveniri. Ceterum si de quibusvis Versus Alemanniam indigueritis Servitoribus & Nuntiis, secure predictis potestis committere hec que placent: Nam in vestro & Romane Ecclesie Servitio Res & Corpora exponere non reformidant & in vestris Jussionibus & mandatis debent vivere atque Mori. Vestram Sanctitatem conservet Dei Filius sue Sancte Ecclesie feliciter per Tempora Longiora.

*OTTONI. *LUDOWICO.

XXVI.

Charta Donationis Burchardi Sturnfeder ad Altare B. Virginis in Nidenavve.

IN Nomine Domini Amen. Notum sit omnibus Hominibus, quod Ego BURCKARDUS STURNFEDER, & ENGELDRUDIS uxor mea Legitima legavimus & Ordinavimus cum consensu & voluntate omnium Civium in Nydenawe, omnia optima indumenta ad Altare B. Virginis Mariæ ibidem, cedentia de illis Hominibus qui moriuntur ibidem, qui non habent proprios Sanctos: qui vero habent proprios Sanctos, videlicet qui Spectant ad B. Virg. Mariam in Amorbach, vel ad S. Petrum Wimpinæ, vel ad S. Julianam Mosebach, seu alibi, illi dant. I. Solidum Hallens. pro optimo indumento, qui recipietur ad prædictum Altare B. Mariæ Virginis in Nydenawe.

Ex Cod. M. S. Wimpinensi. An. 1345.

Datum Anno Domini MCCCXLV. die VI. Kal. Junii.

XXVII.

Caroli Bohemiæ Regis Præceptum seu confirmatio Generalis omnium Bonorum & Privilegiorum Ecclesiæ Pragensis aliarumque circumjacentium.

KAROLUS divina Favente Clementia Bohemiæ Rex &c. ad Humani Redemptionem Generis Æterni Regis Filius ab alto Cœlorum ad Ima descendens, ut sententiam perpetuæ

Ex Cod. M.S. Fuld. An. 1347.

perpetuæ dampnationis eriperet incarnari de Virgine voluit gloriosa, & ex innata pietate sua Conpatiens Creaturæ, quam cœteris fecerat digniorem, Crucis subire Tormentum & Mortis amaritudinem non expavit, post suam itaque Resurrectionem à Mortuis per Mundum instituit Ecclesias Universas, quibus ob Remedium Scismatis præfecit Virum super quem ædificavit Ecclesiam, & ipsum Petrum à Petra nominavit dans ei in Traditionem Claves Regni Cœlorum & in signum Dilectionis specialissimæ singulari Privilegio potestatem ut quodcumque Ligaret vel solveret super Terram Ligatum haberetur in Cœlis vel solutum, cujus etiam Directioni præfatas commisit Ecclesias effusione Sanguinis sui prætiosissimi perpetua donatas Libertate, ad quarum confirmationem debent Regnorum Rectores & Terrarum Principes Universi Studiosius anhelare, ipsis enim à Deo Gladii potestas in Terris est collata ad Laudem Bonorum & correctionem perversorum juxta exigentiam meritorum: Nam etsi cujuslibet Hominis Christiani sit, finalis diem judicis formidare, illum tamen potentes præcipue timere debent, cum plus exigatur ab eo cui multum committitur, & tanti gradus altitudinem sequi soleant casus ingentes.

Sane inter hujusmodi nostrarum Considerationum Curas quibus altissimo Creatori nostro de cujus misericordia vitam & omnes dignitates nostras seu Honores, quibus temporaliter fungimur, possidemus & æterna speramus possidere quantum ipsius permittit Gratia, Lætantes proponimus, sæpius mente revolvimus, & Devotione debita cogitamus qualiter in primis nostræ promotionis Exordiis qualiter Fidei ac Divinæ Legis, Magistram Sacro Sanctam Romanam Ecclesiam, quam Sacro Cultu, mundo Corde pariter & Corpore, Dignis in Domino Servitiis honoremus, deinde Cœteras in nostro præcipue Dominio Constitutas, congruis Favoribus tanquam Princeps Katholicus attollamus: Sane ad Honorem Dei omnipotentis, cujus Spiritu totum Corpus regitur Ecclesiæ; Beatorum Martyrum Viti, Sigismundi, Wenceslai & Adalberti, in quorum Honorem Sancta Pragensis Ecclesia Archi-Episcopali Kathedra Decorata & Fundata dinoscitur, de cujus etiam Corpore Suscepturi sumus, Deo propitio, nostri Capitis Diadema, & plenam Regiæ Dignitatis adepturi Potestatem, nec non Honorabilem Wissegradensem Ecclesiam Capellam nostram Specialem, nullo medio in Spiritualibus Ecclesiæ Romanæ subjectam, ad Honorem S. Petri Apostolorum Principis à nostris pia Devotione Progenitoribus Institutam & Nobilibus munitam Privilegiis, Ecclesiam Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Domini nostri JESU Christi, per quam post Deum totus vivit orbis Terrarum, in monte Syon feliciter institutam, insuper Strahovense Monasterium in vicinis Campis feliciter constructum & dotatum ac omnes alias Ecclesias Regni nostri Bohemiæ tam Sæculares quam Religiosas quocumque Nomine censeantur perpetua & irrefragabili gaudere volumus Libertate, ita videlicet quod ab Angariis & Proangariis Universis immunes & ab omnibus exactionibus & vexationibus sint Liberæ ut illa ad quæ sunt Divinitus institutæ, quietius peragere valeant, & ut ipsarum Orationibus, quibus pro Nobis jugiter interpellatur apud Deum, Mundi Cursus pacifice nostris actibus dirigatur, & earum Meritis in æterni Regis Palatio nobis desiderata Mansio præparetur, omnia eis Privilegia à nostris antecessoribus pia Consideratione Concessa sive sint realia sive personalia, dummodo appareant in prima forma & autenticis Sigillis Sigillata, non Vitiata, non Cancellata, nec in aliqua sui parte abolita, Rata habemus & firma, & ea auctoritate Regia præsentis scripti confirmamus Patrocinio, Nolentes illa tractu Temporis à Malevolis aliquibus ausu temerario violari, in cujus rei Testimonium præsentes Litteras de communi consilio Baronum Nostrorum Universis Venerabilibus Ecclesiis seu quibuslibet aliis piis Locis concedimus pro Memoria præfatorum sempiterna, Sigillorum Nostrorum Munimine roboratas, ad Majorem vero Fidem & evidentiorem Cautelam hujus nostræ Donationis seu Confirmationis Seriem per Dominum & Patrem nostrum Sanctissimum Petri Successorem & JEsu Christi in Terris Vicarium confirmari volumus & Rogamus. Actum PRAGÆ præsentibus &c.

XXVIII.

XXVIII.

Ejusdem Regis Præceptum alterum in Gratiam Prælatorum & Nobilium tam Regni ſui Bohemiæ, quam Marchionatus Moraviæ.

KAROLUS Divina favente Clementia Bohemiæ Rex &c. Univerſis Regni Bohemiæ & Marchionatus noſtri Moraviæ, quibus noſſe fuerit oportunum. Ad Faſtigia Sceptrigeri Diadematis Divina Diſponente Clementia ſublimati, ad hoc efficacibus Votis Intendimus ut noſtro Regiminis tempore, noſtræ Ditioni ſubjectis Libertas optata proveniat, vitentur pericula, & à malignorum protecti incurſibus quiete Sedeant, Sedendo conquieſcant, & in temporalium Requie maneant opulenta, quod tunc ſalubrius fieri credimus ſi jus ſuum tribuatur cuilibet & ultra debitum nemo arctetur, hoc ſane attendentes, omnes Regni noſtri Bohemiæ, & Moraviæ Principes Eccleſiaſticos & Sæculares, Barones & Prælatos, Clericos Univerſos noſtræ Ditioni ſubjectos pio Favoris auſu favorabiliter amplectentes, eisdem Duximus promittendum quod omnia Jura & Conſuetudines quæ & quas à noſtris habuerunt & habere dinoſcuntur prædeceſſoribus Rata habere volumus & tenere, & eadem inconvulſa conſervare, nec non omnia eorum ſimilia quæ à noſtris habent prædeceſſoribus volumus noſtris confirmare Sigillis: Præterea ut noſtri ſubjecti uberiorem noſtræ pietatis ſentiant benevolentiam, promittimus quod nullam ſteuram vel Exactionem, niſi nos Uxorem ducere contingeret, ſeu in Liberorum Filiorum noſtrorum & Filiarum copulatione conjugali, ab eis aliquatenus exigemus. Ex eodem Cod. M.S. An. 1347.

Cæterum ut noſtri Regni Regnicolas ad voluntaria provocemus obſequia, pollicemur eisdem quod nunquam alicui alteri quam Moravo in Moravia, & Bohemo in Bohemia, aliquod officium committemus, inſuper communi voto patentum, Bona ſua devolvi ad poſteros, Clementer aſſentientes, volumus quod Liberis, Filiis & Filiabus usque ad quartam Generationem exiſtentibus, alicujus ſubditi noſtri Bona, ad nos tamquam Vacantia, niſi propter Crimen confiſcanda fuerint, devolvantur, ſeu noſtro Ærario applicentur: porro ut ſuis utilitatibus noſtri ſubditi quietius intendant & commodius conquieſcant, hanc eis Gratiam Duximus concedere ſpecialem quod ultra metas Regni noſtri Bohemiæ Nobiles Regni noſtri Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ pro ſubjugatione alicujus Terræ alienæ eos invitos nullatenus Compellemus &c.

XXIX.

Caroli IV. Imp. Epiſtola ad Erneſtum Archi-Epiſcopum Pragenſem, qua illi nuntiat ſe S. Viti Martyris Caput & Corpus, à Papienſibus accepiſſe in Donum.

KAROLUS Quartus &c. Venerabili ARNESTO Archi-Epiſcopo nec non Honorabilibus Vitis &c. Oriens ex alto Splendor Lucis æternæ, qui neſcit occaſum, ſicut priſcis temporibus Boemorum Gentem à Gentilium erutam erroribus, Novellam tunc Sanctæ Matris Eccleſiæ plantationem, inter ipſa mox Converſionis ſuæ primordia Candore mirabili illuſtravit, ita etiam his temporibus, quibus auctore Domino, in Paradiſo Eccleſiæ ſecus decurſus aquarum fluentium plantata, fœcunda Fructuum ſpiritualium ubertate fulcitur, ſuis etiam non deſinit fulgoribus adornare ac variis Gratiarum Dotibus Inſignire; tunc enim glorioſi Boemiæ Principes, de quo alto Sanguine nos conſtat traxiſſe originem, pro Chriſti Nomine glorioſa ſubiere certamina, & pia Colla Jugulanda ſubmittentes atrociter trucidati, Cœleſte Roſetum meruerunt ſertis præſigniti Roſeis introire, nunc vero per noſtræ Regalis Vigilantiæ obſequium varia Sanctorum Corpora, Variasque Ex eodem Cod. M.S. An. 1355.

riasque Reliquias Longe lateque per Orbem Collectas felix meruit Bohemia possidere, Felix nimirum Bohemia quæ talibus ac tantis, divina Clementia, Muneribus se prædítam gloriatur, Felix utique in cujus Aula Regali Magnificam Sedem sibi elegit Excellens Imperium Orbis Terræ, ad cujus nos apicem, Licet inmeriti, Cœlesti Providentia sublimari sumus:

Hæc dum meditamur, & dum etiam pro humana Conditione Oculis Corporis nostri sopor illabitur, vigilat Cor nostrum assidue in his per quæ Status Magnificus & exaltatio Venerandæ Matris nostræ Sanctæ Pragensis Ecclesiæ producatur quam Venerabiles Patroni & Progenitores nostri dilecti, conspersione Rosei sui Sanguinis consecrarunt, quæque Ecclesiarum omnium Regni nostri Bohemiæ Domina esse dinoscitur & Magistra: Sane dum Nuper ad suscipiendam Coronam Ferream, qua nostri Prædecessores divi Romanorum Reges, inter Triumphales Imperii Sacri Coronas in secunda sui Coronatione sunt soliti Coronari, Mediolanum applicuissemus & Corona eadem fuissemus solempniter Insigniti, inter ipsa Coronationis nostræ solempnia Lætantes audivimus, qualiter in Civitatis Papiensis Monasterio S. Marini Ord. S. Benedicti in Majori Altari Inclytus quondam Aistulphus Longobardorum Rex ab annis Octingentis circiter, Caput & Corpus Beatissimi Viti Martyris Patroni nostri eximii maxima Devotione & honorificentia collocavit; harum igitur Reliquiarum desiderio ferventer accensi continuo Venerabiles Papiensem, Pergamensem, & Egydium Vicentinum Episcopos & honorabiles Præpositos Bohusensem, & Johannem Luthomirsensem, ad dictam Papiensem Civitatem nostra providit Serenitas dirigendos pro parte nostræ Celsitudinis Caput & Corpus prædictum instantissime petituros, Quibus ad arduam precum nostrarum & desiderii ardentis Instantiam, in multorum Nobilium Prælatorum; Civiumque præsentia, prædicto Altari reverenter aperto, Abbas S. Marini, nec non Nobiles & Cives præfatæ Civitatis Papiensis, licet inviti & earundem avidi, nostris tamen votis & precibus satisfacere cupientes, & adventum Regium sibi desideratissimum in ea parte Singulariter honorantes, ipsas Reliquias quas ex nimia vetustate pro Majori parte redactas repererunt in pulverem, eisdem nostris Nuntiis non sine Lacrymarum profluvio presentarunt, per eos nostræ Celsitudini præsentandas, quas prætiosissimum Civitatis & Ecclesiæ Papiensis Thesaurum communis eorum assensio proclamabat, prout super omnibus Instrumentum publicum est confectum, & Episcopi Papiensis, nec non Abbatis S. Marini & Communitatis Papiæ Sigillis, ad præmissorum omnium Clariorem evidentiam & perpetuæ rei Memoriam consignatum quod processu Temporis unà cum Capite & Corpore ipsius S. Viti per Speciales Nuntios ad prædictam Pragensem Ecclesiam in ejusdem Gloriosi Martyris Titulo & honore constructam, favente Deo, transmittemus, aut in nostro felici Adventu, Deo auspice, nobiscum faciemus afferri, sperantes per divinæ dispensationis providentiam accidisse ut Regiminis nostri Temporibus Caput & Corpus dicti Gloriosi Martyris ad Ecclesiam suo Nomine antiquis fabricatam Temporibus, offerretur cujus Meritis Gloriosis Felix Bohemia temporali prosperitate Lætetur, ut ejus Devoti post præsentis Caducæ Lucis Occasum, in Regione Lucis perpetuæ gaudiis mereantur perfrui sempiternis. Volumus autem totum tenorem præmissum per singulas Collegiatas Conventuales & Parochiales Ecclesias Urbis nostræ Pragensis & suburbiorum ejus, Clero & Populo solempniter publicari &c.

XXX.

Ejusdem Imperatoris Epistola altera ad Joannem VI. Paleologum Imp. Constantinopolitanum, qua eum de solemni Coronatione sua Romæ peracto certiorem facit, eique adversus Inimicos suos opem pollicetur.

Ex eodem Cod. M. S. An. 1355. Karolus Quartus &c. Serenissimo Principi Domino Johanni Paliologo Imperatori Constantinopolis, Consanguineo & Amico nostro Karissimo salutem & Sinceræ Dilectionis continuum Incrementum. Serenissime & Consanguinee Karissime. habet hoc proprium Imperialis Excellentiæ magnitudo & ad hoc præcipue Generosæ sublimi-

blimitatis Effectus dirigitur ut illis bonorum successuum gratas prosperitates aperiat, illis felicium Eventuum jocunditates insinuet quos vel amoris præcipui flagranti quadam dilectione complectitur, aut in Fide Sincera Constantes reperit, seu ad Imperialis Honoris Fastus eximios diligentius inclinari: Vobis igitur, cui nostra salus parit Lætitiam, cui omnia nostra Commoda cedunt in gaudium, innotescat qualiter auctore Domino à quo omnis Principatus & Honor dependet, in Sanctissimo die Paschæ Resurrectionis Dominicæ de Manibus ad hoc Vice summi Pontificis Legitime deputati in Basilica Principis Apostolorum in Urbe, ubi pridem divi Romani Imperatores prædecessores nostri Imperialia Diademata receperunt, præsentibus Principibus ibidem, Comitibus, Baronibus, & Nobilium multitudine Copiosa unà cum Serenissima ANNA Romanorum Imperatrice semper Augusta & Bohemiæ Regina Consorte nostra Carissima Imperiales Infulas & Coronas cum solempnitatibus & Ceremoniis, in, & circa hujusmodi Laudabiliter observari consuetis, rite suscepimus pro DEI omnipotentis Gloria, nec non tranquilla pace & Sperata salute subjecti nobis Populi Christiani; tum & Divina Nobis suffragante Clementia reductis ad obedientiam nostram Italiæ, Galliæ, & Germaniæ partibus & aliis Terris quæ Sacro subsunt Imperio, quibus Sedatis adversitatum turbinibus absoluta potentia Dominamur, una cum antedicta nostra Consorte, Corporis incolumitate potimur, & grata prosperitate feliciter habundamus.

Cæterum ex Legationibus Vestris in præsentia Majestatis nostræ tam sollicite quam prudenter expositis, Imperialis Celsitudo recepit natam illam & crudelem Tyrannidem ac detestatæ pravitatis versutias, quibus perfidus ille KANTECHUSANUS cui claræ memoriæ Genitor noster, puerilis ætatis vestræ compendia, Imperia, & ea quæ Domini vestri Claritatem censebantur aspicere, tamquam Viro bene conscio, sub fida præsumptione commisit, sic suæ Fidei & Honoris est Oblitus ut vos & Imperium Vestrum, & subditos vobis Fideles provocet in Errorem, & ubi, juxta Paternæ Commissionis seriem, Honoribus & Commoditatibus vestris sperabatur intendere, Aspide truculentior, non solum negligentis Dispensationis scelere volebat redargui verum assumpto sibi Regni & Nobilitatis vestræ Titulo, se passus est in vestri præjudicium & Ignominiæ suæ detestationem Imperialis Diadematis Fastibus Coronari; Quod quantum Autori Veritatis & Fidei Domino nostro JEsu Christo displicuerit, aut quantum hujus abominationis fœtore in suæ Divinitatis Conspectu Traditor ille sorduerit, Exitus ipse probavit, dum tarditatem suæ Vindictæ Ille Deus omnipotens Supplicii gravitate pensavit, & male malum perdidit, qui inter iniquos computari promeruit, & Innocentiæ Vestræ Conditione prævisa Vos ad Imperii solium rite reduxit Judex ille Magnus, ante cujus metuendum Tribunal potestates singulæ contremiscunt; Illi igitur una vobiscum & pro vobis Consanguinee Carissime grates exsolvimus, illi ad Reverentiam exultantis Latriæ, illi ad Votorum exequenda sollemnia vos propensius obligari conspicimus, qui ex alto Cœlorum prospiciens justæ animadversionis sententia & damnat Impium, & Innocentem de manibus iniquæ Potentiæ Liberavit, nec super hujusmodi Casu nostris aut humanis quibuscumque credimus Opus fore Consiliis ubi Magnificus ille Consultor, cujus Virtute roborantur Cosilia, Bonitate salus Consiliorum invenitur, Consiliatrice Gratia gratum pridem Consilium in effabilis suæ Benignitatis Munere Dignatus est Misericorditer erogare:

De Illustri Nichilominus Rege Russiæ, de Turcis Sanctæ & Vivificæ Crucis Hostibus, quibus Katechusanus ille, atroci suæ perditionis malitia, iniquitatis Vinculo Colligatus, Aurum & Vires præbuit Vestros dissipandi Fideles, vestrumque Imperium demoliendi, ac de aliis quæ post Seriem præmissorum Excellentiæ vestræ Legatio denotabat, quæque propter viarum pericula, Litteris aperire non decuit Nuntios vestros distincte & sufficienter Informatos remittimus, quibus Fidem adhibeat vestra Serenitas, & in Effectum meditetur perducere & grato Fine concludere quæ dicentur: Desiderantes attente, ac Dilectionem vestram affectuose rogantes quatinus Majestati nostræ Vias & modos quibus eadem Negotia disponere & aggredi decreverit vestra Provisio, & eventus alios successusque jocundos, quam citius poteritis, insinuare curetis, ut intentione vestra comperta ad subveniendum Indigentiis vestris oportunius valeamus Intendere sicut proposuit nostra Serenitas & prout à prædictis vestris Nuntiis plenius audietis &c.

XXXI.

Ejusdem Imperatoris Præceptum, quo Rudolfo Saxoniæ Duci Dignitatem Electoralem, Ducatui Saxoniæ adnexam, una cum omnibus Juribus ac privilegiis hæreditariò confirmat.

Ex eod. Cod. M. S. circa An. 1356.

KAROLUS Quartus &c. Etsi sollicitudo Dignitatis Cæsareæ in qua nos Conditor Orbis Omnipotens ex sola Dignationis suæ Benignitate Dignatus est Collocare incessanter nos urgeat & frequenter admoneat jugiter esse sollicitos & voluntarios subire Labores, quemadmodum à nostris & Imperii Romani Fidelibus generaliter Universis incommoda submoveamus & scandala, & pacis eis & quietis compendia Ministremus, ferventiori tamen affectu in illis Exercendis Cor nostrum accenditur, quæ Sacri Decus Imperii & Inclytos Principes ipsius Imperii Electores quadam specialitate concernit, ubi tanto nos ardentius decet intendere quanto nobis constat evidentius in eorum præcellentia, Sacri Romani Imperii Magnificentiam altioribus Titulis & Honoribus decorari.

Sanè quia certo certius sumus edocti, ac à Principibus, Comitibus, Baronibus, Proceribus, cæterisque Romani Imperii Fidelibus Experientiam & Testimonia Luce recepimus Clariora qualiter Illustris Dux Saxoniæ tanquam Princeps Elector Imperii, cum consensu, voluntate & Voto Unanimi aliorum coelectorum Principum piæ Recordationis Serenissimum quondam Prædecessorem nostrum rite & rationabiliter elegit, & postea avum nostrum in Romanorum Regem, qui post Electionem eandem in Romanorum Imperatorem exstitit solempnitet coronatus, Manifestum insuper & Longe lateque dinoscitur divulgatum, nec potest in Dubium revocari quomodo etiam idem avunculus noster R. hoc felici nostro tempore nos in Regem Romanorum elegit, sicut etiam post eandem suam & aliorum Principum Coelectorum suorum Electionem, in Imperatorem Romanorum sumus feliciter, auspice Deo, promoti & solempniter coronati prout omnia præmissa clarissimo Fide Dignorum Multorum Testimonio fulciuntur: hinc est quod dicti avunculi nostri Dilecti tam Claro, tam Manifesto tamque Notorio Jure, multa deliberatione pensato & diligenter inspecto, quod idem retroactis Temporibus habuit & possedit & ex Successione & Hæreditate paterna in Electione Regis Romanorum in Imperatorem promovendi, possidere dinoscitur & habere, sano Principum, Comitum, Baronum, & procerum nostrorum accedente Consilio, futuris cupientes quantum possumus obviare periculis, & materiam succidere Dubiorum, ut inde Jus & Dignitas hujusmodi sibi ac suis Hæredibus & Successoribus Illæsa perpetuo incommutabiliter conservetur & permaneat illibata: Declaramus imo decernimus & Edicto Imperiali præsenti perpetuis valituro Temporibus Sancimus ex certa nostra scientia de plenitudine Imperatoriæ potestatis, quod antedictus avunculus noster R. & nemo alius tamquam Saxoniæ Dux & Sacri Imperii Archimariscallus, verus & Legitimus Princeps Elector existat seu exstitit, sibique competat sicut & competit Vox, Jus, & potestas Eligendi in Electione Regis Romanorum in Imperatorem promovendi & post obitum ejus, Filio suo primogenito, & illo non existente, primogeniti ejusdem primogenito, vox, & Jus dictum competat eligendi: Si vero ipsius primogenitum absque Hæredibus Masculinis Legitimis mori contingeret ex tunc vox, & Jus seu potestas Electiónis hujusmodi ad Seniorem Fratrem per veram paternalem Lineam descendentem & deinde ad illius primogenitum devolvatur, & talis successio in voce, Jure, & potestate præmissis, in Ducibus Saxoniæ perpetuis Temporibus observetur: Præterea ne super Jure Electionis hujusmodi in Ducatu seu Principatu Saxoniæ ullo unquam tempore Dubium aliquod oriatur vel scandalum suscitetur, autoritate Imperiali de præfatæ nihilominus potestatis plenitudine Declarationem Decretum & Sanctionem nostras prædictas approbamus Ratificamus, & ex certa nostra scientia in omnibus & Singulis Articulis & Sententiis confirmamus, supplentes insuper de Sæpedicta Imperialis Majestatis plenitudine ex certa nostra scientia omnem defectum verborum aut solempnitatum obmissionem, seu aliud

quo-

quovismodo nunc aut in futuram perpetuis Temporibus inveniretur admiſſum, quibus omnibus & Singulis quo ad omnia puncta ſuperius tacta eſſe volumus totaliter derogatum & autoritate præfata omnimode derogamus: Nulli ergo &c.

XXXII.

Ejusdem Imperatoris Præceptum alterum, quo Theodorico Mindenſi Epiſcopo, ob Singularia ſua in Coronam Bohemiæ Merita, Univerſos Regni Bohemici Redditus ac proventus obligat.

KAROLUS Quartus &c. Notum facimus &c. quod cum Venerabilis THEODORICUS Mindenſis Epiſcopus Princeps & Conſiliarius noſter Dilectus, ex affectu Sinceræ Fidei & virtuoſis deſideriis quibus in obſequio noſtro Solerti Cura continuaſſe dinoſcitur, & ex amore Sincero quo ipſe Regni & Coronæ Bohemiæ ſtatum atque Honorem proſequitur, multas munitiones, prædia, poſſeſſiones, utilitates & Fructus ejusdem Regni pecunia ſua redemerit ab his qui talia multis temporibus non absque notabili jactura Regni & Coronæ Bohemiæ pignori tenuerunt, Dignum ducit Imperialis noſtra Serenitas, quod tantæ & tam virtuoſæ intentionis puritas, Dignis ſibi obvietur Favoribus, ideoque animo deliberato, non per Errorem aut improvide, ſed matura Principum & Procerum noſtrorum accedente Conſilio, ſibi omnes Fructus, Redditus, & proventus dicti Regni Boemiæ, nominatim Devolutiones Bonorum quovismodo, uſus Fructus Montanorum Auri vel argenti, ferri, ſtanni ſeu cujuscumque alterius ſpeciei, emolumentorum etiam de Judicio provenientium nec non ſilvarum quibus etiam nominibus tales utilitates, Fructus, & commoda conſueverunt vocari, & generaliter omnes proventus utilitates, Cenſus, & obventiones Civitatum, Villarum, Locorum, ſeu Villicationum quocumque cenſeantur vocabulo, nomine veri & juſti pignoris de certa noſtra ſcientia præſentibus obligamus, decernentes quod præfatus Theodoricus Mindenſis Epiſcopus omnia ſupradicta & eorum quodlibet tenere utifrui & poſſidere debet, donec Proventibus, Redditibus, Cenſibus, Fructibus & obventibus prædictis computatis in ſortem & in ſummam Capitalis pecuniæ, rationis Legitimæ Calculo defalcatis ipſe omnem ſuam jam impenſam aut inpoſterum inpendendam pecuniam ſuſtulerit, habuerit & perceperit integraliter & ad plenum, promittentes pro nobis, Hæredibus & ſucceſſoribus noſtris Bohemiæ Regibus Fide Sincera dictum Epiſcopum in obligatione prædicta & omnibus ab ea dependentibus, non impedire, gravare, ſeu dampnificare, neque impediri, gravari ſeu dampnificari permittere in toto ſeu in aliqua ejus parte, ſed potius ipſum in his manutenere, tueri & defenſare, non obſtantibus quibuscumque Litteris aſſignationibus ſeu pignorationibus dandis ſeu faciendis in contrarium &c.

Ex eodem Cod. M. S. circa An. 1356.

XXXIII.

Ejusdem Imp. Epiſtola Encyclica, qua ob Natum ſibi Filium Wenceslaum Regem, ſubditos ſuos Univerſos ad Hilaritatem & Lætitiam provocat.

EXultent jam Celebris Jocunditate Lætitiæ Cunctorum Corda Fidelium, Exultent jam omnes Regiæ Subditi Ditioni & pro noſtri Regis emolumento fiat populis ſolempnitas generalis: Gaudeat Bohemia ſe tanti Eventus Auſpiciis Clarificatam Felicibus, & Magnis Exultationum Tripudiis annexæ ſibi Provinciæ jocundentur; Lætentur, inquam, Univerſaliter Singuli, & Singulariter univerſi, ſimul in unum Dives & Pauper gaudeant, & feſtivis applauſibus cum minoribus Jubilent Seniores, quia Ecce de Radice Stirpis ingenuæ palmes proceſſit generoſus, & Majeſtas Regia in pignus fructificavit eximium, optatam Divinitus produxit ſobolem, & Hæreditarium

Ex eodem Cod. M. S. An. 1361.

rium protulit Successorem; Natus est nobis Puer, super quem Coetus Fidelium, qui ab olim quasi anxius rebus incertis fluctuans titubabat, verens forsitan alti detrimenta Sanguinis, atque Sceptri inclyti dampna timens, poterit nunc respirare, & in vitam redire communis valebit alacritas, quam exuberantis desiderii affectibus lacessitam prolixa exspectatio de Rege tenero ferè coegerat exspirare. Natus est nobis Puer, ad cujus omen Natalitii Gloriosum, velut ad ortum Surgentis Auroræ, dies nobis emicuit generosa, quia de nutantium Cordibus subditorum discussa Dubietas, cujuslibet caligine & Spei fluctuantis Nubilo relegatis, ad omnes pristinæ Vigor Felicitatis rediit, & Serena Devotionis Sinceritas remeavit; Natus denique est nobis Puer, in quo Regnum Bohemiæ velut in Turri fortitudinis stabilitum, æmulorum insolentiam non timebit, quia certis jam patet indiciis quod Divini Numinis gratia gratis applaudit successibus & Magnifico Principi Boemorum Fatorum favet Series & Fortuna fortiter famulantur, maxime dum ex sui stipite Generis Excellentis plures Ramusculi pullulabunt, Emergent Virgulæ, succrescent Hæredes, egredientur Egregii Principes, ne semen Justi corruat & Deo dicata prosapia Eclipsim aliquatinus patiatur.

XXXIV.

Ejusdem Imperatoris Præceptum quo Civitatem Tetzin cum attinentiis, à Prædecessoribus suis Bohemiæ Regibus, Nobili Wartbenbergicæ Genti olim donatam, rursus confirmat.

Ex eodem Cod. M.S. KAROLUS Quartus &c. Notum Facimus &c. quod pridem Celebris & recolendæ Memoriæ Illustris WENCESLAUS olim Bohemiæ Rex Avunculus noster, Civitatem Tetzin cum omnibus pertinentiis suis Bonæ Memoriæ Nobilibus JOHANNI & WANTONI de WARTHENBERG Occasione Fidelium Obsequiorum, quæ recepit ab eis, generosi Favoris officio, voluntarie benigneque erogavit, ac demum eadem Civitas cum suis pertinentiis ut præmittitur Hæreditariæ & Justæ perpetuitatis Titulo ad Nobiles BEVESSIUM de WARTHENBERG, JOANNEM GASTO suum patruum & ejus Fratres de WARTHENBERG similiter nominatos ordinarie & ex justitia fuerit Legitime Devoluta, atque Claræ Memoriæ Illustris JOHANNES olim Bohemiæ Rex Genitor noster Carissimus, & Nos similiter eo tempore quo illud auctoritate Regia Bohemiæ facere poteramus, Donationem eandem velut acceptam & gratam nobis, confirmandam Duximus sicut hæc omnia nota & cognita nobis sunt: Talibus certis Informationibus & Manifesta Notitia, ut nullum inde in Corde nostro poterit aut possit Dubium generari, & quia Jus præfatorum Nobilium Bevessii, & Johannis de Warthenberg, privilegia & Litteræ, quæ & quas à Nobis & præfatis Genitoribus nostris desuper obtinuisse noscuntur, permissione Divina & Sinistræ fortis eventibus una cum Castro Tetzin per Ignis Voraginem sint consumptæ, ita ut de suis Juribus prætextu Privilegiorum & Litterarum hujusmodi non valeant, amplius edocere, tamen nostræ Intentionis exstitit, ac intueri volumus & Benigno favore frequenter advertere, Constantia, sollicita, & Fidelia semper obsequia quibus præfati Nobiles, nostri Fideles, nobis & progenitoribus nostris hactenus placuerunt, Fideliter, & in futurum placere & obsequi tenebuntur Fidelius, & ob hoc indempnitati eorum generosius providere: Quapropter Animo deliberato, Sano Principum Baronum & procerum nostrorum accedente Consilio, auctoritate Regia Boemiæ ac de certa nostra scientia dicimus & declaramus, quod præfata Civitas Tetzin cum omnibus suis pertinentiis, pro sui medietate præfati Bevessii & suorum Hæredum, & pro alia medietate præfatorum Joannis Gast, Fratrum ejus & suorum Hæredum vera proprietas existit & esse debet sub omnibus Conditionibus sicut ipsi hactenus eandem Civitatem cum suis pertinentiis tenuisse noscuntur, & sicut in ejus pacifica & Hæreditaria possessione fuerunt hactenus & sunt, etiam tempore sint subsequenti, & ne præfatis Fidelibus nostris privilegiorum & Litterarum talium Odiosa perditio aliquod præjudicium generet, nos eandem Civitatem Tetzin cum omnibus suis utilitatibus, Judiciis, Redditibus Divitiis & omnibus pertinentiis suis, præfatis Fidelibus nostris Bevesio de Warthen-

thenberg, Johanni Gast & suis Fratribus, de Warthenberg similiter nominatis & Legitimis eorum Hæredibus auctoritate Regia Boemiæ, in Hæreditariam Proprietatem de novo damus, confirmamus, & Largimur, decernentes quod hæc præsens nostræ denominationis & Largitionis innovatio Proinde Robur firmitatis obtineat ac si Privilegia & Litteræ quæ & quas à nobis & dictis nostris progenitoribus obtinuisse noscuntur in Formis & Figuris propriis ad hoc subsisterent & integraliter haberentur &c. Nulli ergo omnino Hominum Liceat nostræ declarationis, donationis, innovationis, Collationis Largitionis & Decreti paginam infringere vel ei quovis ausu temerario contraire sub poena Indignationis nostræ gravissimæ, nec non Centum Marcarum Auri purissimi, quas ab eo qui contrafecerit & totiens quotiens contrafactum fuerit irremissibiliter exigi volumus, & earum Medietatem Ærarii sive Fisci nostri Regalis Boemiæ, Residuam vero partem supranominatorum de Warthenberg & eorum Hæredum usibus applicari &c.

XXXV.

Ejusdem Imp. Præceptum alterum, quo Monetas in Delphinatûs & Sabaudiæ Ditionibus, non aliter quam sub Forma & Modo præscriptis, cudi vetat.

KAROLUS Quartus &c. Universis nostris Sacri Romani Imperii Fidelibus præsentibus & futuris ad quos præsentes pervenerint Gratiam suam & omne Bonum. Etsi Cunctos Principes decet circa Bonum, Quietem, & utilitatem publicam ferventi studio vigilare, cum publica utilitas præferri debeat privatæ, Jure Divino & Humano dictante, & naturali etiam Ratione, Nos utique qui ad Apicem Cæsareæ Majestatis vocati sumus circa ea tenemur & debemus studiosius inniti, quæ subditorum nostrorum commodum respiciunt & profectum: Sane cum nuper in partibus Imperii nostri videlicet in Provinciis, Delphinatu & Sabaudiæ Comitatu, quæ ad Nos & ejusdem Sacri Imperii directo & inmediato Dominio pertinere & subesse noscuntur, pro Reformatione quorundam Negotiorum nostri Sacri Imperii præsentialiter agebamus, Auribus nostris frequens querela insonuit quod nonnulli temerarii præsumptores, prætextu quorundam prætensorum Privilegiorum ab olim eisdem per nonnullos Imperatores & Reges Romanorum prædecessores nostros, ut asserunt, concessorum ut ipsis Liceat infra Sacri Romani Imperii Limites monetas facere, cudere, & fabricare, iisdem Privilegiis abutuntur & abusi fuerunt retro actis temporibus, infra ipsius Imperii Fines & ambitum plures monetas Auri & Argenti ac Metalli, minoris Ligæ & valoris ac deterioris quam deberent & esse consuevissent, sub certis Nominibus, Caracteribus & Figuris, inconsulte & subdole fieri & Fabricari fecerunt, quibus non erat nec fuit potestas vel Licentia talia faciendi, & dictis monetis eorum, vi & potentia intermixta uti fecerunt nihilominus contrahentes, ex quibus nostra & Imperii vilipenditur authoritas, & publica utilitas non modicum pati censetur, ac nostri & Sacri Romani Imperii Subditi variis concussionibus & Bonorum contractionibus dampna irrecuperabilia, prout visibiliter præsumimus, sustulerunt hucusque, & Majora sustinerent in futurum nisi super hoc per nostræ Majestatis Celsitudinem provideatur de Remedio oportuno: Volentes itaque circa præmissa prout nobis & Sacro Romano Imperio congruit, præsertim ob nostri & Sacri Romani Imperii Subditorum utilitatem, & perfectam salutem uberius providere, habita deliberatione super prædictis ac infrascriptis, cum Sanctissimo in Christo Patre ac Domino, Domino URBANO Divina Providentia Papa V. ac aliorum Principum & procerum nostrorum, & ipsorum communicato Consilio Ordinavimus & disposuimus & tenore præsentium Ordinamus, volumus, & disponimus de cætero monetas nostras infra Sacrum Romanum Imperium sub modis, Legis, Formis, Remediis & Conditionibus infrascriptis cudi & fieri ut sequitur in hunc modum.

Ex eodem Cod. M. S. An. 1363.

Inprimis quod fiat una Moneta Aurea quæ appelletur Regalis, quæ sit tanti ponderis quod ex una Marca parva Auri fiant LXIII. Floreni Imperiales & sint Ligæ XXIIII. Karatorum minus quarta parte unius Karatæ, uno Floreno Imperiali pro XIII. grossis computato, & Magister Monetæ capiat tertiam partem unius Floreni ex Dictis Imperialibus pro diminutione Auri, Magisterio, Custodia Instrumentis & omnibus oportunis.

Item volumus & Ordinamus quod Dicta Moneta Aurea quæ appellabitur ut supra, Figuram & Formam habeat Infrascriptas; videlicet quod habeat ab una parte Imaginem Imperatoris in qua sit vestitus Ornamentis Imperialibus, & in Capite Imperiali Diademate Ornatus & Sedeat super una Kathedra, in manu dextra tenens Sceptrum Imperiale, in sinistra vero manu pomum Imperialem, à parte vero dextra Caput ipsius imaginis Imperatoris habeat unam parvam Aquilam & erit Scriptum in circumferentiis dictæ partis. Karolus Quartus Divina Favente Clem. in alia vero parte Dictus Imperialis Aureus habebit unam Crucem foliatam intra unum Conpassum & in circumferentiis dictæ partis habebit unam parvam Crucem, & prope erit Scriptum: Imp. Rom. Boem. & Arelatensis Rex.

Item fiat una alia Moneta Aurea quæ valebit XII. grossis & expendetur pro totidem, & erit Ligæ, Formæ & Figuræ cum Litteris & Signis ut Supradictum est, excepto quod in præsenti Moneta Aurea non erit alia Aquila parva prope Caput Imaginis Imperatoris prout in Supradicta, & fiant ex una Marca levi & Puri Auri LXVIII. Floreni Imperiales cum quarta parte alterius Floreni Imperialis, & Magister Monetæ recipiet pro Magisterio, Operariis Dictarum Monetarum, Custodia & aliis Necessariis, quatuor grossos cum dimidio.

Item fiat alia Moneta argentea, quæ similiter appelletur Imperialis, quæ erit de Liga XII. denariorum Boni & Puri argenti & ponderis Marcarum Civitatis Avinionis VIII. solidorum IX. denariorum & III. quartarum alterius denarii, & fiant de una Marca Puri argenti VIII. Libræ & XIII. solidi Avenionenses computato uno Dictorum Denariorum pro XVIII. denariis.

Ut autem prædicta omnia per nostræ Majestatis autoritatem, ut prætangitur, statuta & Ordinata in statu permaneant, fiant, & utilius exequantur, nos de Fidelitate & inviolata probitate Dilecti, Fidelis, & Consiliarii nostri Nobilis Rudolphi de L. Militis & Gubernatoris Delphinatus Fidem indubiam obtinentes, Dictum Rudolphum Executorem, gardeatorem & promotorem nostrum, omnium Prædictorum Constituimus creamus & Ordinamus præsentium per Tenorem, dantes & concedentes auctoritate nostræ Majestatis dicto Rudolfo plenariam & Liberam Facultatem & auctoritatem Dictas Monetas in modo & Forma prædictis per se vel per alium seu alios ab eo auctoritate nostra deputandos cudi & fieri faciendi ubi sibi videbitur expedire, Billanos & Metalla prædictis Monetis providendi & ad ipsas portari faciendi, probationes & assagia de Dictis Monetis & qualibet ipsarum semel & pluries & quando & quoties Necessarium fuerit faciendi, preconizationes & Edicta pro præmissis exequendis fieri faciendi, nec non præcepta & Ordinationes quaslibet poenas & mulctas per se vel per alium, ut supra, nostræ Majestatis Nomine imponendi & imponi mandandi & ad omnia alia & similia Exequendi quæ ex ea necessaria fuerint & oportuna, & quæ nostræ Celsitudini incumberent facienda, etiamsi Mandatum exigerent Speciale, decernentes hoc Imperiali Edicto ut ad Receptionem & usum hujusmodi Monetarum Imperialium omnes & Singuli Romano subjecti Imperio teneantur, quocirca Mandamus tenore præsentium universis & Singulis Principibus tam Ecclesiasticis quam Sæcularibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Communitatibus, Civitatum, oppidorum, Villarum Rectoribus Gubernatoribus, Balivis, seu ipsorum Loca tenentibus & quibuscumque nostris & Sacri Romani Imperii Subjectis quatinus dictam nostram Monetam recipiant & recipi faciant & Dicto Militi & Consiliario nostro ac deputandis ab eodem in præmissis & circa præmissa existentibus pareant, Obediant, sub pœna Centum Marcarum Auri &c.

XXXVI.

XXXVI.

Ejusdem Imp. Tractatus Pacis ac simul Fœderis cum Ludovico Hungariæ Rege & Austriæ Ducibus initus.

KAROLUS Quartus Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Nos JOHANNES Marchio Moraviæ, pro nobis & Hæredibus nostris Filiis & Filiabus, parte ab una & Nos LUDWIGUS Ungariæ Rex; LUDOLPHUS, ALBERTUS & LEWPOLDUS Austriæ, Stiriæ, & Carinthiæ Duces pro nobis, & Hæredibus nostris, Filiis & Filiabus, occasione Colligationis inter nos initæ parte ab alia Notum facimus &c. Nos utrobique bona deliberatione Principum Nostrorum Ecclesiasticorum & Sæcularium, Nobilium & Fidelium nostrorum jurati nostri Consilii accedente Consilio, ac de certa nostra scientia, Illustris etiam Principis Dominæ KATHARINÆ Austriæ Ducissæ, nostri qui supra Cæsaris Filiæ, RUDOLPHI Ducis Austriæ consortis Legitimæ interveniente Tractatu, & per manus ejusdem, super Pronuntiatione per Illustres Principes & Dominos KAZIMIRUM Poloniæ Regem, & BOLKONEM Ducem Swidenizensem in causis nostris facta, inter nos utrobique, pro nobis, nec non omnibus amicis adjutoribus & Servitoribus nostris super omnibus discordiis, displicentiis, contrarietatibus quæ inter nos Facto, Verbo, aut Ostentu Subortæ noscuntur ex quibuscumque rationibus vel Causis usque ad hodiernum diem talem Unionem Concordiam & amicabilem ac benignam compositionem inivimus & consummavimus, ut omnes dissensiones, omnesque actiones, Impetitiones aut repetitiones quas quælibet partium versus aliam super Terris, Hominibus, quavis Ratione vel Causa usque in præsens tempus habuit seu habere potuit quovismodo, omnino cessent ac penitus sint extinctæ, & ad Majorem Securitatem, perpetuam & Integram firmitatem ejusdem pacis & amicitiæ alterutrum promisimus Bona Fide sub verbis Principatuum, Dignitatum que nostrarum & Juravimus ad Sancta tactis Sacro Sanctis Evangeliis & Ligno Sanctæ Crucis, quod nulla partium versus aliam Guerram movere debet, neque pro Terris, neque Hominibus, Principatibus, Dominiis, Libertatibus, Juribus, Dignitatibus & Honoribus in quorum seu quorum possessiones sunt partes prædictæ, seu quæ adipisci poterunt ubicumque sita noscantur quibuscumque Censeantur Nominibus, contendere debeat, neque partem aliam in his deteriorare, in Errorem ponere, aut dampnificare quovismodo, neque alicui volenti alteri partium quovismodo gravamen, Errorem, aut constrictionem inducere, quovismodo Consilium, Auxilium, aut favorem bona Fide, dolo malo quolibet procul moto, & pro firma, patenti & perpetua Notitia prædictorum, Nos qui supra Karolus Romanorum Imperator, Ludwicus Ungariæ Rex, Johannes Marchio Moraviæ, Rudolfus, Albertus & Lupoldus Duces Austriæ, Sigilla nostra præsentibus Litteris Duximus appendenda.

Ex eodem Cod. M.S. An. 1364.

Dat. BRUNÆ Anno Regnorum nostrorum XVIII. Imperii vero IX. &c.

XXXVII.

Ejusdem Imp. Charta absolutionis super Excessibus quibusdam à Ludovico Marchione Montisferrati commissis.

KAROLUS Quartus &c. Consanguinee Karissime. Novit Imperialis nostra Serenitas & clarissimis Documentis Manifeste considerat, Principatum & Marchionatum tuum Montisferrati in medio Nationis pravæ consistere, & undique tibi per Vicinos Emulos Bella intentari in Tui & Tuorum nota Scandala, nisi dispendiis hujusmodi, & incumbentibus Ruinis tua decrevisset prudentia oportu-

Ex eodem Cod. M.S. circa Anno 1369.

nis & sapientibus Remediis obviare, & quod ob hoc, non tua sponte sed necessitate premente, inevitabili quadam indigentia, quam plurimas Gabellas, pedagia, tallias, Impositiones, Exactiones, & collectas imposueris, & aliquas extorsiones, oppressiones, vexationes, violentias & coerciones reales vel personales feceris tam in Marchionatu quam Principatu tuo Montisferrati, in Civitate Astensi, Comitatu & districtu ipsius, & alia quædam inusitata adversus forte justitiam, consuetudines Laudabiles, ac Bonos mores Institueris, pro quibus, quantumcumque urgente necessitate processerint, Tu, tanquam Fidelis Princeps ac Subditus, ab Imperiali metuis Celsitudine reprehendi.

Nos attendentes Tuæ Circumspectionis Industriam, quæ ad Executionem talium nullo modo deliberasset procedere, nisi illud, sicut præmittitur, inevitabilis exegisset necessitas, tuis compatientes incommodis, & volentes profectibus in Domino felicibus providere, animo deliberato, sano Principum, Comitum, Baronum, ac Procerum Sacri Romani Imperii Fidelium nostrorum accedente Consilio, de certa nostra scientia, & Imperialis plenitudine potestatis, Tibi Hæredibus & Successoribus tuis Marchionibus Montisferrati nec non Officiatis Vice-Officiatis, Fautoribus & adjutoribus tuis qui dictis rebus omnibus petendis, exigendis, recolligendis & ad usus tuos applicandis consenserunt hactenus, & quorum adjutorio, promotione, aut Præsidio usus es qualibet ratione toto jam transacto tempore, omnes pœnas quas abinde & omnia acta perpetrata seu commissa in prædictis omnibus seu quolibet præmissorum, jure, Facto, seu consuetudine realiter seu personaliter poteratis seu potuissent incurrere, etiamsi hæc Nomine & specifice deberent exprimi, pro Nobis, Romanis Imperatoribus seu Regibus Successoribus nostris, & pro Sacro Rom. Imperio relaxamus, remittimus & de Imperialis Benignitatis Gratia, Virtute præsentium indulgemus: Nulli ergo &c.

XXXVIII.

Ejusdem Imperatoris Edictum, quo Barnabovem Mediolanensis Civitatis Vicarium, Officio & Dignitate exuit.

Ex eodem Cod. M.S. circa Anno 1369.

KAROLUS &c. Universis &c. dudum propter patentes immanes & Enormes offensas quibus BARNABOS Sacro Sanctam Romanam Ecclesiam multipliciter Exequi & offendere non expavit, & quia sedulo per Nuntios & Litteras nostras admonitus ut Ecclesiæ Romanæ super illatis condignam Satisfactionem impenderet, & à Sede Apostolica veniam super tot Excessibus impetraret, ipse Barnabos nostra Monita Surda Aure transibat atque mandata, cumque super his per Speciales Nuntios suos & Litteras, Fide media, pro parte sua in Majestatem nostram se compromissurum solide promisisset, tandem dum res ipsa jam concludi deberet, repente mutato Consilio compromissum hujusmodi in confusionem & contemptum Majestatis ejusdem simpliciter & expresse renuit consummare, idcirco animo deliberato, Sano etiam Principum, Baronum, & Procerum nostrorum accedente Consilio dictum Barnabovem de certa scientia & plenitudine potestatis Cæsareæ, observatis in hoc Ceremoniis quantum Imperialis justitia requirebat à Vicariatus, sive Vicariatuum nostrorum Officiis tam in Civitate Mediolanensi, quam alibi in Italiæ partibus destituimus, ipsumque omnibus Juribus, Privilegiis, Gratiis, Libertatibus, & omnibus quibus idem nostra seu Prædecessorum nostrorum Romanorum Imperatorum sive Regum Divæ Recordationis Concessione gaudebat vel gaudere potuerit dignum duximus prævia ratione privandum, & etiam spoliandum: Novissime siquidem his Diebus Sanctissimus in Christo Pater & Dominus Noster Dominus URBANUS summus Pontifex per Litteras & solemnes Nuntios Nobis insinuare Curavit qualiter idem Barnabos non solum non pœnitet vel Curat Satisfacere de promissis, verum etiam de die in diem in deteriora prorumpens adversus Sanctam Ecclesiam pejora prioribus patrare in contemptum Clavium Ecclesiæ non veretur, propter quod idem Dominus noster Papa, tanta ipsius Barnabovis excrescente malitia &

exigente

exigente juſtitia, adimens ſibi omnem Poteſtatem Autoritatem & Baylam, eundem Barnabovem omnesque Fautores, adhærentes, Auxiliatores, complices, & defenſores ipſius, velut Hæreticos condempnavit, Monens nos cum Inſtantia & requirens, ut & Nos contra ipſum, in Favorem Sanctæ Matris Eccleſiæ oportunis viis & Remediis aſſurgamus: Nos itaque Fidem Catholicam totis visceribus amplectentes ipſum Barnabovem talem qualem ipſum Sancta reputat Eccleſia, reputantes, Univerſis Principibus & & Fidelibus noſtris cariſſimis ſicuti pridem Fidelitati veſtræ, Cenſura Imperiali mandavimus, ſic & nunc veſtræ Fidelitati, ſub obtentu Imperialis noſtræ Gratiæ, Duximus injungendum & ſub pœna perditionis Jurium, Honorum, Privilegiorum, Gratiarum, & Libertatum quæ & quos hactenus à nobis & divis Prædeceſſoribus noſtris Romanis Imperatoribus ſive Regibus, & à Sacro obtinuiſtis Imperio, quibus omnibus vos & quemlibet veſtrum qui ſubſcriptis noſtris mandatis non parueritis ſive paruerint cum effectu infra XV. dies à publicatione præſentium, Imperiali Auctoritate in his ſcriptis de certa noſtra ſcientia privamus, volentes quatinus ex nunc in antea nullus veſtrum ſubditos vel ſubditum cujuscumque ſtatus Dignitatis vel conditionis exiſtant, vel exiſtat, ad ſtipendium vel auxilium dicti Barnabovis, aut alicujus ſui Fautoris, adhærentis, vel complicis tranſire ſinatis, & in nullo penitus Communicantes vel faventes eidem ac ſubditos veſtros ab ipſius participatione prohibeatis, attentiſſime prohibentes quod neque vos ipſi Barnabæ vel ſuis Fautoribus præſtetis, neque veſtri præſtent Conſilium, Auxilium, & favorem per vos, per ſe, vel per alios quocumque Colore, directe vel indirecte publice vel occulte; quin imò ſi qui ex vobis in ſuo vel ſuorum Fautorum ſtipendio, vel ſervitio, ſint ad præſens, ab ipſius Fautoribus, ſtipendio, ſervitio, vel auxilio diſcedatis, & veſtros ab inde cum effectu diſcedere faciatis, omnes Nihilominus tam veſtros quam alios, ſi qui de novo in via pertinaciæ in Auxilium ipſius Barnabæ & ſibi quovis modo faventium in hac parte ſe dampnabiliter transferre præſumpſerit, in proceſſu ſuo & tranſitu ſub poenis ſubſcriptis tota Fide totaque potentia ſtudeatis Impedire, Nos enim Univerſaliter Singulos & Singulariter Univerſos, qui contra tenorem præſentium ſæpedicto Barnabovi, ſuisque in hac parte complicibus, defenſoribus, adhærentibus, Fautoribus vel amicis adverſus Sacro Sanctam Romanam Eccleſiam Fidelesque & Fautores ac Devotos & adhærentes ipſius Auxilium, Conſilium & Favorem præſtiterint per ſe, per alium, vel alios directe vel indirecte publice vel occulte, niſi infra Quindenam à publicatione præſentium ab ipſorum ſtipendio, ſervitio & auxilio adhæſione & defenſione receſſerint vel receſſeritis cum Effectu auctoritate Imperiali de plenitudine poteſtatis Cæſareæ omnibus & Singulis Dignitatibus, Honoribus, Vicariatibus, Officiis, adminiſtrationibus, Juribus, Libertatibus, Gratiis & indultis quibus à Nobis vel ſupradictis noſtris Prædeceſſoribus ſub quacumque Verborum & Litterarum ſint Forma muniti, velut Indignos ex nunc Cæſarea authoritate privamus & decernimus eſſe privatos, quos etiam Imperiali Banno & Proſcriptioni ſubiicimus, Bonaque ipſorum & cujuslibet ipſorum omnia publicamus, proſcribimus, & Edicto Imperiali forbannimus, Liberam univerſis noſtris Fidelibus concedendo Licentiam ipſos in perſonis, Fundis & Rebus ſuis omnibus invadendi & velut Hoſtes Sanctæ DEI Eccleſiæ & Sacri Rebelles Imperii perſequendi, Capiendi, & alias impune in eos tanquam Tales juxta Sacrorum Canonum & Sacrarum Legum Imperialium Inſtituta animadverſiones debitas Exercendi, volentes . . . ut perpetuis Temporibus affuturis inhabiles eſſe & Indignos Honoribus & eis careant omnino.

XXXIX.

Ejusdem Imp. Litteræ ad Barnabovem Directæ.

KAROLUS &c. Scripſimus Tibi qualiter proceſſus noſtros formavimus, quos in Notam Tui Dedecoris per omnes Civitates Alamanniæ & alias Regiones ſubjectas Impetio mandamus publicari, & ſub Imperialis Majeſtatis noſtræ Sigillo Valvis Palatiorum in Singulis Univerſitatibus Alamanniæ affigi notorie, ut in pœna ſit tibi tua Temeritas qua Imperialia mandata contemnere & à promiſſis tuis recedere præſumpſiſti, & ut talis tua præſumptio pateat multorum notitiæ & vexatione continua in temetipſo *Ex eodem Cod. M. S.*

Mm 2 cognoſcas

cognoscas quam Decenter sit superiorum mandato parendum & quibus debeat Imperialis auctoritas Honoribus revereri, ad alia etiam nihilominus dum tua Temeritas illud exegerit, suadente justitia procedemus.

XL.

Ejusdem Imperatoris ad Urbanum V. Pont. max.

Epistola, qua huic potestatem concedit intromittendi se in Bona Universa Rebellium Barnabovis & Galeacii Fratrum, eaque inter alios Titulo Vicariatus distribuendi, ad Tempus.

Ex eodem Cod. M.S. An. 1369. SAnctissimo in Christo Patri ac Domino U. dum Summam Tyrannidem & pestiferos Conarus quibus BARNABOS & GALEAS Fratres qui se Mediolani pro Imperiali nostra Majestate gerunt Vicarios, nec non colligati, plures Fautores, sequaces, & adhærentes ipsorum Sacro Sanctam Romanam Ecclesiam offendunt & offenderunt hactenus, sollicita Cogitatione revolvimus, dumque oppressiones innumeras quibus Orphani, viduæ, pupilli & Cæteri Fideles Sacri Imperii præsertim Italiæ affliguntur, continuo piæ considerationis officio nostræ Mentis Oculis intuemur, profecto Sanctæ Matris Ecclesiæ, cujus Majestati nostræ Coelitus est attributa Defensio, & pauperum Calamitatibus adeo vehementer compatimur, ut nostra Serenitas cum dolentibus doleat, & ingemiscentibus ingemiscat, neque aliunde salubrius aut efficacius Remedium nostra Celsitudo prosilire perpendit quo celerius tanta Tyrannis ad tantum elevata superbiam contundi valeat, quam si prudentibus Consiliis iniqua ejus potentia minuatur, propter quod deliberatio nostra providit quod Terræ Sacri Imperii quas antedicti nostri Rebelles in partibus Italiæ detinent & occupant, & aliæ possessiones eorum distribuantur inter plures, qui ad amorem Sanctæ Matris Ecclesiæ, & ad Imperium, acceptis Beneficiis fortius ardentur: Quapropter animo deliberato, Sano Principum, Comitum, Baronum & procerum Sacri Imperii Fidelium nostrorum accedente Consilio de Imperialis potestatis plenitudine, ac de certa nostra scientia ad Honorem omnipotentis DEI, Sacro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Christiani Imperii, ut inimicorum Communium retundatur superbia & Tranquillitas Fidelium procuretur Beatitudini Vestræ Apostolicæ Largimur, donamus, & concedimus auctoritatem potestatem & facultatem plenissimam, Universis possessionibus & quibuscumque aliis rebus supradictorum B. & G. Colligatorum, complicium, Fautorum, Sequacium, & adhærentium suorum seu alterius eorum, quas aut Imperialis Vicariatus Nomine seu aliis quibuscumque titulis tenent aut sibi vendicant juxta vestræ Circumspectionis Clementiam prout rationis suffragio vestra Beatitudo melius & utilius viderit expedire, auctoritate nostra Imperiali & sub nostro Nomine vos intromittendi, & easdem pluribus aliis hominibus ad X. dumtaxat annorum spatia, Vicariatus titulo dandi, donandi, concedendi ipsosque de hujusmodi Vicariatibus investiendi, & ab eis Fidelitatis Juramentum recipiendi adinstar ejus Vicariatus quem Illustri AMADÆO Comiti Sabaudiæ, Principi Sacri Imperii, & consanguineo nostro Dilecto pro Reverentia vestræ Sanctitatis concessimus, seu alias sub modo & forma, prout se poterit, meliore: Collationes vero, Donationes, investituras & Institutiones hujusmodi, & quævis ab eis dependentias seu eisdem connexa sub omnibus suis tenoribus, sententiis, punctis & clausulis, prout Beatitudo vestra talia, modo præscripto ad X. videlicet annorum spatia modificanda seu specificanda duxerit, proinde Robur firmiter obtinere volumus quemadmodum in persona propria talia fecissemus; non obstante quod prædicta seu aliqua prædictorum dicerentur Fisco vel Juri contraria & etiam non obstantibus quibuscumque Legibus, constitutionibus, consuetudinibus, Juribus & statutis Imperialibus publicis vel privatis in contrarium facientibus, quibus omnibus & Singulis in quantum præsentibus obviare possent, aut in toto vel in aliqua sui parte adversari viderentur, ac si talia specifice in suis Capitulis & punctis hic forent inscripta & nominatim expressa, de certa nostra scientia & plenitudine potestatis Cæsareæ specialiter derogamus supplentes omnem defectum &c.

XLI.

XLI.

Formula Juramenti eidem Imp. Carolo IV. præstandi, præscripta Florentinis.

JUrabunt quod ab hac die in antea Populus & Commune Civitatis FLORENTIÆ Fideles & Obedientes erunt eidem Domino KAROLO Imperatori contra omnem Hominem, & quod Consilium vel Auxilium non dabunt vel consentient adversus Statum, Vitam & Personam aut salutem & honorem sui & Sacri Imperii: proditoribus & Rebellibus suis, ac ipsius Imperii, non consentient, imo Majestatem suam, in talibus ubi scient, fideliter præmunient & defendent, & sibi pro viribus assistent, & omnia alia Singula erga Sacram Coronam suam generaliter attendent, & efficaciter observabunt quæ Fideles Sacri Imperii suo Vero Domino Romanorum Imperatori, secundum Sacras Leges & laudabiles constitutiones Jurare & præstare tenentur, & quæ per Antecessores eorum Divis Romanis Imperatoribus Prædecessoribus ipsius Invictissimi Imperatoris Jurare sunt soliti & præstare, taliter Concludentes: Sic eos Deus adjuvet & Sancta DEI Evangelia.

Ex eodem Cod. An. 136.

XLII.

Juramentum Solemne Luccanorum, eidem Imperatori præstitum.

NOs Antiani, Populus, & Commune Civitatis LUCCANÆ Animo deliberato, non per Errorem, aut improvide, sed Sano præcedente Consilio Nobis ad hoc una cum Senioribus nostris pluries in Consilio congregatis, Serenissimo ac Invictissimo Principi ac Domino Domino KAROLO, vero, Ordinario, Naturali & Legitimo Domino nostro, de Maximæ suæ Benignitatis affectuosa Clementia cum omni Humilitate & Reverentia gratiarum actiones agentes pro eo, quod Deliberatione benigna Nos à servitute Babilonica Tyrannidis Liberaverit, Eidem Domino Ordinario Imperatori promittimus & juramus pro Nobis, Hæredibus & Successoribus nostris in perpetuum quod ammodo inantea eidem Clementissimo, Vero, Ordinario, Naturali & Legitimo Domino nostro, & eo non existente, Romanis Imperatoribus & Regibus Successoribus suis tamquam veris Naturalibus Legitimis & Ordinariis Dominis nostris Obediemus & parebimus perpetuo tempore absque renitentia in Singulis eorum beneplacitis & mandatis, & ad eos, nec non Sacrum Romanum Imperium inmediatum Respectum habebimus, nullius alterius obtemperando nutibus seu mandato, quodque tamquam Fideles subditi eorundem Dominorum Nostrorum profectum statum Honorem & Vitam custodiemus fideliter, damna ipsorum & incommoda avertemus pro Viribus, & tamquam subditi Fideles, ut præmittitur, eis assistemus omni nostra potentia adversus omnes & Singulos qui ad Detrimenta status Honorum, Vitæ seu profectus eorum aliquid tentabunt; & specialiter Juramus & promittimus quod eis de Gabellis introitus, proventibus, & aliis quibuscumque Juribus eorum ad plenum rendemus & solvemus, & hujusmodi subjectioni Obedientiam & Fidelitatem Juramus & promittimus hoc Juramento Corporali quod ad Sacra Corporaliter præstitimus, tactis Evangeliis, sicut Nos Omnipotens Deus adjuvet, Evangelia SacroSancta &c.

Ex eodem Cod. M. S. An. 1369.

XLIII.

Ejusdem Imperatoris Præceptum, quo Lucanis tanquam peculiari & fidelissimo S. R. Imperii Populo, Jus cudendæ Monetæ concedit.

Ex eodem Cod. M. S. An. 1369. KAROLUS Quartus &c. quamvis de Universorum Sacri Rom. Imperii statu Fidelium cura Nos Dignitatis assumptæ & sollicitudo cotridiana tatiget; de Antianis, Communi, & Populo Civitatis nostræ LUCANÆ Nihilominus Major Nobis semper inesse debebit solertia ut eo diligentius ejusdem Civitatis nostræ, & Inhabitatorum ipsius salurem prosequamur & Commoda, quo Fidem ipsorum & Magnæ Virtutis constantiam, Experientia docente cognovimus inter ceteros subditos Majestati nostræ Fideles evidentioribus operum indiciis claruisse; Nos igitur in animum mentis nostræ revolventes præfati Communis & Populi nostri Lucani hanc comprobaram Constantiam & Notabilia suæ probitatis Merita, de Circumspectionis eorum Industria præsumentes, animo deliberato, Sano Principum, Comitum, Baronum & Procerum nostrorum accedente Consilio, de certa nostra scientia & plenitudine Imperatoriæ potestatis Honorabilibus & prudentibus Antianis, Communi, & Populo Civitatis nostræ Luccanæ Prædicto, Hæredibus & Successoribus eorum in perpetuum, Tanquam peculiari & Fidelissimo Populo Sacri Romani Imperii, Damus, Largimur & Concedimus auctoritatem, facultatem & potestatem plenissimam Monetas Auri, Argenti & cujuslibet alterius metalli pro honore, utilitate, & Bono statu Civitatis ejusdem cudendi, Fabricandi, Faciendi, Monetandi & juxta deliberationem eorum, eo, quod delegerint, signo signandi, cum omnibus privilegiis, Juribus, Libertatibus, Honoribus & Gratiis quibus alii quicumque, cujuscumque status aut condirionis existant consimilem habendo Gratiam, usi sunt hactenus; decernentes etiam hoc Imperiali Edicto perpetuo valituro, quod eadem Moneta Auri, Argenti, seu alterius metalli ut præmittitur, ab omnibus universaliter & ubicumque Locorum recipi & acceptari debeat, difficultate, Impedimento & contradictione quibuslibet procul motis: Inhibemus etiam auctoritate Imperiali ne quis Principum, Comitum, Baronum, Procerum seu quævis Universitas, aut Communitas cujuscumque Eminentiæ status, Dignitatis vel gradus existant, in fabricandis, disponendis, & cudendis monetis eorum, signo quod Luccana nostra Civitas Imprimendum duxerit, uti præsumant, nam in eum casum ubi contra fierer, illorum monetas quæ tali signo Lucensi repertæ fuerint, falsas, adulterinas, illegales & injustas fore decernimus de plenitudine Cæsareæ Potestatis non obstantibus quibuscumque Legibus, privilegiis, Gratiis, & Indultis editis & factis in contrarium per quemcumque, quibus omnibus si & in quantum præsentibus in toto aut in aliqua sui parte adversari censentur, auctoritate Cæsarea ac de certa nostra scientia derogamus; Supplentes omnem defectum si quis in præmissis dubia interpretatione verborum aut sententiarum, solempnitatis omissæ, vel alio quocumque modo repertus fuerit, de certa nostra scientia & de plenitudine nostræ Imperialis potestatis: Nulli ergo hominum Liceat hanc nostræ Donationis, Largitionis, Concessionis, Decreti, statuti, Inhibitionis, derogationis, defectum suppletionis, & pœnarum adjectionis paginam Infringere seu ei quovis ausu temerario contraire sub pœna perditionis & amissionis omnium Privilegiorum, Jurium, Libertarum, & gratiarum quæ & quas à Nobis & Sacro Imperio, seu Romanis Imperatoribus & Regibus Prædecessoribus nostris sub quibuscumque, tenoribus, sententiis, punctis, clausulis obtinuisse noscuntur quæ & quas in casu ubi contravenerit, seu quis temeritate contravenire præsumpserit annullamus, cassamus, irritamus & pro nullis, irritis, ipso Jure haberi volumus & teneri, & sub pœna Mille marcarum Auri purissimi, quas præter pœnas expressas superius ab eo qui contrafecerit, totiens quotiens contrafactum fuerit, irrevocabiliter exigi volumus &c.

XLIV.

XLIV.

Ejusdem Imperatoris Præceptum alterum, quo Albertum Bavariæ Ducem, in Verum ac Legitimum Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ &c. Comitatuum Dominum hæreditarie instituit.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Feliciter Amen. KAROLUS Quartus Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus & Bohemiæ Rex ad perpetuam rei Memoriam. Illustri ALBERTO Duci Bavariæ Comiti Palatinatus Reni, Gubernatori Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, ac Dominatus Frisiæ Generali, Principi & Socero suo Carissimo Gratiam suam & omne Bonum. Illustris Princeps & Socer Carissime, oblata nuper Majestati nostræ Cæsareæ pro parte tui Supplicatio, certa tua desideria Nobis expressit cujus Tenor de verbo ad verbum sequitur in hunc modum. Ex eodem Cod. M.S. circa An. 1371.

Imperatoriæ Majestati Supplicat & exponit suus Devotissimus Filius Dux ALBERTUS Bavariæ, Dei Gratia Comes Palatinus Reni, Gubernator Comitatuum Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, ac Dominatus Frisiæ Generalis, quod attenta gravi Infirmitate Ducis GUILLELMI sui Fratris prædictarum Terrarum in præsenti Comitis & Domini, quæ quidem Infirmitas tantum in eo convaluit, ut animo redderetur & redditus sit, proh dolor! alienus, propter quam causam Albertus Bavarus præfatus, tamquam ejus Frater Legitimus & Hæres Successor Inmediatus, ad dictorum Comitatuum & Dominiorum Gubernacula specialiter per ipsas Provincias concorditer est assumptus, Considerato etiam quod omnium Hominum Judicio non sit spes aliqua propter diutinam acerbitatem & gravem Molestiam à XIII Annorum spatio vel circiter immediate elapsorum contentam, quod ad statum meliorem possit aliquatinus revocari, quinimo ipsi Duci Alberto Gubernatori sic assumpto, in prædictis Comitatibus & Dominiis ab omnibus Feodalibus & Subditis dicti Fratris sui Ducis Guillelmi, cujus, ut dictum est, inmediatus hæres noscitur & Successor, pluribus in causis minus juste nimium contrariatur & præjudicetur sibi, tanquam superiori Domino recusantibus & nolentibus obedire, in qua scilicet re Jura & Libertates Provinciarum miserabiliter dirimuntur & tolluntur nec ea valet ut Gubernator custodire seu ad statum revocare debitum propter ipsorum Hominum Feodalium & Subditorum Insolentiam & Rigorem, quo circa Imperialis providentiæ Celsitudo velit per suas Litteras ipsum Ducem Albertum non tantum Gubernatorem dictorum Comitatuum & Dominiorum, sed ut Dominum inmediatum & verum Comitem Dictorum Comitatuum & Dominiorum attentius declarare & etiam confirmare, propter hæc præmissa Saisinam pacificam & possessionem Corporalem Hæreditariam prædictorum Comitatuum & Dominiorum in Conspectu Principum sive Ducum Alemanniæ patentibus in Litteris notanter Inscriptorum sibi Duci Alberto plenarie & effectualiter tribuendo, ex Causis & Rationibus supradictis, quæ sunt justæ & veraces omnium Legum & Jurium Imperialium Sanctionibus approbandæ, præcipere etiam velit Magnificentia Vestra Hominibus Feodalibus videlicet Nobilibus, Prælatis, Religiosis, Villis, Comitatibus & quibuscumque Dictarum Provinciarum Incolis & Subditis, quatinus eidem Duci Alberto tanquam Vero suo Domino Hæreditario & Comiti Obediant, ipsum ut Dominum & Comitem recipiant atque tractent, & sibi præstent & faciant Fidelitatis Integræ & debitæ Juramentum.

Nos igitur Supplicatione tua præmissa & omnibus & Singulis contentis in ea diligenter Inspectis & in Examine providæ discussionis adductis pensamus & ratione cognoscimus nulla ex parte adeo Comitatus & Dominia posse collabi, quam ex eo quod Principes deficiant in Exercenda potestate dum eis nulla mentis Industria suffragamus; & quia præter tuæ Supplicationis Expositum etiam aliunde fide digno Relatu informationem sufficientem accepit nostra Serenitas, qualiter naturali Ordine, prædictus Frater tuus in Supplicatione expressus superius, tam Miserabili tamque diuturno morbo Laborat ut de reductione sui ad Sanitatem pristinam à peritis Medicis, quorum interest talia juxta

Artis Medicinæ Traditiones cognoscere omnimode desperetur; nec dubium, quin ex hoc pauca vel nulla Obedientia Comitatuum & Dominiorum eorundem tibi servetur quin potius inde secutura sint Comitatuum & Dominiorum Incommoda, subditorum inopiæ, Strages, Neces pariter & Ruinæ sicut hoc tuæ Supplicationis prædictæ Insinuatio plenissime continebat, ubi Lamentabiliter Nobis Dilectio tua conqueritur ex defectu præfato Comitatuum & Dominiorum ipsorum Jura, Libertates, Fructus & Obedientiam deperire; Ideoque Nos volentes ex Imperiali Celsitudine hujusmodi incommodis, opportunis providere remediis ne Lapsa pridem, ut loquetis, in altiorem Ruinam dispendii amodo prolabantur, animo deliberato, ac Sano Principum, Comitum, Baronum ac Procerum Sacri Imperii Fidelium nostrorum accedente Consilio de Imperialis auctoritate plenaria, & de certa nostra scientia Te Ducem Albertum Bavariæ Principem & socerum dilectum antedictorum Comitatuum Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, ac Dominatus Frisiæ quorum hactenus Gubernationem generalem tantummodo Nomine Fratris tui prædicti habuisse dinosceris, non tantum Gubernatorem sed omnium inmediatum Successorem & Comitem dictorum Comitatuum & Dominiorum creamus, facimus, Ordinamus, Instituimus, & declaramus & Creationem, Ordinationem, Institutionem, & deliberationem hujusmodi conferimus Decernentes quod ex nunc inantea dictorum Comitum, Baronum, & procerum Sacri Imperii nostrorum Fidelium Consilio & in ipsorum præsentia Corporalem Possessionem, Saysinam pacificam & Hæreditariam prædictorum Comitatuum & Dominiorum tanquam inmediato Domino tribuimus, dedimus, tradidimus, & assignavimus, Damus, tradimus & assignamus, Teque de antedictis Comitatibus, Dominatu, & eorum appenditiis quibuscumque censeri possunt vocabulis Investimus & Hæreditarie præsentibus Investimus, præcipientes, mandantes & Injungentes expresse Universis & Singulis Nobilibus, Prælatis, Religiosis & Sæcularibus, Communitatibus, Capitaneis, quibuscumque dictarum Provinciarum inhabitatoribus & subditis, quatinus Tibi Duci Alberto præfato non tantum Gubernatori, sed etiam vero, hæreditario, Naturali & Ordinario Comiti & inmediato Domino in omnibus Obediant Teque non tantum Gubernatorem sed verum Comitem & inmediate Dominum eorum recipiant & tractent, Tibique præstent & faciant Fidelitatis, Omagii, Obedientiæ, & subjectionis debitæ Integrum & debitum Juramentum, impendentes tibi tanquam Fideles & subditi tui adversus Rebelles & Violentos quoslibet Auxilium, Consilium, & favorem, supplentes omnem defectum si quis in præmissis aut ratione solempnitatis obvenisset, seu dubia Interpretatione sententiatum aut verborum seu alio quovis modo repertus fuerit, de certa nostra scientia ac de plenitudine Imperialis Potestatis, non obstantibus quibuscumque Legibus, constitutionibus, reformationibus publicis seu privatis, quibus omnibus sie & inquantum præsentibus in toto vel in aliqua sui parte adversati valerent, de nostræ potestatis plenitudine derogamus: Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc nostræ Creationis, Factionis, Ordinationis, Institutionis, declarationis, confirmationis, Præcepti, mandati defectum Suppletionis, Legum derogationis & pœnarum adjectionis paginam infringere vel ei quovis ausu temerario contraire, sub pœna perditionis omnium Privilegiorum, Libertatum Jurium, & indultorum quæ tales à Sacro obtinuerunt Imperio &c.

XLV.

Ejusdem Imperatoris Præceptum Tertium, quo Amadæum Saubaudiæ Comitem ab Officio Vicariatus Imperii revocat.

Ex eodem Cod. M. S. circa An. 1373. KAROLUS Quartus Venerabilibus Arelarensi & Gratianopolitano Archi-Episcopis & Valenrinensi Episcopo, spectabili Comiti Valentinensi & Nobili Rudolpho Gubernatori Delphinatus, Domino de Vinagio, & Andilberto de Castro-Novo, & aliis suis & Imperii Sacri Fidelibus ad quos præsentes pervenerint Gratiam suam & omne Bonum. Fidelitati vestræ significat nostra Serenitas qualiter Vicariatum quem alias Comiti,

miti sabaudiæ commisisse dinoscimur, revocamus: per Litteras nostras patentes, sub nostro majori sigillo, quarum tenor sequitur in hæc verba.

KAROLUS &c. notum facimus &c. quod licet alias illustrem AMADEUM Comitem sabaudiæ, Principem & Consanguineum nostrum Carissimum in nonnullis Civitatibus, Locis, & Terris Comitatus sabaudia & aliis Locis vicinis adjacentibus ad nos & sacrum Imperium pertinentribus, confidentes nostram Operationem esse utilem & ad Reipublicæ vergere commodum & profectum, pto nostra sacra Imperiali majestate Vicarium constituerimus Generalem, sicut hoc litteræ nostræ datæ de super Lucidius protestantur: tamen Experientia rerum efficace Magistra docente, Constitutio ejusdem Vicarii Vergit cottidie in nostrum & sacri Imperii Romani ac Libertatis Ecclesiæ Magnum præjudicium & jacturam, sicut de hoc sumus documentis Legitimis informati; cum igitur hujusmodi Officium Vicariatus nobis, & Romano Imperio, ac Ecclesiis, & ipsarum ministris dampnosum existat, moti ex certis causis, rationabiliter deposcentem utilitate publica, sano Comitum, Baronum & Procerum sacri Imperii Fidelium nostrorum accedentem Consilio, ex certa nostra scientia, & de Cæsateæ protestatis plenitudine, prædictum Officium vicariatus resumimus & ad nos & Imperium a Comite prædicto penitus tevocamus, Litteras nostras quas desuper dedimus cujuscumque Tenoris existant in omnibus suis sententiis, punctis & clausulis, etiamsi in eiscontineretur quod dictus Comes revocari non possit, annullantes & authoritate præfata Cæsarea penitus revocantes ac mandantes seriosius Universis & singulis Principibus Ecclesiasticis & sæcularibus, Comitibus, Baronibus Vicariis, Nobilibus, Militibus, Judicibus, Consiliis & Civitatum, Locorumque communitatibus, omnibusque & Singulis aliis nostris & Sacri Imperii Fidelibus quos dictus Vicariatus complectitur, quatinus ratione Vicariatus hujusmodi ad prædictum Comitem vel suos quos ad hoc deputaverit in futurum, nullum Respectum habeant, nec sibi tanquam Vicario Imperii Obediant aut intendant, quos etiam ab eisdem Obedientia & Fidelitate in torum Eximinus & Libertamus & absolvimus per præsentes, & si aliquid tempore prætetito contra Intentionem nostram adversus præsentem nostram revocationem Jura privilegia & Libertatem Ecclesiasticam a dicto Comite vel ipsius vices gerentibus, occasione seu prætextu dicti vicariatus attemptatum, administratum seu factum fuerit, Cassamus, irritamus, vacuamus, cassum irritum & vacuum omnimode nuntiamus, nec debet ullis temporibus in futurum habere Roboris firmitatem, Universos & singulos Principes Ecclesiasticos & sæculares Comites, Barones, Cives & Universitates Communitatum & Locorum nec non Principatus, dominia, possessiones & subditos eorum cujuscumque Gradus seu conditionis existant, ad pristinam Libertatem, Frankcisiam, & statum pristinum reducentes, non obstantibus Litteris nostris prordictis, quas a nobis idem comes sabaudiæ obtinet, quibus omnibus provide ac si ipsarum tenorem de verbo ad verbum hic exprimerentur de prædictæ nostræ potestatis plenitudine ex certa scientia totaliter derogamus &c. præsentium &c.

Ne igitur præfatus Comes ex ignorantia nostræ Revocationis se tueri valeat, & ne capitanei Officiales & administratores sui, Tempore ejus absentiæ excusari possint, quin præfata nostra tevocatio transeat in effectum, Fidelitati vestræ mandamus & injungimus præsentibus seriose, quatinus vos, unus vel plures qui nostro nomine ad hoc requisiti fueritis, dictam nostram revocationem in omnibus & singulis Civitatibus, opidis & Locis, ubi expeditius fuerit, & ubi Universaliter nostra Intentio ad aures dictorum Comitis officialiumque suorum & aliorum, quorum interest, pervenire poterit, declarari cum omni diligentia publice & Litteras nostras prædictas coram omnibus Legi publice faciatis &c.

XLVI.

Ejusdem Imperatoris Præceptum Quartum, quo Ecclesiæ Trevirensi dudum oppignoratum Boppardiæ oppidum, nova Pecuniarum summa gravatum, Cunoni Archiepiscopo obligat.

Ex eodem Cod. M. S. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis KAROLUS Quartus &c. Universis sacri Imperii Fidelibus præsentem paginam Inspecturis Gratiam suam & omne Bonum clara & sincera Fidelitas quam venerabilis CUNO Sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Princeps & Consanguineus noster Carissimus, retroactis temporibus ad nos & Romanum gessit & gerit Imperium, nec non grata, fructuosa, & sumptuosa per ipsum ejusque antecessores Nominatim digne Recordationis BALDUINUM Principem & patruum nostrum Carissimum, Majestati nostræ & sacro Imperio sæpius gravibus Laboribus, magnis sumptibus & Expensis de Bonis ejusdem Ecclesiæ exhibita & inpensa, utique promerentur ut indempnitati ejusdem Ecclesiæ provideamus quod que ad ipsam & ejus antistites Liberalitatem nostræ Celsitudinis extendamus: Sane cum jam dudum Civitas nec non medietas Castri ac advocatia & Jurisdictio in Boppardia cum eorum Juribus & pertinentiis singulis & universis fuerint, & sint Ecclesiæ antedictæ ab Imperio Romano & ex parte ipsius & pro ipsius Imperii evidenti utilitate & vergente necessitate pro XXX. millibus Marcarum puri argenti congrui ponderis Coloniensis, in qua quidem peccuniæ seu Marcarum summa ipsum Imperium & Romanus Princeps pro tempore præfatæ Ecclesiæ efficaciter tenebantur, rite & Legitime pignore obligata: prout in prædecessorum nostrorum divorum Imperatorum & Regum Romanorum Litteris plenius continetur; nos hujusmodi Obligationem, de qua plene & bene sumus & fuimus hujusmodi Litteris informati, Ratam & Gratam habentes, eam modis quibus fuit & est contracta innovamus, Laudamus, approbamus & tenore præsentium ex certa nostra scientia & de Imperialis potestatis nostræ plenitudine confirmamus, & quia propter utilia servitia quæ quondam Archiepiscopus Balduvinus & Venerabilis Cuno modernus prædecessoribus nostris Romanis Imperatoribus & Regibus & successive nobis ac sacro Romano Imperio Impenderunt Laboribus gravissimis & expensis ac etiam & ex aliis certis, evidentibus, sufficientibus & Legitimis causis quibus nos & sacrum Imperium prædicto Cunoni & Ecclesiæ suæ Trevirensi præfatæ dinoscimur obligari, nos igitur prædicti Archiepiscopi & ipsius Ecclesiæ cupientes indempnitatibus, prout digne possumus & debemus, providere, alia XX. millia markarum puri Argenti & ponderis supradicti, prætactis XXX. millibus marcarum argenti duximus adjungendum & adiunximus ac adjungimus per præsentes ita quod præfatus Cuno Archiepiscopus, sui successores & Ecclesia, dictum Opidum, medietatem castri, cujus etiam alia medietas ad ipsam Ecclesiam & ejus Pontifices ex aliis justis causis Hereditarie pertinent & pertinere dinoscitur, advocatiam quoque, Bona, Jura & Jurisdictiones & alia universa supradicta cum eorum Juribus Imperialibus & Regalibus, Dominis Directis & utilibus, Hominibus, Vasallis, Homagiis, Castrensibus Fidelibus, &c. cum mero & mixto Imperio ac omni Jurisdictione alta & bassa omnibusque Fructibus Redditibus, proventibus, obventibus, precatiis, Steuris, Exactionibus, Honoribus, & Beneficiis tam in personis Liberæ conditionis vel servilis, quam utriusque sexus Judæis, Monetis, Theloneis & aliis quibus cumque ibidem ad Imperium pertinentibus quocumque etiam vocabulo possent nominari, tenere debent & poterunt titulo Pignoris seu Ypothecæ pro prætaxatis summis quæ simul faciunt L. Millia Marcarum puri argenti ponderis prænominati, rite & Legitime & efficaciter obligata. Volumus etiam & arbitramur quod idem Archiepiscopus sui successores & Ecclesia Levare, recipere, & suis usibus applicare possint Theolonium in Boppardia hactenus & usque in hodiernum diem recipi consuetum de qualibet curtata vini & sic proportionaliter de aliis memermoniis seu Rebus per alveum Reni transeuntibus juxta taxationem hucusque habitam & consuetam, & quod possint illud Theolonium ibidem vel alibi super Reni alveum ubi ipsis magis placuerit recipere & levare; præterea eidem Archiepiscopo suis successoribus & Eccle-

& Eccleſiæ in augmentationem Feodorum ſuorum quæ a nobis & ſacro Imperio tenere dinoſcitur, conceſſimus omnes Fructus, Redditus & proventus, omniaque emolumenta Univerſasque utilitates de dictis pignoribus ſeu eorum pertinentiis quibuscumque perceptas & percipiendas easque pacifice absque aliqua defalcatione habeant teneant percipiant, ut nobis & Sacro Romano Imperio valeant proceſſu temporis uberius, fructuoſius & efficacius Augmento dictorum Feudorum accedente taliter deſervire; præfata etiam pignora per nos ſeu noſtros anteceſſores noſtros ut præmittitur obligata, non poterunt nec debebunt per nos vel noſtros ſucceſſores Romanos Imperatores Reges ſeu alios quoslibet actione vel cauſa quacumque particulariter redimi vel diviſim, vel à poſſeſſione & poteſtate Liberari dictæ Eccleſiæ, ſeu in ejus præjudicium quoquo modo eripi, auferri, vel detineri, niſi prius prædicto Archiepiſcopo, ſucceſſoribus ſuis & Eccleſiæ fuerit & ſit de præfata Quinquaginta millium marcarum argenti puri ponderis ſuperius expreſſati ſumma plenarie Integraliter & realiter ſatisfactum & ut hæc ſingula & omnia rata firma, & inconvulſa permaneant quemadmodum ſunt conſcripta, nos illa & illorum quodlibet in omnibus ſuis clauſulis punctis & articulis promittimus, ſpondemus, volumus Laudare, approbare, tenere & obſervare, ipſaque & eorum quodlibet Laudamus, approbamus, Ratificamus, & ex certa noſtra ſcientia de Majeſtatis Imperialis plenitudine confirmamus, non obſtantibus quibuscumque &c.

XLVII.

Charta ejusdem Imp. qua præcipit ut in Eccleſia aquis granenſi Feſtum S. Caroli M. ſolemniter quotannis celebretur.

KAROLUS Quartus &c. Si Celebris & recolendæ Memoriæ Divi & Magnifici principis Sancti KAROLI, olim Romanorum Imperatoris Auguſti & Franciæ Regis illuſtris multiplices Victorioſos Triumphos, & ſæva prælia quibus Zelo divini amoris accenſus adeo viriliter & Magnifice Infidelium Idololatrarum Sciſmaticorum, & Hæredicorum depravatas cervices edomuit, digna æſtimatione perpenditis; ſi Labores innumeros, Grandiaque Pericula quibus perſonam ſuam pro defenſione Orthodoxæ Fidei ſemper expoſuit, ea qua congruit diligentia, in mentem revocetis, ſi ad illas famoſas ſtructuras Cathedralium Eccleſiarum ac Monaſteriorum quas, & quæ, in Locis pluribus tam Sacri Romani Imperii quam Regni Franciæ, ejus erexit devotio, Interioris Hominis perſpicaces Oculos applicetis, profecto omnium dubietate remota in tam flagranti ardore corda veſtra igne divino caleſcent, ut fiat in Eccleſia veſtra, quam Fundavit, & fundatum dotavit Redditibus, ejus Cultus celebrior quam multis temporibus præteritis: quapropter Devoti Dilecti cum idem princeps Magnificus præclaræ Vitæ ſuæ Primordia Clarioribus Inſtruxerit mediis & Chariſſimum finem Beatiſſimis ſtudiis terminarit, ut digna proviſione ſedis Apoſtolicæ, evidenti ſanctitatis Teſtimonio inter Beatorum meruerit Beata Collegia numerari, quatenus contemplatione Dei, & ob ſpem Retributionis æternæ, & ob Reventiam tanti veſtri Patroni, Feſtivitatem ejus recurrentem tempore annis ſingulis velitis & debeatis ammodo cum omni Reverentia & devotione celebrare, nam præter meritum Retributionis quod ab inde proculdubio conſequimini, Univerſis Regibus & principibus Mundi ex copiæ devotionis ardor augebitur, ut debeant ſimiliter ad Pacem, profectum, & Incrementa felicia Eccleſiarum Sactarum intendere, & Prælatos ac Membra, omnesque Conminiſtros in divinæ diſpenſationis Officio propenſioribus ſtudiis refovere pergere &c. Ex eodem Cod. M.S.

XLVIII.

Ejusdem Imperatoris Charta altera, qua requirit ut de Reliquiis S. Caroli M. particulæ quædam transmittantur Carolo V. Franciæ Regi, in donum

KAROLUS Quartus &c. Fideles, dilecti. Si Legitis ſtudioſe Annales & Hiſtorias, ſi geſtorum veterum delectamini gratum habere Recordium, profecto ad Recolendæ memoriæ Divi ac Beati KAROLI Romanorum Imperatoris Auguſti extollenda præconia juſta ratione tenemini, ut etiam ſuper mel & favum dulceſcat veſtris Laudum præconiis ipſius memoria: ipſe namque Manſuetudinis innatæ Beneficio a ſe coeptam radicitus Aquenſem Rempublicam, Manſuetudinis munivit præſidiis & temporalibus extulit divitiis & Honore, ipſe Romanæ Regiæ Sedis apicem Aquis Locare diſpoſuit, ut inde Regnatium ſucceſſorum ſumantur Imperia ubi tanti principis deliberata proviſio ſanctiſſima eorum poſuit Fundamenta.

Cum igitur Sereniſſimus Princeps KAROLUS Franciæ Rex Nepos noſter Kariſſimus ad Honorem tam Excellentis veſtri Patroni & Domini, & ſub ipſius Glorioſis Titulis honorabilem quandam Eccleſiam in Loco Inſigni Regni ſui Franciæ, Magnificis jam Structuris erexit, ipſamque Prædiis, Redditibus, & divitiis augere magno devotionis ardore continuat, Fidelitatem veſtram affectuoſe requirimus & Hortamur quatinus contemplatione noſtri qui de veſtræ Fidei & Amoris Conſtantia crebra præſumptione confidimus, ut habito Reſpectu ad Flagrantis devotionis Inſignia præfati Kariſſimi noſtri Nepotis, & ut Venerabile Nomen Beati Karoli in confinibus Regnorum fametur diffuſius, ſibi aliquam partem Reliquiarum ejus erogare velitis, ut videlicet danda ſibi particula adeo Largitatem animi veſtri Teſtetur quod & Veſtri affectus erga Majeſtatem noſtram experiamur dulcedinem & præfactus Kariſſimus Nepos noſter Interpoſitione noſtri, quam facimus, ad Uberiores gratiarum actiones nobis, cognita animi qualitate, obligetur &c.

XLIX.

Ejusdem Imperatoris Confirmatio Teſtamenti ſeu Ordinationis a Joanne Marchione Moraviæ Fratre ſuo in Gratiam Filiorum facta.

Ex eodem Cod. M.S. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Feliciter Amen. KAROLUS Quartus divina favente Clementia Romanorum Imperator Auguſtus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam. Quamvis de Univerſorum ſtatu Fidelium diſponendo proſpere, noſtræ Serenitatis ſ. . . . . & rei publicæ profectus optatos attente nitamur, non minus tamen ſpecialium Bonorum Majeſtatem noſtram perurget affectio ſic, ut dum omnium habemus Recordium, in oblivionem non tranſeant Commoda proximorum: Sané cum Illuſtris JOHANNES Marchio Moraviæ, Princeps & Germanus noſter Cariſſimus habitam deliberationem Matura cum Baronibus, Proceribus, Nobilibus, Vaſallis, Fidelibus & ſubditis ſuis, nec non cum cœteris aliis ſuis Fautoribus & amicis, ut proviſione ſua futuris obniteretur Scandalis & Materia diſplicentiis & Rancoribus præcluderetur, Inter Illuſtres JODOCUM Marchionem Moraviæ Primogenitum, JOHANNEM, qui SOBISLAUS dicitur, Secundo genitum, & PROCOPIUM tertió Genitum Filios ſuos Cariſſimos, noſtros Nepotes optandam Ordinationem decreverit in bona Mentis & Corporis ſui ſanitate ſtatuere, cujus tenor per omnia ſequitur in hæc Verba.

JOHANNES

Johannes Dei Gratia Marchio Moraviæ Notum facimus &c. quod inter alias Meditationes & Curas quibus pro bono statu nostri Principatus distrahimur, illud oculis nostræ mentis occurrit Præcipuum qualiter Authore Domino in vita nostra Illustrius Filiorum nostrorum sic ordinemus sicque disponamus Negotia, ut post obitum nostrum non relinquatur eisdem Materia disceptandi nam sicut neminem mori contingit qui non vixerit, sic arbitramur utique nullum vivere qui non sit Temporum spatio Moriturus: Ideoque animo deliberato non per errorem, aut inprovide, sed Matura Baronum Procerum ac Nobilium Marchionatus nostri, nec non plurium amicorum, Fautorum & Fidelium nostrorum Deliberatione prævia, etiam Serenissimi ac Invictissimi Principis ac Domini Domini Karoli Quarti Romanorum Imperatoris semper Augusti & Bohemiæ Regis, Illustris Domini & Fratris mei Carissimi ad supplicationem nostræ petitionis justo accedente consensu, in bona mentis & Corporis valetudine Constituti Testamur, & nomine Jure & titulo veri Testamenti & voluntatis ultimæ disponimus, ordinamus, & decernimus prædictorum filiorum nostrorum statum & Ordinem servari debere prout Inferius annotamus: inprimis siquidem Illustrem principem Jodocum primogenitum nostrum post quam nos contigerit ab hac luce migrare Hæredem nostrum Universalem Instituimus, & Marchionem Moraviæ relinquimus, & dimittimus, ut Titulo, honore, statu ac dignitate Marchionis Moraviæ gaudeat ipsumque Marchionatum cum omnibus Castris Munitionibus, Fortalitiis, Civitatibus, opidis, villis, Dominiis, Vasallagiis, Vasallatibus, Baronibus, Juribus, Libertatibus, Communitatibus, Hominibus, & omnibus ac simul pertinentiis quibuscumque possint appellari Nominibus, etiamsi de his Jure vel consuetudine Specialis mentio in præsentibus haberi deberet, prout nos eundem Marchionatum a dicto Domino nostro tamquam Bœmiæ Rege in Feutum insigne huc usque tenuimus, habuimus & possedimus, tenemus, habemus, & possidemus, tenere, habere, & possidere debeat perpetuis temporibus affuturis &c.

Idcirco habito respectu ad rationabile propositum præfati Fratris & Germani nostri Carissimi, præsertim cum honesta desideria digne mereantur audiri & justa petenti non sit denegandus assensus: Considerato etiam quod præfatus Frater & Germanus noster Carissimus ordinem hujusmodi, Justitia & Ratione poscentibus facere rite potuerit cum in nullo penitus Legum & Jurium Sanctionibus contradicat, præcipuè tamen ipse Frater Germanus noster non inprovida Levitate, sed maturo Consilio & Juris subnixus Auxilio supradictis intendit, & nostro consensu & voluntate certissima processit in præmissis, animo deliberato, sano Principum, Baronum, & Procerum Fidelium nostrorum accedente Consilio, auctoritate Regia Bohemiæ, ac de certa nostra scientia Testamentum, ultimam dispositionem, voluntatem, decretum ac omnia quæ in Ordinatione prædicta contenta sunt in omnibus suis sententiis, punctis & clausulis de verbo ad verbum prout expressantur superius approbamus & ratificamus & Jure Testamenti & ultimæ voluntatis vel saltem Jure codicellorum seu alio Jure quo melius potuerint perpetuo valeant & robur obtineant perpetuæ firmitatis nominatim & expresse volentes quod antedicto fratri nostro Carissimo relinquatur plena Libertas prædicta omnia & singula in toto Niehilandi, declinandi, inmutandi & supplendi prout sibi videbitur expedire, & si in bona mentis & Corporis Sanitate existens, non detentus, captivatus, vi, Metu aut violentia compulsus, prædicta revocaverit aut de ipsis alio modo disposuerit in vita sua, ex tunc post obitum suum in pleno Robore maneant, sub omnibus antedictis Conditionibus de verbo ad verbum prout superius expressantur: Omnem defectum qui in promissis omnibus & singulis sententiarum aut Verborum obscuritate seu dubia Interpretatione seu alio quovis modo repetiri valebit, supplentes, de certa scientia ac Regia Bœmiæ Potestate non obstantibus quibuscumque Regni & Coronæ Bœmiæ Legibus, constitutionibus, statutis & observantiis publicis privatis seu municipalibus, editis observatis ac approbatis in contrarium, etiamsi de his deberet in præsentibus Jure vel consuetudine de verbo ad Verbum fieri mentio specialis, quibus omnibus & singulis sic & in quantum præsentibus nostris indultis in toto vel in aliqua sui parte derogare censentur, potestate & Authoritate præfatis per omnia derogamus; Nulli ergo Hominum liceat hanc nostræ approbationis Ratificationis, Conservationis, defectum suppletionis derogationis & Inhibitionis Paginam

infringere seu ei ausu quovis temerario contraire sub pœna Centum Marcarum Auri purissimi Moraviei ponderis, quas ab eo qui contra fecerit toties quoties contrafactum fuerit irremissibiliter exigi volumus & ejus qui injuriam passus fuerit profectibus & usibus applieari &c.

L.

Sigismundi Hungariæ Regis Diploma, quo Johanni Duci Gorlizensi Fratri suo Marchiam Brandeburgensem confirmat,

Ex Cod. M. S. Ann. 1392. SIGISMUNDUS Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Serviæ, Gallicie, Germaniæ, Bulgariæque Rex, ac Marchio Brandenburgensis, Sacri Rom. Imperii Archicammerarius, Boemiæ & Luxemburgensis Hæres omnibus Christi Fidelibus tam præsentibus quam futuris præsentium Notitiam habentium salutem in Salutis Largitore. Ad Universorum Notitiam tam præsentium quam futurorum harum serie volumus pervenire quod nos Sinceræ Caritatis fervido Zelo & Fraterni Amoris indissolubili Nodo, quibus Illustri Principi Domino JOHANNI, duci Gorligensi Fratri nostro Uterino insigniter uniti & annexi fore perhibemur ex intimo Nisu & deliberato animo favorabiliter inducti, ipsi Domino Johanni Fratri nostro præcario annuimus, & præsentium vigore effective concedimus, ut idem Dominus dux Johannes Marchiam Brandenburgensem trans - Oderam olim per Excellentissimum principem dominum KAROLUM Romanorum Imperatorem Beatæ Recordationis patrem nostrum sibi dumtaxat legatam, & per ipsum hucusque possessam, totaliter aut particulariter, vendi, obligandi, nec non alienandi & cum ea & in eadem juxta suæ voluntatis Libitum disponendi, meram & omnimodam plenæ potestatis habeant Facultatem. In cujus rei memoriam evidensque Testimonium præsentis, eidem concessimus litteras nostras privilegiales Sigilli nostri munimine roboratas.

Datum per Manus Reverendissimi in Christo Patris & Domini Domini JOANNIS Archiepiscopi Ecclesiæ Strigoniensis Locique ejusdem Comitis perpetui, & Aulæ nostræ & Regalis Majestatis eximii Cancellarii Dilecti nostri & Fidelis. Anno Domini MCCCXCII. III. id Novemb. Regni nostri Anno VI.

LI.

Joannis Moguntini, & Friderici Coloniensis Archiepiscoporum Epistola Encyclica ad Universum Clerum & Ordines Regni Hungariæ super Electione Jodoci Marchionis Moraviæ, in Regem Romanorum.

Ex Cod. M. S. Mogunt. An. 1410. CUm Sincera Charitate gratam complacendi Voluntatem Reverendi Patres, Nobiles Domini Venerabilesque Amici Carissimi. Ut omnium Gestorum Materia in hac Franckfurdensi Dyæta pro Regis Romanorum Electione disposita, brevi descriptione Notetur Vestris dilectionibus innotescat, quod congregatis Nobis duobus, una cum Reverendo patre Domino WERNHERO Archiepiscopo Trevirensi & illustri principe Domino LUDOVICO Juniore Comite Palatino Reni & Bavariæ Duce, Sacri Imperii Electoribus: in Loco prædicto ex parte Serenissimi Principis & Domini Domini Sigismundi Regis Ungariæ Domini nostri Gratiosi & Specialiter perdilecti comparens Illustris Dominus FRIDERICUS Burggravius Nurenbergensis Consanguineus & amicus noster carissimus, nobis Sub certis credentiis Signifieare curavit primo bonam, piam, & Sanctam Intentionem Domini nostri Regis Supradicti, quod videlicet præ omnibus haberet in mandatis acceptandi & taliter faciendi ut non solum in Ecclesia Sancta DEI sed & in sacro Romano Imperio Bipartita divisio,

divisio, in totius Reipublicæ salutem ad pristinam redigi possit unitatem, pro cujus assecutione dicti Domini Regis opem & operam obtulit, mente pura subjungens, quod licet Dominus Rex ad terminum & Locum præsentes & ad Electionem Romanorum Regis celebrandam vocatus non fuisset, ipse tamen tanquam verus Hæres Marchionatus Brandenburgensis, Princeps Elector, & Marchio, propriæ Fidei virtute motus qua sacro obligatur Imperio Secundum tenorem Bullæ Imperialis, quæ Aurea dicitur, ipsum Dominum Burggravium cum omnimoda sua potestate & procuratorio sufficienti ad præmissa facienda decreverit destinare, qui petens se Nomine dicti Domini Regis ad Electionem admitti, asserens quoque coram Nobis in privato quod sub Singularis Spei Fiducia esset directus ad Nos ambos, subjunxit in fine, quod singula nostris voluntate & Consilio deberet ordinare.

Super quibus sibi Responsum fuerat Seriatim: primò etenim cum omnimoda simul & devota gratiarum actione tam justam, piam, & Sanctam Domini nostri Regis Intentionem non sufficimus nec hodierna die sufficimus collaudare, Benedicere, & prædicare offerentes Nos Burggravio supradicto quod parati semper essemus dispositis dietis in Locis convenientibus cum prorogatione præsentis, nullis in eo parcendo Laboribus & Expensis ad tam necessariam unitatem in populo Sancto Dei Operam adhibere diligentem: & Navit Deus quod ad hanc Unionem ad semper & prosemper nostræ voluntatis aspirabat Intentio, licet de his nec horam nec Locum tractandi apud Cæteros Dominos Coelectores nostros potuerimus invenire: de Jure vero Electionis per dictum Burggravium allegato, Respondimns in effectu quod de eo non scivissemus nec sciremus, imo Nos JOHANNES Archiepiscopus Moguntinus non Dominum Regem prædictum, sed Illustrissimus Principem nunc Regem Romanorum Dominum JODOCUM, tamquam Marchionem Brandenburgensem a Longis Temporibus Regia Romana auctoritate de hujusmodi Jure solempniter Investitum, & in Corporalem ipsius possessionem missum, de præsenti vocavimus, prout & pridem factum fuisse meminimus temporibus retroactis; adjecimus tamen quod discusso Negotio, si quid Juris sua Serenitas tenere debet, suæ Majestati cordialiter faveremus: subjunximus quoque quod si qui super nominatione specifica simul & clara Domini nostri Regis sibi fecissent mentionem, quod hujusmodi absque nostri Notitia, in Veritate, quæ Deus est, forent ordinata; in fine conclusimus quod in Singulis parati essemus sibi nostra communicare Consilia, & in his quæ cum Deo & bono statu Reipublicæ, suæ possemus complacere Majestati.

Et Vero, Reverendi Patres, Nobiles Domini & Venerabiles amici Carissimi, quamquam in Sincerum Favorem Unionis Imperii & ea mediante, totius Ecclesiæ, semper secreta nostra fuisset Intentio, de illa Inclitissima Domo Bohemiæ aliquem in Unicum & indubitatum Regem creare Romanorum, & ob hoc Illustrissimi Principis Domini nostri Regis Bohemiæ, Illustrium ducis Saxoniæ & prædicti Marchionis nunc illustrissimi Regis Romanorum Scripturis ammoniti quibus occasione Stragis & obsidionis Sarracenorum in Terris Fidelium Prutenorum Legitima suæ præsentiæ Impedimenta protulerant, ad aliam quoque Diætam futuram, Omnibus postergatis venire, aut saltem procuratores cum mandato sufficienti promiserant, hanc præsentem Diætam in aliam affuturam, ex toto Corde, Labore quoque Serioso, Studuerimus prorogare ut omnibus nobis congregatis & gratia Spiritus Septiformis Unitis, matura simul & morosa deliberatione Omnia discidia ad pacem ordinare, quæ acceleratio præfestina Fronte præcipiti ad deteriora perducere bene posset Antedictus Dominus Burggravius Nurenbergensis absque nostris Consilio & voluntate, Imo contra suadentibus & contradicentibus expresse, una cum dictis Domino Wernhero Archiepiscopo & Domino Duce Ludewico Domini nostri Papæ inobedientibus, nec in eo Gratiam & Communionem Apostolicæ sedis habentibus XX. Die Mensis Septembris retró Ecclesiam S. Bartholomæi præcipitanter & ex abrupto, nulla penitus debita & consueta solempnitate Servata, ad prædictam Nostri & Vestri Domini Regis Ungariæ Electionem (ut cum Reverentia loquamur, de Jure nullam, nequaquam in eo Domino nostro Regi detogando) de facto processerunt, ipsum quoque Populo ad tale Spectaculum congregato licet pauco, in Regem pronuntiantes Romanorum, quæ

quidem Electio qualis sit & quanta, ex Eligentium paucitate simul & inhabilitate & variis aliis causis, considerare poterit prudens Homo.

Quia vero Nos consultius maturiusve procedere Satagentes vera Relatione didicimus præfatos Illustrissimos Principes & Dominos Nostros Dominum Jodocum nunc Romanorum, Dominum Wenceslaum Bohemiæ Reges, & Illustrem Domium Rudolfum ducem Saxoniæ Principes Catholicos & ad Eligendum idoneos suos habere procuratores in via ad hunc Locum Electionis causa veniendi; Nosque consulte suaserimus dicto Burggravio diutius remanere, & Canonicam & Catholicam nostram & aliorum Electorum Principum Electionem exspectare: id circo post hæc advenientibus Venerabilibus dictorum Regum & Principum Catholicorum, Gratiam & Communionem apostolicæ sedis habentium procuratoribus & Nuntiis, Mandato sufficienti suffultis, ad Laudem & Gloriam Omnipotentis Dei, Sanctæ Genitricis Mariæ, totiusque Curiæ Cœlestis, nec non in Decus, Honorem, utilitatem & Commodum Sanctæ Matris Ecclesiæ Sacri Imperii, omnium Christi Fidelium & totius Reipublicæ salutem, post plures Tractatus præhabitos, hodierno Die qua Videlicet Spiritus Sanctus in Filios adoptionis se infudit, post decantationem Missæ solempnis in Choro Ecclesiæ S.Bartholomæi Secundum Ritum hactenus conservatum, ad Electionem Romanorum Regis processimus, Omnesque Nos Principes Electores per quinque Voces & Vota Nos concorditer consentientes, in unum convenientes Serenissimum & Gloriosissimum Principem & Dominum Dominum Jodocum tunc Marchionem Brandenburgensem & Moraviæ, assentientibus procuratoribus ejusdem, & procuratorio Nomine in se recipientibus Electionem eandem coram Procerum, Nobilium, Magnatum, Prælatorum & populi multitudine Copiosa in verum, unicum, & indubitatum Regem pronuntiavimus Romanorum, pro Constanti tenentes, quod hæc Electio Canonica, justa, simul & Sancta Domino nostro & Vestro Regi Ungariæ tamquam in Favorem sui Regii nominis & Sanguinis facta, placere deceat & in omnibus fore grata: Vestras quoque Dilectiones Cordialius exhortantes quatenus prædictum Dominum Regem Ungariæ Dominum nostrum & Vestrum informare velitis ut refutato Negotio quod tam indiscrete simul & præcipitanter inobedientium præsumpsit ausus, nostrumque Electum & Electionem sua Gratia habere dignetur recommissas, ipsi Electo nostro in consummatione tantæ rei, videlicet Reformationis Totius Orthodoxæ Fidei & Ecclesiæ Catholicæ, simul & Universalis status Imperii, nedum magnifice sed & Viriliter & potenter assistendo in quo quidem ipse Dominus noster Rex una vobiscum apud omnium Retributorem Gloriam nedum in terris sed & feliciter obtinebit in Excelsis.

Datum in opido Franckfurd prima Die Mensis Octobris ANNO MCCCCX.

Joannes Moguntinensis }
Fridericus Coloniensis } Archiepiscopi Sac. Rom. Imperii Electores.

LII.

Anonymi Refutatio Contentorum in præcedenti Epistola.

Ex eodem Cod. M. S. circa Ann. 1410.

Venerabiles Domini & Amici Carissimi. Vidi quandam Copiam Unius Missivæ per Dominos Moguntinensem & Coloniensem Archiepiscopos, Dominis Consiliariis Invictissimi Principis Domini Romanorum & Ungariæ Regis circa Materiam Gestorum in Diæta Franckfurdensi, quæ fuit in Mense Septembri præterito, destinatæ, & quia contenta inibi, statum dicti Domini Regis, ejus Sanctam, justam, & omni exceptione Majorem Electionem in Regem Romanorum, futurum Cæsarem, Deo Auspice, promovendum, & Personas eundem Eligentium sugillare, fucatis quibusdam colloribus moliuntur, Licet vos & alios credam Factum, ut se habuit, fideliter enarrasse

enarrasse; tamen quia vobiscum Interfui & singula quoad Merita causæ ibidem gesta vidi & audivi, id circo in simplicitate Veritatis Amica dictæ Electionis modum & ordinem, quantum ad Rem pertinere videtur, & Ego Memoriæ commendavi, duxi præsentibus explicandum.

Inter medias narrationes, Jacula, quæ dicti domini Regis & Dominorum nostrorum eum eligentium in hac parte justitiam vulnerare nitebantur, pro mei talis qualis Intellectus modulo, Legitimo tramite depulsurus, est maximopere vnum, quod cum dictus Dominus Moguntinus Principes Electores, spreto tamen contra Fas dicto Domino Rege, vero Marchione Brandenburgensi, Principe Electore, ad Festum Sancti Egidii præteritum pro Electione Romanorum Regis celebranda per diversi tenoris Litteras, (Imperialibus constitutionibus super hujusmodi editis, tam in termini constitutione quam in residuo Litterarum quæ unius certi inimitabilis tenoris esse debuerant, minime observatis, imo cautelose alteratis, substantialibusque obmissis prout patentibus ejus Litteris edocetur) ad prædictum Franckfurdense opidum convocavit, domini nostri Archiepiscopus Trevirensis & Comes Palatinus Rheni, hujusmodi Multiplicem Moguntini Negligentiam, propter quam a Jure suæ vocis, de Rigore Constitutionum prædictarum in Bullla Aurea contentarum, eciderat, pro hac vice, Pacis intuitu pie dissimulantes non tamen renuntiantes, una cum dictis Moguntino & Coloniensi Archiepiscopis comparuerunt in loco & termino præ libatis; nec per Dominos nostros stetit quominus in Exordio Negotij Missa de sancto spiritu in Ecclesia sancti Bartholomæi celebraretur, & Juramentum solitum præstaretur, sed Dominus Moguntinus, Loci ordinarius, hoc, ut post apparuit, dispofuerat prætermitti: post paucos vero dies Dominus Fridericus Burggravius Nurenbergensis pro parte dicti Domini Regis tamquam Marchionis Brandenburgensis Principis Electoris, ne adhuc Jntegra supervenit, petens se admitti, & publice offerens nomine dicti Domini Regis, cujus plena ad hoc erat potestate munitus, sancta justa & plurima laude digna) uti etiam dicti Domini Moguntinus & Coloniensis Archiepiscopi Suis Litteris confitentur (de his autem, quæ ipsi scribunt, eum in privato coram eis affuisse, credendum est Dominum Burggravium in his & aliis ibidem gestis legaliter habuisse; quem etiam dicti Domini nostri, nomine Domini Regis tamquam Principis Electoris, qui & alias, quidquid alii scribant, ut talis fuit ad Jmperii Tractatus per quatuor tunc Electores evocatus & sic in possessione Electoriæ fuerat defendendus, maxime cum constaret cum fore Hæredem Marchionatus Brandenburgensis, nec aliquis oppositor comparceret, aut quisquam de Jure alterius fidem faceret, ut decuit, admiserunt: nam posito quod alter quicumque Marchionatum prædictum in totum, vel in parte Magna aut modica, Jure pignoris detentaret, quoad Electionem tamen vel præsentationem faciendam dictus Dominus Rex tamquam verus Dominus & Hæres ipsius, Censetur Legitime possidere.

Sed quid alii Archiepiscopi Domino Burggravio prædicto super per eum petitis & oblatis responderint, an sicut ipsi? quoniam ad unionem sua aspirabat Intentio eliciat prudentia sapientis: satis tamen de eo mirandum est quod scribunt, si qui super nominatione specifica, Domini Regis sibi fecissent mentionem hoc absque eorum notitia processisse, cum nonnulli Magnates de potentioribus apud eos, de hoc fuerint, & sint coram ipsis nominatim evidenter & publice inculpati, nec per eos appareant de tanta fictione aliquatenus redarguti, imo hodie sua secretissima expediunt per eos: Quidquid autem alii scribant, Domini nostri nec horam nec Locum unquam refutaverunt unanimis Electionis, quinimo eosdem Dominos Moguntinum & Coloniensem Archiepiscopos per se & per suos pluries requisiverunt, ut Electioni operam darent, pro quo venerant, celebrandæ; & quamvis inter Mutuos Tractatus hinc inde habitos, Dicti Domini Moguntinus & Coloniensis Archiepiscopi per diversas simulationes, nunc se recedere, sarcinis Navigio deputatis, nunc vero se dictum Dominum Regem eligere velle fingentes prætenderent tandem Rem differre ac in alium terminum prorogare, non tamen visum est Dominis nostris memoratis, statutis Imperialibus & aliis Juribus in Electionis simili materia promulgatis, consonum propter quæcum-

que Impedimenta allegata Negorium prorogare, & alium terminum statuere ad provisionem Imperii quod non sine gravi Jactura diutius vacaverat, imminentem, seu quemvis Electorum, post terminum peremptorium Juris & Hominis Lapsum, absentium nec per procuratores ut commodissime potuerunt comparentium exspectare, quin imo pœnas in dictis statutis comprehensas, præsentes Electores si hoc fecissent, rationabiliter incidissent, præsertim cum id quod pro Impedimento absentium allegabatur dolenda videbatur strages & Christiani Sanguinis Effusio in Prussia, potius augeret quam minueret causam accelerandæ provisioni capitis temporalis; nec est aut fuit Electorum vacantem Imperio, sic nec Cardinalium vacante Romana Ecclesia, quicquam de statutis super Electionibus hujusmodi editis immutare.

Denique omnis Dies imo qualibet Hora Diei quo vel qua major pars Electorum præsentium post lapsum terminum Juris & Hominis concordarer, & ad Electionem procedere vellet non comparentibus Electoribus per se aut per procuratores, de Jure peremptorius Terminus est censendus, adeo quod post talem Electionem publicatam à quantumcumque paucis factam, quicumque aut quanticumque comparentes, etiamsi venirent die tertia, nihil agunt, sicut in Electione Papali X. dies ab obitu Papæ numerandi pro exspectandis Cardinalibus absentibus sunt statuti, sic in Regali tres menses post Nuntiationem secundum formam Bullæ aureæ, faciendam omnibus Electoribus tribuuntur, quibus lapsis Electores per se aut procuratores in Loco debito comparentes, non tenentur aliquem Electorum absensium exspectare, nec ad Electionem Regis Romanorum Major pars omnium Electorum, sicut nec in Electione Papæ duæ partes omnium Cardinalium requiruntur, sed sufficit Major pars per se aut procuratores re integra, hoc est antequam præsentes eligerint, comparentium, quibus, solis vox in Electione hujusmodi pro tunc competit adhibenda, sicut solis Cardinalibus per se comparentibus competit in Papali; Imo si ex septem Electoribus Imperii soli tres per se aut per procuratores crastino Termini Juris & hominis comparuissent, duobus ex illis concordantibus & eligentibus perfecta fuisset Electio celebrata adeo quod nec omnes nec Major pars eum post hoc de Jure eligere potuissent; unde posito quod Domini Regis supradicti vox, aliqua prætensa ratione non deberet prout tamen de jure debuit computari; nihilominus consideratis Domini Archiepiscopi Moguntini Negligentia, & aliis per eum gestis supra & infra scriptis, pœnisque desuper constitutis, præfatus Dominus Rex a duobus Dominis nostris solis, velut a Majori parte trium notorum præsentium Electus Legitime censeretur: præceps autem vel abrupta non potest dici Electio quæ quamvis, ut præmittitur, quarta vel quinta die post terminum fieri potuisse usque ab diem Vigesimum fuit protelata.

De solemnitate vero Missæ sancti spiritus in Ecclesia sancti Bartholomæi non adhibita, dictus Dominus Archiepiscopus Moguntinus fuit & est merito Inculpandus: nam Domini nostri, ipso & Domino Coloniensi Archiepiscopo per se ipsos & demum per Notabiles Consiliarios suos in magno Numero pluries solemniter ac etiam fraterne & amicabiliter requisitis ut Electionem præmissam inchoandam & alia oportuna cum eis pro cedere dignarentur, cum disposuissent Præsbiteros Clericos & Cantores pro Missa hujusmodi celebranda, exacta diligentia facta, non potuerunt, nisi violentiam quam non decuit, fecissent, Ecclesiam Ingredi ullo modo, dicto Domino Moguntino Archiepiscopo prohibente & contra Canonicas sanctiones Ecclesiasticum Interdictum absque omni causa per totum Opidum Frankfurd observandum strictissime promulgante, cui tamquam Loci ordinario licet Domini nostri detulerunt in hac parte, noluerunt tamen sicut nec debuerunt Electionem obmittere faciendam, alioqui in solius Moguntini Archiepiscopi arbitrio Romani Regis Electio dependeret: nam si omnes Electores præsentes forent & sex concordarent de Electione facienda, solus ipse Ecclesiam claudendo vel Locum Interdicendo Negotium pro libitu impediret, quod absit a sanæ mentis hominibus Opinari, quin potius suo tempore non impune transeat temeritas prælibata & providea tur contra similem in futurum.

Process-

Processerunt itaque Domini nostri una cum Domino Burggravio quo supra nomine ad Cimiterium Ecclesiæ memoratæ & ibidem retro Chorum ipsius Ecclesiæ circa altare Majus in Loco, actibus publicis satis apto spiritus sancti gratia primitus invocata, exhibito, examinato, & publice Lecto procuratorio Domini Burggravii supradicti, & præstito corporaliter per ipsos tres debito juramento, ad laudem & Gloriam summæ Trinitatis sanctissimæ Dei Matris Mariæ, Omniumque spirituum Beatorum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Exaltationem, Catholicæ Fidei provisionem & optimam restaurationem Imperii, pacem quoque & tranquilitatem universi, dictum Dominum nostrum tunc Ungariæ nunc & Romanorum Regem, ad hoc præ cœteris Orbis Principibus ex omni parte idoneum, in totius mundi Dominum duxerunt publice eligendum, quam quidem Electionem dictus Dominus Burggravius Nomine præfati Domini nostri Regis & De mandato ejusdem speciali, lectis desuper Litteris suæ Majestatis in Christi Nomine acceptavit fueruntque mox Magnatibus, Noblibus, Civibus & Numeroso ibidem Populo congregato hujusmodi Electio ejusque acceptatio cum omnibus circa prædicta tunc gestis & tractatis exposita manifeste; quibus peractis cum Domini nostri prædicti Jam functi essent suo officio pro hac vice, provisione videlicet vacantis Imperii totaliter & indubie quantum ad Electores pertinet jam completa, non videbatur Dominis nostris aut dicto Domino Burggravio ulterius exspectandum, unde ad id quod de quadam inhabilitate scribentes alii calumniantur, est taliter respondendum: quod cum præfati Domini nostri sint parati & semper fuerint de veritate Facti & justitiæ meritis in causa Romanæ Ecclesiæ informari, nec aliquæ contra eos Censuræ aut sententiæ emanarunt, & si forsan generales cujuscumque sententias prætendeerent incidisse, licet falso, nulla tamen declaratio aut denuntiatio specifica fuit subsecuta, & ob hoc Domini nostri non sint nec fuerint ab Exercitio suorum jurium præsertim mere temporalium repellendi cum Insuper adhuc pendeat terminus infra quem, si Domini nostri ad alteram partem declinaverint, sint & fuerint ante dictam Electionem, ex tunc prout ex nunc, & ex nunc prout ex tunc, a prætensis, si quæ incidissent sententiis plenarie absoluti nec ante Lapsum illius termini dici possint quibuscumque prætensis sententiis innodati, nec sunt inhabiles, aut gratiam vel communionem Sedis Apstolicæ non habentes, neque pro talibus, quacumque prætensa occasione, scribendi tenendi aut aliquatenus reputandi: & quia non relatione Criminum sed Innocentia Reus purgatur, nec in Electione Regali, sicut nec in Papali tales Exceptiones sunt ullatenus admittendæ, ideo forsan nonnulla quæ ex adverso Domini nostri Obiicere possent hucusque propter melius obmiserunt maxime quia nec objurgationibus delectantur, nec talia Principum litteris decere reputant Inserenda.

Ex his Igitur Facti qualitate & Constitutionibus aureæ Bullæ aliisque juribus Canonicis & Civilibus, ad hanc materiam facientibus, ponderatis, satis Luculenter apparet Electionem præfati Domini Regis, ut præmittitur, Legitimam, sanctam, Iustam, perfectam, & proinde habendam ac si ab omnibus sacri Imperii Electoribus fuisset unanimiter celebrata; ipsumque Dominum nostrum verum & Indubitatum Romanorum Regem fore in Cæsarem promovendum; prætensam quoque Electionem de Illustre Principe Domino Jodoco Marchione Moraviæ, viro utique Magnifico, prudente Grandævo, Industrio & Experto (cujus veneranda senectus de jure a publicis Muneribus excusatur, etiamsi ab omnibus indubitatis Electoribus post primam Electionem fuisset celebrata, maxime cum Notabile fuerit Intervallum, quæ tamen a duobus Electoribus quorum unus voce caruit, ut præmittitur, & quibusdam prætensis procuratoribus satis modice conditionis Hominibus de quorum Mandato publice non constabat, & hodie dubitatur, fuit agitata, quorum etiam procuratores constituentium unus non creditur Elector, (salvo illæso alias ejus statu) de facto temerarie attemptatam, nullam, Invalidam, irritam & Inanem: Quæ omnia, non ambigo, exactas circumspectiones vestras lympidius intueri, ac ubi, coram quibus, quando, & in quantum expedire noscitis divulgate.



INDEX

Rerum ac Nominum Memorabilium.

A.

B.

a chum

C.

D.

E.

Emehar-

F.


G.

H.

Rabins.

b Richar-

Z.



9

